


GESTA TREVIRORUM

INTEGRA

LECTIONIS VARIETATE ET ANIMADVERSIONIBUS
ILLUSTRATA

AC

INDICE DUPLICI INSTRUCTA

NUNC PRIMUM EDIDERUNT

JOANNES HUGO WYTTENBACH

ET

MICHÆL FRANCISCUS JOSEPHUS MÜLLER

TREVIRI.

VOLUMEN II.

AB ANNO MCCLIX USQUE AD MORTEM ARCHIEPISCOPI RICHARDI
A GREIFENCLAU.

ANNO MDXXXI.

AUGUSTAE TREVIRORUM

TYPIS ET SUMPTIBUS TYPOGRAPHIAE BLATTAVIANAE
(IN COMMISSIS APUD F. LINTZ.)

MDCCCXXXVIII.

Emendanda in notis ad textum.

Pag. 7. nota a.	loco	ocularis	lege	oculatus.
— 120. nota c.	—	Dominacorum	—	Dominicanorum.
— 313. nota c.	—	chronologium	—	chronologicam.
— 342. ante notam a.	—	praeteriit	—	praeterierit.

Caetera, quae forsitan irrepserint errata typographica, prudens lector corriget.

Erudito Lectori S.

Accipe jam secundum Gestorum Trevirensium volumen, in quo historia nostra usque ad annum MDXXXI. continuata est.

Et haec Gesta diversis temporibus per diversos auctores, et quidem maxima ex parte temporibus illis aequales, testes quoque nonnunquam oculatos, conscripta sunt et tandem in unum corpus collecta.

Temporibus scilicet medii aevi Provincia nostra Rhenana plurimos viros habuit tam in scribendo sedulos, quam in servando cautos. Quam sortem prae aliis obvenisse Treviris, haec nostra Gesta satis testantur.

Non pauca in hoc volumine secundo reperientur capita, quae antea nondum erant impressa: ea vero, quae jam per alios in lucem prodierant, novitatis quandam, ob novas et variarum lectionum et animadversionum accessiones, speciem prae se ferre arbitramur.

Supplenda erant alia, alia accuratius explananda; quapropter additamenta plura, ex aliis genuinis fontibus hausta, quae scitu digniora textumque Gestorum commode atque perspicue explicare ac illustrare videbantur, ex magno illo chartarum codicumque manuscriptorum naufragio feliciter servata, et quae nondum typis vulgata comperimus, huic quoque volumini adferre et ab ignoratione et oblivione vindicare placuit.

„Agamus bonum patremfamiliae" (liceat cum Seneca ita loqui) „faciamus ampliora quae accepimus : major ista „hereditas a nobis ad posteros transeat. Multum adhuc „restat operis, multumque restabit; nec ulli nato post mille „saecula praecludetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi."

Extremam et huic Gestorum parti manum, in Patriae monumentis perscrutandis, illustrandis ac tradendis, quantum fieri potuit, admovimus, ut tu, Amice Lector, editione nostra confidentius uti, eamque sine fastidio, cum aliqua etiam utilitate legere possis.

Sic sperare nobis liceat, et hujus voluminis editionem publicis votis esse responsuram, et ab omnibus viris harum rerum peritis laborem nostrum approbatum iri. Haec, crede, unica et suavia sunt solatia, haec fomenta nostrorum laborum in hoc amplo et gravi historiarum campo.

Qua in re an recte opinati simus, tuum, Humane Lector! judicium tranquilli exspectamus.

Ad volumen tertium et ultimum, peracto toto Gestorum opere, utrumque et personarum et rerum verborumque in tria volumina dabimus indicem locupletissimum.

Pluribus non te hic morabimur, Benevole Lector! Studiorum nostrorum ac rei pertractatae rationem ex dispositione praefationis et prolegomenorum, primo Gestorum volumini praefixa, satis cognitam habes. Vale!

Dabamus Treviris, mense Decembri, MDCCCXXXVII.

EDITORES.

GESTA TREVIRORUM.

VOLUMEN SECUNDUM.

CAP. CX. USQUE AD CAP. CCXC. INCLUS.

GESTA TREVIRORUM.

CAPUT CX.

IncipiuntGesta Henrici Trevirorum archiepiscopi, et Theoderici abbatis S. Mathiae (a).

Anno ab incarnatione Domini MCCLIX. (b) Idus Novembris, sicut regum narrat historia: Omnes quidem morimur, et sicut aqua quae delabitur, non revertimur, venerabilis Arnoldus bonae (c) memoriae Trevirorum archiepiscopus, sui praesulatus dies cum laudabiliter ac honorifice complevisset, praesentis transitoriae carnis ergastulum commutans, in Domino requievit. Convenientibus igitur ecclesiae Trevirensis praelatis et canonicis, ad quos jus electionis praesulatus dictae ecclesiae dinoscitur pertinere, ad locum eidem electioni ab antiquis temporibus et ipsius ecclesiae praedecessoribus provide et discrete deputatum, capitulum videlicet majoris ecclesiae Trevirensis, ut ibidem de persona talis praesulatus digna ac etiam dictae ecclesiae fructuosa, Deo cooperante, electionem rite et cano-

---

(a) Continuamus textum ex codice ms. coaevo S. Mathiae, autographo fortasse Henrici scriptoris, et factorum hujus temporis testis ocularis. (Vide Prolegomena, Vol. I. p. XXI.)

Hic prosequitur Gesta Henrici de Vinstingen, ab anno 1259. usque in finem hujus saeculi.

Editio Marteneana hunc textum ex cod. ms. S. Maximini exscripsit. Desunt vero haec Henrici Archiep. Gesta in edit. Honthemiana, in qua altera Henrici Archiep. historia, per alium scriptorem literis consignata, legitur, quae in editione nostra capite 187. incipit.

(b) sexagesimo nono: cod. Paris., sed false.

(c) piae: ibid.

nice celebrarent. Nec tamen, dum convenissent (a), ullatenus in dicta electione concordantes, unanimes fieri potuissent, ipsam electionem usque ad certum terminum, vigiliam scilicet beati Nicholai dehinc in proximo venturam, discutiendam et prospere celebrandam sperantes, distulerunt. Praedictis eisdem electoribus iterum termino praefixo convenientibus, nec, sicut prius, in praedicta (b) electione celebranda concordare volentibus, omnium bonorum invidissimo malorumque studiosissimo discerptore (c) inter eos seminante zizaniam, exorta est inenarrabilis atque miserabilis (d), ut in sequentibus manifeste patebit, decertatio. Decertatione vero inter eos durante, et dissensione utrarumque partium instigante, ac venenosa diaboli persuasione accrescente, duo ex ipsis electoribus, Arnoldus videlicet major de Sleyda, et Henricus dictus de Bolandia, archidiaconi praedictae ecclesiae Trevirensis, qui eodem termino, quo secundo convenerant, ut de electione praedicta ordinarent, cum de una persona nulla ratione concordare valerent, in vigilia S. Nicholai praedicta, in discordia sunt electi. Praedictis etenim duobus electis, cum nec quis eorum alteri in ipsa electione praevaleret, nec sic altercantibus (e) aliquo modo possent induci ad concordiam, delata est (f) praefata electio ad sanctissimum patrem Alexandrum, sanctae Romanae ecclesiae summum pontificem, qui ut suae sanctitati videretur praenominatae ecclesiae Trevirensi necessarie expedire, convenienter secundum Deum de electione hujusmodi ordinaret. Accesserunt igitur praelibati viri ad praesentiam Romanae ecclesiae summi pontificis; alter personaliter, utpote Henricus de Bolandia; alter vero per procuratores, utpote Arnoldus de Sleyda supradicti (*).

(a) Sed dum convenissent, nec ullatenus: edit. Mart.
(b) In cod. Francof. (bibl. publ.) legitur: in saepe dicta.
(c) apud Mart.: disceptore.
(d) Addit cod. Erancof.: et tanquam indiffinibilis.
(e) alternantibus: Mart.
(f) Anno ineunte 1260.
(*) Occasione hujus publicae cleri discordiae popularis status urbis Trevirensis magis magisque stabilitur, novis accersitis foederum et bellorum institutis.

CAPUT CXI.

Eodem vero tempore quo praedicti viri, ut praefatum est, ad sedem Romanam iter arripere disponebant, contigit abbatem monasterii S. Mathiae Trevirensis, qui pro tempore erat, pro diversis negotiis et causis sui monasterii determinandis et expediendis ad eandem apostolicam sedem ire; quem eventus quidem praedicto domino Henrico de Bolandia archidiacono viae fecit sodalem: qui prospero omine simul ad apostolicam sedem sani et incolumes pervenerunt. Praedictis igitur electis fere (a) per biennium in Romana curia continue persistentibus, ambobusque in pertinacia coepta perseverantibus, nec altero eorundem cedere curante, Alexander sanctae Romanae ecclesiae summus pontifex praedictus, videns tantam ecclesiam, Trevirensem videlicet, quae mater existit primitiva totius Alemanniae (b), pastore carentem, et propter hoc maxime posse periclitari, de consilio fratrum cardinalium et jurisperitorum, amborum praedictorum, videlicet Henrici et Arnoldi electionem in pleno consistorio cassavit, et cassando eam nullam esse pronuntiavit.

CAPUT CXII. (c)

Nunc igitur videndum est, quomodo vel qualiter per sedem apostolicam ecclesiae Trevirensi fuerit provisum. Cum enim, sicut superius diximus, abbas S. Mathiae Trev., et Henricus de Bolandia archidiaconus praedicti ad curiam Romanam pervenissent: dominus Henricus (d) decanus Metensis ecclesiae, infra quatuor menses post introitum ipsorum, iter arripuit veniendi ad sedem eandem. Cumque idem Henricus diceret, se pro quibusdam domini Argentinensis (e) episcopi (f) negotiis ad curiam Romanam venisse, nec tamen aliqua negotia ha-

---

(a) vere: cod. Paris.
(b) Almaniae: ibid.
(c) Huic capiti manus postera in cod. Francof. notam marginalem addit his verbis: Curiae Romanae artes et fraudes.
(d) de Finstinga, Finestinga, Vinstinga, Vinstingen.
(e) cujusdam Argentini: cod. Paris.
(f) Walteri recens electi.

beret in curia, sicut postmodum rei probavit eventus; idem decanus fraudulenter et dolose associans se abbati S. Mathiae (a), et Henrico de Bolandia archidiacono praedictis, dicens se et parentes ejusdem abbatis affinitate esse conjunctos, archidiaconum vero consanguinitatis vinculo sibi et suis esse constrictum, omnia secreta ipsorum callide investigavit, et nichilominus partis adversae, scilicet procuratorum domini archidiaconi de Sleyda consiliis se immiscens, omnibus secretis partis utriusque diligenter inquisitis et perceptis, ea cardinalibus, qui electionem domini Henrici et Arnoldi praedictorum destruere et impedire nitebantur, proditorie publicavit; sicque dominus Alexander papa praefatus, de consilio fratrum cardinalium, quibus dictus Henricus decanus Metensis de secretis utriusque partis communicaverat, cum idem decanus omnes expensas partis utriusque, necnon omnes obligationes alias in curia factas, quae etiam numerum excedebant, in se reciperet et recepisset, sicut postmodum ipsa ecclesia Trevirensis sensit et est experta; eidem ecclesiae Trevirensi de persona praefati domini Henrici, decani Metensis, providit de pastore (b), electione domini Henrici et Arnoldi praedictorum, sicut superius est expressum, cassata et adnichilata (c).

Anno igitur Domini MCCLXII. XIII. (d) Kal. Decembris praefatus dominus Alexander pontifex Romanus dictum Henricum (*) decanum Metensem, ecclesiae Trevirensis electum, transmisit. Qui ab universo clero et populo ecclesiae Trevirensis, sicut decuit et moris est, honorifice est receptus: cum quo idem abbas S. Mathiae, omni-

(a) Hoc loco ad marginem cod. nostri legimus haec verba: Nota hujus viri (Henrici) calliditatem.

(b) Edit. Mart. aliqua omisit in hac periodo.

(c) In temporum notis Presbyter Siffridus (Lib. 2. Epit.) hanc rarioris exempli signat, nempe hoc anno 1261. quatuor Metropolitanos: Moguntinum, Trevirensem, Bremensem et Magdeburgensem, ab Alexandro IV. Romae consecratos. Memorat idem, Flagellantium sectam tum primum nascendi principia habuisse. Vid. cap. 189.

(d) Ed. Mart. habet Cal. Decemb.

(*) Is Henricus Finstingius erat magnarum opum (scribit Browerus), et genere illustri, domo cognomine ortus apud Saravum fluvium.

bus sui monasterii negotiis et causis, pro quibus ad sedem apostolicam ierat, expeditis, cum dicto domino Henrico Trevirensi electo (a) ad propria est reversus. Videns igitur dictus Arnoldus de Sleyda archidiaconus, dictum abbatem cum Henrico electo ad propria rediisse, male (b) suspicans de dicto abbate, quod per ipsum electio ipsius in curia Romana cassata fuisset, omni quo potuit dolo eidem abbati coepit adversari (c). Factus vero postmodum dictus Arnoldus archidiaconus praefati domini Henrici electi consiliarius principalis, omnibus viribus suis laboravit, ut se in dicto abbate vindicaret, et primo quidem per falsi suggestionem et veri suppressionem inimicitias seminavit occulte inter dominum Henricum electum et abbatem praedictos. Tandem vero manifeste sibi coepit adversari (d); assumptoque secum decano majore, qui etiam partem domini Henrici electi fovebat, persuasit eidem domino Henrico electo, ut, ipso abbate a dignitate suae abbatiae amoto, alium qui sibi placeret eidem monasterio praeficeret abbatem. Dominus Henricus electus falsis suggestionibus dicti archidiaconi Arnoldi et aliorum aemulorum abbatis, ultra quam debuit fidem adhibens, ipsum abbatem a regimine ipsius abbatiae omni intentione amovere nitebatur.

CAPUT CXIII.

Iste dominus Henricus electus, anno secundo suae susceptionis, Argentinensi episcopo ejus consanguineo, in obsidione ejusdem civitatis Argentinensis cum ingenti armatorum multitudine strenue et viriliter occurrit: cui in dicta expeditione, fortuna favente, omnia in omnibus prospere succedebant.

His peractis, dum (e) ad propria disponeret remeare, in reditu

(a) Legitur in cod. Francof.: cum dicto domino suo Henrico Trevirorum electo.
(b) Quidam codd. addunt: etiam.
(c) Omni qua potuit diligentia studuit eidem abbati in omnibus quibus potuit adversari: sic cod. Francof.
(d) Desideratur tota haec periodus in editione Mart.
(e) Hic autem cum, peracta expeditione &c.: cod. Francof.

suo villas abbatis et conventus S. Mathiae, Crittenache videlicet et Nenniche cum multitudine (a) armatorum intrans, in ipsis pernoctavit. Cumque omnia, quae in dictis villis invenerant, consumpta fuissent; satellites et ministri Henrici ex sua permissione et jussu (b), necnon ex instinctu domini Arnoldi archidiaconi, qui etiam ibidem aderat, curtes vicinas monasterii S. Mathiae, quas attingere poterant, hostiliter invadentes, portis et seris exfractis (c), boves et cuncta, quae in eis invenerunt, diripientes, eduxerunt (d). Nec his contenti ministri Sathanae: duas curtes monasterii praedicti, videlicet Kuckiberg et Yuichs (e) incenderunt igne (f), adeo ut fumus ejusdem ignis ipsum monasterium penitus cooperiret.

CAPUT CXIV.

Videntes igitur fratres monasterii bona sua sic undique devastari (g), nec sperabant se in ipso monasterio (h) posse salvari. Dolentes et nimium perterriti confugiunt ad capitulum majoris ecclesiae humiliter conquerendo (i) deprecabantur, ne ob reverentiam beati Mathiae Apostoli totius Alemanniae patroni, res et bona monasterii sui, consilium et auxilium adhibentes, paterentur ita horribiliter (k) consumi et dispergi. Qui audientes querulosam praedictorum fratrum petitionem, pietate moti, miserti sunt eorum; consiliumque sanum et providum adhibentes, ad dominum Henricum electum miserunt, ac ipsum super hujusmodi excessus graviter corripuerunt (l), qui omnimode

---

(a) cum omni multitudine: ibid.
(b) et, ut timetur, jussu: addit cod. Eberh. Clus.
(c) confractis, effractis: habent diversi alii codd.
(d) Edit. Mart. habet, sed male: adduxerunt.
(e) Cod. Francof. legit: Kukkilberg et Juvich; cod. Eberh. Clus. habet: Kuckelberch et Yuisch. — Browerus haec nomina non habet, scribit enim: „Vicinos templo cum domibus hortus inflammant.“ —
(f) incendio totaliter devastarunt: quidam codd.
(g) devorari et consumi, nec non incendio devastari: cod. Francof.
(h) in monasterio suo: Mart. — posse: deest in cod. Paris.
(i) conquirendo: Mart.
(k) ita viliter: ibid.
(l) Addit cod. Francof.: sicut debebant.

se expurgans ab hoc crimine sibi imposito, fore se dixit innocentem. Inter haec Alexander papa (a) viam universae carnis est ingressus: cui Urbanus (b), quondam episcopus Virdunensis, deinde patriarcha Jherosolymis, successit in apostolatum (c).

CAPUT CXV.

Electus vero Trevirensis (d) praedictus, cum adhuc pallio non obtento, in archi-Trevirorum episcopum non esset confirmatus, suum suffraganeum, quemdam (e) Philippum, Metensem episcopum, quod nec debuit nec potuit, confirmare praesumsit; synodum etiam manifestam in majori ecclesia celebravit. Post haec autem (f) castrum quoddam, nigrum montem, quod volgariter dicitur Suarzenberg, obsedit, milites et nobiles illius castri captivavit, victoriam obtinuit (g). Quid amplius? multa quidem viriliter, fortuna favente, prospere peregit (h). Iterato autem ejus ministri castrum Sarburg inhabitantes, monasterium S. Mathiae, Dei timore postposito, ubicumque poterant, conabantur spoliare (i).

CAPUT CXVI.

Haec et his (k) similia Urbanus summus pontifex intelligens, contristatus est valde; nec tantum facinus voluit impunitum praeterire (l).

(a) Romanae sedis summus pontifex: cod. Francof.

(b) Urbanus IV., antea dictus Jacobus Pantaleon, Tricassinus origine.

(c) Cod. Francof. quandoque textum amplificans, habet: cui Urbanus „eandem sedem re-„gendam in augmentum fidei catholicae successit." — Manus saeculi decimi quinti notam marginalem adjecit his verbis: „Urbanus quondam patriarcha Jherosolimitanus „et episcopus Virdunensis, qui erat familiaris Abbati S. Mathiae praedicto." —

(d) Edit. Mart. habet: Treviris, sed male.

(e) quondam: cod. Paris.

(f) Post hoc: Mart.

(g) Cod. Francof. per amplificationem habet: „obsedit, captivandoque ipsius castri milites, terraeque nobiles, qui ipsis in adjutorium venerant, victoriam obtinuit." — — Schwarzenberg prope Dagstul.

(h) Cod. praef. variat iterum textum in hunc modum: „Quid amplius? omnia sicut vo-„luit fecit, et plus, quam narrari possit." —

(i) immaniter, ubicumque poterant, spoliarunt: ibid.

(k) et aliis: Mart.

(l) Cod. Francof. habet: contristatus est, qui etiam nec debuit nec voluit tantum

Misit (a) rei factae inquisitores, videlicet Wormaciensem et Spirensem episcopos, et abbatem de Rodenkirche (b) ordinis Praemonstratensis, Moguntinensis diocesis, qui processum veritatis qualiter actum esset, plenarie perscrutarentur. Forma vero mandati talis est (c):

Wormaciensi et Spirensi episcopis, et abbati de Rodenkirche.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratri-„bus Wormaciensi et Spirensi episcopis, ac dilecto filio abbati mo-„nasterii de Rodenkirche Praemonstratensis ordinis, Moguntinensis „diocesis, salutem et apostolicam benedictionem.

„Ad audientiam nostram pervenit, quod Henricus Trevirensis „electus, qui pallio non obtento se praesumit in suis literis archie-„piscopum nominare, de novo quoddam pedagium seu thelonium in „flumine Rheni proprio motu constituit, et ligatus excommunicationis „sententia, in quam propter hoc incidit, divina officia celebrare, im-„mo, quantum in eo est, potius prophanare praesumit, et simonia, „perjurio, sacrilegio, et aliis diversis criminibus irretitus, bona ec-„clesiae Trevirensis adeo dilapidat enormiter et consumit, quod ipsa „ecclesia, nisi per apostolicae sedis celere (d) remedium succuratur „eidem, incurret irrecuperabile (e) detrimentum. In tantum quoque (f) „ipsius contentus ad Deum superascendit et homines, quod idem nec „illius judicium, nec horum scandalum pertimescens, publice rapinis „et incendiis se immiscet, et alias (g) multa committit enormia, hor-„renda dictu, et auditu plurimum detestanda. Cum igitur quod de in-„stitutione dicti pedagii seu thelonei proponitur, non possit in illis par-

---

facinus impunitum praeterire, ne etiam videretur per procellam impetus contra justitiam, quod foret adversus fidem catholicam, indiscrete velle procedere. — Cod. Paris.: nec tamen — noluit &c.

(a) itaque: additur in quibusdam codd.

(b) Rodenkuthe: cod. Paris.

(c) Forma vero inquisitionis ipsis directae talis est: cod. Francof. — Legitur etiam sequens bulla Urbani IV. in Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 741. sqq. —

(d) celebre: cod. Paris.

(e) recuperabile: ibid. omnino falsa lectio.

(f) In tantum quod: ibid.

(g) Mart. et Honth. (Hist. Trev. dipl. T. I. p. 741.) habent: alia.

„tibus non esse notorium; discretioni vestrae per apostolica scripta „mandamus, quatenus vos omnes, vel duo, aut unus vestrum, per „vos, vel alios, seu alium, si de hoc de plano vobis plene consti„terit, ipsum propter hoc excommunicatum singulis diebus dominicis „et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfac„tionem condignam publice nuntietis, et faciatis ab omnibus arctius „evitari, et accedentes ad ecclesiam Trevirensem, si secure poteri„tis, alioquin publicae citationis edicto proposito in loco, unde ad „ejusdem electi possit notitiam pervenire, ipsum electum ad nostram „praesentiam evocantes, et habentes prae oculis solum Deum, contra „eum super aliis omnibus et singulis praedictis criminibus, si super „ipsis eum inveneritis apud bonos et graves respersum infamia, in„quiratis sollicite veritatem; et quae inveneritis, nobis per vestras li„teras fideliter transmittatis, praefigendo dicto electo terminum perem„torium competentem, quo personaliter nostro se conspectui reprae„sentet, pro meritis recepturus. Ceterum si electus ipse de ejusmodi „dilapidatione suspectus fuerit inventus, administrationem bonorum „temporalium sedis Trevirensis interdicatis eidem, ipsamque commit„tatis aliquibus personis idoneis de capitulo Trevirensi; diem autem „praefixionis hujus, et quidquid inde duxeritis faciendum, nobis per „vestras literas tenorem continentes praesentium fideliter intimetis (a), „non obstante, si vobis aut alicui vestrum a sede apostolica sit in„dultum, quod inviti exequi non teneamini negotia, quae vobis ab „ipsa pro tempore committuntur. Datum Viterbii X. Cal. Decemb. (b), „pontificatus nostri anno primo.“ —

CAPUT CXVII. (c)

Verum Wormaciensis et Spirensis episcopi, et abbas de Rodenkirche praedicti, sicut aemuli fidei catholicae mandati apostolici

---

(a) intimentes: cod. Paris.

(b) 22. Nov. 1261.

(c) In cod. Eberh. Clus. legimus titulum huic capiti superscriptum. Quia inquisitores mandatum non sunt prosecuti, papa committit duobus Cordigeris (de ordine Minorum S. Francisci).

transgressores existentes, inquisitionem praedictam, secundum quod in mandatis a sede apostolica acceperant, tepide praetermittentes, non sunt executi (a). Quapropter Romanus pontifex videns in dicta inquisitione (b) perperam processisse, satis est commotus. In obedientiam tamen ipsorum tamquam pater misericordiarum mitius praeteriens, nec sicut debuit corripiens, nolens etiam temerariam praesumtionem electi Trevirensis transire impunitam, secundario duobus fratribus ordinis Minorum, ut plenariam dicti Henrici electi illiciti facti perscrutantes facerent inquisitionem, sub obedientia qua assricti essent, scripta direxit sub hac forma (c).

Wilhelmo et Rorico fratribus (d) *de ordine Minorum.*

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Wilhelmo „de Waltmanshuse gardiano (e) fratrum Minorum in Wesele Trevi„rensis diocesis, et fratri Rorico de Warnesberg (f), de ordine fra„trum Minorum in conventu Trevirensi salutem et apostolicam bene„dictionem.

„Venerabilibus fratribus nostris Wormaciensi et Spirensi episco„pis, et dilecto filio abbati monasterii de Rodenkirche Praemonstra„tensis ordinis, Moguntinensis diocesis, inquisitionem contra Henri-

(a) Literas inquisitorum praedictorum ad summum Pontificem imprimi fecit Martene in ampliss. collect. T. cit. p. 468. sqq., quas ex Ms. Cardinalis Ottoboni, qui postea fuit Alexander Papa VIII., eruit Mabillonius.

(b) acquisitione: cod. Paris.

(c) scripta direxit; forma autem mandati eis directi talis est: cod. Francof.

(d) fratribus: deest in cod. Paris.

(e) Al.: Welmanshuse. — Gardianus (Guardianus) dicitur, quia est superior inter fratres Minores, custodiens conventum: sic habent scripta antiqua. — Gardiare, i. e. conservare, tueri, custodire; sic et gardiania, i. e. officium Gardiani seu custodis. — Conf. Glossar. ad scriptores mediae et infimae latinit., auctore Du Cange. Edit. nova de anno 1733. Tom. III. —

(f) In diplomate de anno 1262. 5. Sept. (quod deest ap. Honthemium) legimus: Urbanum IV. Papam mandasse, ut Roberto de Warnesperch, Canonico ecclesiae Trevirensis, de aliqua dignitate, personatu seu officio in ecclesia Trevirensi conferenda vel conferendo provisio fiat. — Verisimile est, Roricum, de quo in textu, et hunc Robertum de eadem nobili familia de Warsberg, fortasse fratres, fuisse.

Hanc chartam et plures alias notatu valde dignas bibl. Trev. possidet ex munificentia Episcopi ab Hommer, anno 1836 defuncti.

„cum Trevirensem electum super simonia, sacrilegio, perjurio, homi-„cidio, et aliis diversis criminibus, quibus irretitus esse dicitur, et „quid occasione cujusdam pedagii seu thelonii, quod in flumine Rheni „proprio motu de novo constituit, procederent contra eum, habito „fratrum nostrorum consilio, per nostras literas nos meminimus (a) „commisisse. Sed quibusdam, ut intelleximus, eisdem episcopis et „abbati falso suggerentibus, quod inquisitio ipsa, praehabito eorundem „fratrum nostrorum consilio, non processit, ipsi praetextu hujusmodi, „non procedunt ea qua decet diligentia in eadem. Unde ipsis in vir-„tute obedientiae nostris dedimus literis districtius in praeceptis, ut „in negotio inquisitionis hujus sine difficultate ac dilatione qualibet „procedere studeant, juxta priorum continentiam literarum. Verum, „quia, sicut accepimus, dictus electus cum episcopis et abbate prae-„dictis, tam per se quam per suos, tamquam malo sibi conscius, et „processum inquisitionis formidans, de novo est propter hoc amicitiae „foedere copulatus. Nos affectantes, ut sine suspicione cum effectu „in praedicto inquisitionis negotio procedatur, discretioni vestrae in „virtute obedientiae, ac sub poena excommunicationis per apostolica „scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus facientes vobis „praedictas literas exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, si „opus fuerit, monitione praemissa per censuram ecclesiasticam, ap-„pellatione postposita, compellendo, et processu legitimo, siquis per „eos est habitus, observato, in negotio ipso sollicite procedatis, juxta „continentiam earundem, omisso duntaxat articulo de pedagio seu the-„lonio, quem dilecto filio plebano ecclesiae S. Mariae in Confluentia „Trevirensis diocesis, per literas nostras specialiter duximus commit-„tendum: volumus tamen, quod etiam in negotio hujusmodi, quoad „articulum ipsum de eodem pedagio procedatis, si plebanus ipse infra „mensem, post monitionem nostram, non processerit in eodem. Non „obstante, quod ordini vestro a sede apostolica sit indultum, ut ipsius „personae de causis cognoscere, vel mandata exequi minime teneantur, „quae ipsis a sede committuntur eadem. Datum Viterbii VIII. Idus „Aprilis, pontificatus nostri anno primo.“

(a) meminimus: deest in cod. Paris.

CAPUT CXVIII.

Verum, cum Wilhelmus et Roricus fratres praedicti, in dicto inquisitionis negotio sibi a sede apostolica commisso, licet inviti, procedere vellent, custos et gardiani fratrum Minorum provinciae Trevirensis undique convenientes, nec non Priores (*) cum fratribus Praedicatoribus ejusdem provinciae, qui tunc temporis partem dicti electi manifeste fovebant, habito inter se consilio, Wilhelmo et Rorico fratribus praedictis, ne in dicto inquisitionis negotio aliquatenus procederent, sub poena custodiae carceralis districtius inhibuerunt. Tantam autem persecutionem a gardianis et fratribus ipsorum dicti inquisitores perpessi sunt, ut neque in domo ipsorum in Treveri, metu captivitatis territi, auderent permanere, sed nec in ipsa civitate Trevirensi salvari se posse sperantes, ad civitatem Metensem coacti sunt declinare. Sed nec ibi quidem in domum ordinis ausi sunt intrare, sed in quodam hospitio, sicut alienigenae, se receperunt, negotio inquisitionis interim dormitante.

CAPUT CXIX.

Interea (a) gardiani praedicti duos ex suis fratribus ad sedem apostolicam transmiserunt, ut, veritate ipsius inquisitionis diligenter investigata, ipsis totum processum remandarent. Cum igitur fratres praedicti ad curiam Romanam pervenissent, et in pleno consistorio coram domino papa et cardinalibus, nec non fratre Bonaventura (b), ministro generali ordinis Minorum, peterent ipsam inquisitionem vel differri, vel saltem aliis committi, et cum super hoc multa pro se proponerent et allegarent, dominus papa taliter (c) eis inconsultus respondit: „Constat nobis, et verum est, quod si nos duos archie-„piscopatus duobus de fratribus vestris transmisissemus, ipsos sine „dubio, contradictione qualibet amota, cum magnis gratiarum actionibus

---

(*) Priores, i. e. Rectores conventuum instituti S. Dominici.

(a) Cod. Francof. legit: Inter haec.

(b) Quem ecclesia sanctum dicit.

(c) aliter: cod. Paris.

„recepissent (a). Si igitur ad recipiendas dignitates vel praelaturas, „quae vobis a sede apostolica conferuntur, obedientes estis et parati; „nonne est rationi consonum, ut alia mandata, quae vobis ab eadem „sede, ad honorem Dei et sanctae Romanae ecclesiae diriguntur, re- „cipere et executioni (b) demandare debeatis? Decernimus igitur et „volumus, ut inquisitionis negotium praefatum, omnibus frivolis vestris „propositionibus amotis, executioni demandetur. Nec est nostrae in- „tentionis, ut aliquibus aliis personis ipsum negotium committatur, nisi „illis, quibus nos meminimus commisisse.“ Praedictis igitur fratribus Minoribus a domino papa sic expeditis, timens ipsum negotium per gardianos et custodem et Priores fratrum Praedicatorum iterato impediri et retardari, literas suas ipsis direxit. Tenor autem literae gardianis et custodi directae talis est (c).

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis gardianis „et custodi ordinis fratrum Minorum provinciae Trevirensis, salutem „et apostolicam benedictionem.

„Implacida (d) de actibus quorumdam fratrum vestri ordinis relatio „nuper nostrum turbavit auditum, videlicet, quod, cum iidem dare te- „neantur opem et operam efficacem, ut de vinea Domini, in qua prae- „cessores (e) ipsius ordinis sunt cultores ab ipso Domino constituti, „exstirpentur vitia, et ibidem plantentur virtutes, quominus quidam „fratres de ordine Minorum auctoritate apostolica contra Henricum, „qui pro electo Trevirensi (f) se gerit, super vitio simoniacae pravitatis „ad inquisitionem procedant, nituntur (g) multipliciter impedire. Quia „vero, id si verum est, redundat in divinae majestatis offensam ac in- „juriam, et contemtum apostolicae sedis, quae praedictum vestrum „ordinem dilatavit plurimum, ac ipsum et personas ejusdem prosequitur

(a) recepissetis: Edit. Mart.
(b) excommunicationi: cod. Paris., sed male.
(c) Haec bulla desideratur in Honth. Hist. Trev. dipl.
(d) Male habet cod. Eberh. Clus.: implenda.
(e) Codd. Eberh. Clus. et S. Paulin. habent: professores; in edit. Marten. legitur: praedecessores; in cod. Paris.: processores.
(f) Treviris: Edit. Mart.
(g) nitimini: ibid.

„speciali (a) gratia et favore, universitatem vestram rogamus et mo„nemus, et hortamur attente per apostolica vobis scripta districte „praecipiendo mandantes, quatenus universi et singuli fratres praedicti „ordinis vestri eis subjectos, quod desistant ab impedimento hujusmodi, „districtione qua convenit compellentes, quod inquisitio hujusmodi de„bitum et optatum consequatur effectum, impendatis consilium salutare; „preces et praeceptum nostrum taliter impleturi, quod zelari videamini „profectum animarum, qui ex eo provenire speratur, nosque devotio„nem vestram possimus exinde merito commendare. Datum Idus „Aprilis, pontificatus nostri anno secundo."

CAPUT CXX.

Idem dominus papa Prioribus ordinis fratrum Praedicatorum provinciae Trevirensis direxit literas suas, continentes eumdem tenorem de verbo ad verbum, sicut illa quae gardianis et custodi directa est. Ex tunc autem gardiani et custos Minorum, nec non Priores ordinis Praedicatorum provinciae Trevirensis coeperunt desistere ab infestatione fratrum Wil. et Ro. praedictorum, videntes diligentiam et affectum domini papae, quem habuit super eodem negotio, sicut manifeste claruit in literis apostolicis sibi super ipso negotio directis.

CAPUT CXXI.

Post haec dominus papa volens animare Wil. et Ro. fratres praedictos, iterato direxit eis literas suas, continentes hunc tenorem.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Wilhelmo „de Waltmanshusen, gardiano fratrum Minorum de Wezele Treviren„sis diocesis, et fratri Rorico de Warnesberg, de ordine fratrum „Minorum in conventu Trevirensi, salutem et apostolicam benedic„tionem.

„Per exigentiam sollicitudinis pastoralis, quam nobis dispensatio „divina commisit contra Henricum Trevirensem electum, super di-

(a) spirituali: cod. Paris.

„versis articulis volentes inquiri, certas ad hoc personas (a) providi-„mus assumendas, de quarum industria et constantia firmam fiduciam „habebamus. Quia vero personae ipsae minus studiose, praeter spem „nostram, negotium prosequebantur injunctum, ipsius executionem „vobis in virtute obedientiae, ac sub poena excommunicationis, sub „certa forma duximus injungendam, non dubitantes, illud in vestris „manibus debere proficere, quod apud dictas personas deficere mise-„rabiliter videbamus; constantia quam vestri natales conspicui, sacra „religio, et zelus divini nominis pollicebantur, apostolicae sedi (b) „de vobis super hoc firmam certitudinem, inducente. Sed ecce, quod, „sicut apud illos, sicut apud vos nostra videtur fiducia defraudata, „dum, prout intelleximus, sicut illi, sic et vos, ipsum negotium non „memoriae, sed neglectui commendastis. Hinc est quod nos discre-„tioni vestrae per iterata scripta in virtute obedientiae, ac sub poena „praedicta, quam ex tunc vos incurrere volumus, si mandatum nos-„trum in hac parte neglexeritis adimplere, districte praecipiendo „mandamus, quatenus in negotio ipso, saltem nunc tanta sollicitudine „procedatis, juxta traditam vobis formam, quod praecedentem inobe-„dientiam improbasse probemini per obedientiam subsequentem, et „nos vobis super hoc aliter scribere non cogamur. Quod si non ambo „his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus „exequatur. Datum apud Urbem-Veterem (c) II. Kal Decembris, „pontificatus nostri anno secundo."

CAPUT CXXII.

Praedicti igitur Wilhelmus et Roricus fratres, mandato sedis apostolicae secundarie recepto, videntes ipsum negotium domino papae multum esse cordi, intelligentes etiam dominum papam guardianos et custodem, nec non priores fratrum Praedicatorum provinciae Trevirensis praedictos, super infestatione ac molestatione ipsorum suis li-

---

(a) Episcopos Wormatiensem et Spirensem, una cum Abbate in Rodenkirchen. Vide supra.

(b) sedis: edit. Marten.

(c) Centum Cellae: Portus Romanorum, sub imperio Trajani magnifice exstructus; h. Civita-Vecchia, urbs vetus.

teris (a) graviter et seriose corripuisse, tunc demum animati, omnique timore postposito, ad civitatem Trevirensem in domum ordinis ipsorum sunt reversi, ibique super praefato (b) negotio inquisitionis audacter et intrepidi (c) procedere coeperunt, dictumque electum citari facientes, omnesque, qui ad hoc ipsis expedire videbantur, super articulis in literis apostolicis contentis, secundum quod ipsis a domino papa injunctum fuerat, sollicite et diligenter inquisierunt, et pauca vel nulla de contingentibus omiserunt.

CAPUT CXXIII.

Videns vero dominus papa dictorum Wilhelmi et Rorici fratrum constantiam, et veram in omnibus obedientiam, et quod nec minis nec precibus, quibus tamen a domino electo et a suis fuerant multipliciter vexati et fatigati, non poterant aliquatenus averti, quin in dicto inquisitionis negotio vellent procedere, secundum quod eis a sede apostolica fuerat injunctum, literas suas tertia vice direxit sub hac forma.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus „Wilhelmo et Rorico ordinis fratrum Minorum in conventu Treviren„si, salutem et apostolicam benedictionem.

„Sollicitudinem et devotionem vestram plenis laudibus extollen„tes, vosque prosequentes plenis actionibus gratiarum, super eo quod „negotium inquisitionis, quam contra Henricum, qui pro Trevirensi „electo se gerit, per vos fieri mandavimus, nunc demum in spiritu „promptitudinis assumentes, incoepistis, sicut intelleximus, et utique „acceptamus, juxta formam vobis traditam procedere in eodem. „Discretionem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica „scripta vobis mandantes, quatenus in negotio ipso, sicut laudabiliter „incoepistis, usque ad felicem exitum procedentes, frivolae appellatio„nis objectu non obstante, quae inveneritis et quae feceritis, nobis „per vestras literas quantocius nuntietis. Nos enim manus mundas

(a) suis literis: desideratur in edit. Mart.
(b) privato: habet vitiose edit. Mart.
(c) intrepide: cod. Paris.

„esse volentes, quae sordes diluunt aliorum, gratum habebimus plurimum et acceptum, si per vestrum studium obtineri poterit, quod „idem Henricus a suis insolentiis corrigatur, idque vobis apud Deum „proficiat ad meritorum cumulum (a), et apud nos et sedem apostolicam ad plenitudinem gratiarum. Datum apud Urbem-Veterem, IV. „Cal. April., pontificatus nostri anno secundo."

CAPUT CXXIV.

Videns igitur praefatus electus ipsam inquisitionem nulla ratione se posse evadere, ac inquisitores praedictos omnibus modis velle procedere contra ipsum ad inquisitionem, nimium territus est atque turbatus, omnemque suum furorem et insaniam (b) contra dictum abbatem convertens, manifeste imputabat ei, ad nullius alterius instantiam vel procurationem, nisi solius abbatis et suorum, dictam inquisitionem de curia Romana emanasse. Quapropter idem electus omni studio quo potuit, ad amotionem ipsius abbatis, sicut superius dictum est, laboravit, et primo (c) quidem plurimas inquisitiones, quas fieri jussit adversus eum, ut si quo modo posset aliquos articulos contra eum invenire fraudulenter, et fratres monasterii ab ipsius obedientia seducere (d), ipsum tali occasione a regimine abbatiae suae quomodocumque amoveret. Inquisitione autem hujusmodi taliter contra dictum abbatem facta, inventi sunt omnes fratres ejusdem monasterii unanimi consensu, corde et voluntate, nec unius facto constantes, et suum abbatem multipliciter recommendantes, dixerunt, se ab obedientia sui abbatis nulla ratione, nec minis, nec precibus posse amoveri.

CAPUT CXXV.

Videns itaque electus nihil se proficere posse contra abbatem in negotio inquisitionis, quam contra eum ediderat, misit iterato Priores

(a) tumulum: cod. Paris.
(b) infamiam: legitur ap. Mart.
(c) Alii legunt: post.
(d) deducere: Mart.

monasteriorum civitatis Trevirensis ordinis S. Benedicti, ad Priorem et conventum praedictos, dans eis in mandatis, ut dictos Priorem et conventum ad hoc inducerent, ut se ab obedientia dicti sui abbatis retrahentes, alium, quem eis praeficeret, recipere vellent in abbatem. Qui viriliter renuantes, ut merito debebant, dixerunt, se nulli, quam suo abbati, cui semel obedientiam fecerant, usque ad latam contra eum sententiam papalem, velle obedire, sicque Priores, qui venerant, confusi recesserunt.

Eodem autem tempore praefatus electus in odium abbatis S. Mathiae processit ad inquisitionem contra abbatem S. Mariae ad Martyres Trevirenses, qui erat carnalis frater dicti abbatis S. Mathiae (a), proponens, ut ipsos ambos simul et semel, si posset, amoveret (b); omnes enim eidem abbati S. Mathiae adhaerentes dictus electus, quantumcumque et ubicumque potuit, persequebatur.

CAPUT CXXVI.

Postmodum praefatus electus praefixit abbati S. Mathiae diem ad domum fratrum Praedicatorum in Treviri, ad tractandum ibidem de bono pacis et concordiae. Ad quam diem cum dictus abbas cum aliquibus de conventu atque aliis amicis suis comparuisset, discordiis hinc inde inter partes suscitatis, surgens quidam de canonicis, vir literatus, publicum coram nobis (c) omnibus in eodem loco fecit sermonem, cujus thema tale fuit: *Tu qui vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem* &c. &c. Finito autem sermone, abbas praedictus immediate surgens, ibidem coram omnibus ad sedem apostolicam appellavit, cujus [appellationis] tenorem, quia continebat crimina, non placuit hic inserere. Quam appellationem dictus abbas S. Mathiae una cum appellatione abbatis S. Mariae ad Martyres fra-

(a) Abbas Theodericus habuit fratrem germanum, Praepositum summi templi Canonicum, habuit et fratres Abbatem B. Virginis ad Martyres, et D. Satrapam in Syrch, loco Ducis Lotharingiae. Ita *Catalogus MS. Abbatum Mon. S. Mathiani conscript. per M. Cerdo huj. loci professum.*

(b) Deest verbum *amoveret* in plurimis Codd. Mss. et in edit. Mart.; unicus Cod. Eberh. Clus. explet hanc lacunam.

(c) Auctor hujus historiae ergo horum temporum aequalis erat.

tris sui praedicti (a), qui etiam nuper a dicto electo appellaverat, per velocem nuntium et expeditum ad sedem apostolicam celeriter transmisit. Appellatione, ut dictum est, facta, surgentes viri discreti, major praepositus Trevirensis (b), et quidam ejusdem ecclesiae canonicus, quasdam literas papales ibidem exhibuerunt, legentes eas ibidem publice coram omnibus, in quibus continebatur, quod ipsis (c) a sede apostolica datum esset in mandatis, ut electo Trevirensi districtius autoritate apostolica inhiberent, ne se de omnibus ecclesiasticis beneficiis totius diocesis Trevirensis aliquatenus intromitteret ordinandis vel disponendis. Quod audiens electus suique fautores, nimio furore repleti, dum ipsam literam papalem de manibus cujusdam, cui ipsa litera commissa fuerat, rapere conarentur, nec possent, superpellicium (d) ejus penitus est dilaceratum.

CAPUT CXXVII.

Appellatione igitur, ut dictum est, ab abbate in domo fratrum Praedicatorum solempniter facta, praedictus electus iterato fecit citari abbatem et conventum ad capitulum majoris ecclesiae. Ad quam diem cum idem abbas venire dissimularet, timens ne novissimus error pejor fieret priore, misit Priorem (e) cum quibusdam de senioribus ad ipsam diem, dans eis in mandatis, ut, si dictus electus ipsos in aliquo contra justitiam proponeret gravare, incontinenti ad sedem apostolicam appellarent. Venientes itaque Prior et seniores praedicti, comparuerunt coram dicto electo ante capellam domini archiepiscopi, in loco qui dicitur super curiam (f). Dum idem electus ipsos arctare vellet ad deponendum super quibusdam articulis contra abbatem suum in inquisitione ab electo edita contentis, incontinenti

---

(a) Roberti.

(b) Simon, Abbatis frater.

(c) episcopis: legit minus recte edit. Mart.; nostri Codd. Mss. habent: ipsis.

(d) Supellicium. Ed. Mart. — Henricus caeterique conjurati impetus faciunt in lectorem, et, ut erat linteatus, amictum discerpunt lacerantque.

(e) Engelbertum, virum aetate consilioque gravem: sic alia folia mss.

(f) In exedra majoris ecclesiae, narrat Brow. (Ann. Trev. T. II. p. 152.)

coram omnibus ibidem existentibus, ad sedem apostolicam appellaverunt. Forma vero appellationis ipsius talis fuit.

„Cum vos, reverende pater domine Henrice Trevirorum electe, „sitis excommunicatus; item cum super criminibus quibusdam inqui„sitio pendeat contra vos, coram inquisitoribus a sede apostolica ad „hoc deputatis; praeterea cum vos (a) velitis compellere Priorem et „conventum S. Eucharii Trevirensis, ut deponant contra dominum „Theodericum abbatem eorum, super quibusdam criminibus falsis, „et sibi impositis mendaciter, cum alias tam apud nos, quam apud „dominum papam, cum habuerint recommendatum, et quia vos, do„mine, excommunicationis vinculo ligatus, et pendente dicta inquisi„tione contra vos, praedictos Priorem et conventum S. Eucharii „Trevirensis compellatis, ut contra praedictum dominum Theodericum „abbatem ipsorum, qui est bonae famae, vitae et opinionis integrae, „deponant super criminibus falso et mendaciter confictis contra eum: „Ideo ego Henricus clericus monasterii S. Eucharii Trevirensis su„pradicti (b), procurator dictorum Prioris et conventus, sentiens eos „a vobis propter causas praedictas indebite gravari, nomine ipsorum „et pro eis et nomine procuratorio in scriptis, sedem apostolicam „appello, personas eorum, monasterium (c) et bona dicti monasterii „protectioni sedis apostolicae supponendo, et apostolos cum instantia „peto. Quod (d) si mihi dare denegatis, iterum sedem apostolicam „appello, offerens me, nomine dicti Prioris et conventus, ea quae „in facto consistunt, coram judice et in loco competenti probaturum. „Facta fuit haec appellatio sabbato post inventionem S. Crucis, post „primam, mense Maii, ante capellam domini archiepiscopi, in loco „qui vocatur super curiam, coram dicto venerabili patre, praesen„tibus decano S. Paulini, Scholastico ejusdem loci, et aliis quam „pluribus fide dignis.“

(a) nos: Edit. Mart.
(b) Qui haec omnia memoriae prodidit.
(c) Edit. Mart. legit minus accurate: personas eorum monasterii et &c.
(d) Quos: Mart.

CAPUT CXXVIII.

Et quia ad plenum eam appellationem audire noluit dictus electus, immo lacerata fuit ipsa appellatio in conspectu ejusdem electi; ideo propter metum, qui debet et potest cadere in constantem virum, non fuit innovata coram dicto electo ipsa appellatio, quia cum a loco recederemus, ubi facta fuit ipsa appellatio, quidam satellites dicti electi magistrum Johannem dictum Filomena (a), clericum dicti abbatis et conventus, verberaverunt, et ipsum et me dictum Henricum procuratorem, capere et detinere voluerunt: sed quibusdam nobis praestantibus patrocinium, evasimus; propterea ipsa appellatio fuit innovata sequenti die in refectorio Trevirensi, praesentibus domino Theoderico abbate S. Eucharii praedicto, cantore majoris ecclesiae domino Wilhelmo seniore de Davils (b), et aliis quam pluribus fide dignis. Sequenti vero die veniens Prior cum senioribus fratribus iterato in refectorium ecclesiae majoris, dicto Theoderico abbate ibidem existente, nec non praeposito majore, fratre ipsius abbatis, aliisque praelatis et canonicis ejusdem ecclesiae, atque aliis multis religiosis specialiter ad hoc vocatis et rogatis (c), Prior praefatus suam appellationem ibidem coram omnibus innovavit. Cumque idem Prior, appellatione, ut dictum est, innovata, ad suum monasterium reverti debuisset, satellites ipsius electi in communi vico in ipsum irruentes, eumque de equo, cui insidebat, inique (d) projicientes, quia suam appellationem innovare praesumserat, quamquam idem Prior senex esset et debilis, tamquam malefactorem coram omni populo fustibus et pugnis inhumaniter laeserunt. Quod videntes scabini, cives et alii fideles civitatis Trevirensis, erat (e) enim in media civitate, occurrentes undique, dictum Priorem de malefactorum manibus viriliter eripuerunt, apprehendentesque unum de malefactoribus, praedicti tam viri quam mulieres, graviter fustibus et lapidibus eum invadentes, semi-

---

(a) Sic omnes Codd. Mss.; ap. Browerum: Philomela.
(b) de Dajuls: edit. Mart.; de Paulino: Cod. Ms. Lind.
(c) et rogatis: deest in cod. Paris.
(d) inique: deest ib.
(e) erant: Mart.

vivum reliquerunt. Sicque idem Prior de manibus malefactorum liberatus, propter laesionem sibi ab ipsis illatam per aliquod tempus graviter languebat (*).

CAPUT CXXIX.

Post haec idem abbas timens, monasterium suum a dicto electo propter sui praesentiam magis ac magis posse gravari, volens etiam praecavere, ne amici vel ministri ipsius electi aliquo inopinato casu in ipsum irruerent, eumque in corpore laederent, sicut Priorem laeserant; secessit in terram et districtum illustris viri domini Friderici ducis Lotthoringiae (a) et marchionis, rogans ipsum dominum ducem et petens ab eo, ut usque ad finem suae causae, quam contra dictum electum habebat, in terra et districtu suo ipsum permitteret demorari. Praedicto igitur abbate a domino duce honorifice suscepto, praecepit universis sibi (b) subditis in districtu et in terra sua, ut quidquid idem abbas ac sui confratres ad suam utilitatem et ad sui monasterii profectum ibidem agere vellent, libere tamquam in propriis essent, agerent, absque omni timore. Jussit etiam ministris suis singulis et universis sub obtentu gratiae suae, ut ipsi abbati et suis fratribus cuncta quae peterent de rebus suis habundanter administrarent. Accedens etiam idem dominus dux ad abbatem praedictum, his verbis ipsum consolabatur: „Ecce cuncta quae volueritis „et petieritis in terra et in districtu meo, parata erunt vobis et promta. „Consolemini et nolite timere, omnes enim adversitates vestrae et „pericula optato et prospero fine claudentur.“ Audiens igitur abbas praedictus verba domini ducis, et quod ipsum tam benigne receperat, multum consolatus est, ibique in castro suo dicto Sirkis (c) permansit, persequens ibidem causam suam, parum vel nichil omittens de contingentibus.

(*) Tristissimus sane et hoc tempore ecclesiae Trevirensis status, cum vim ante legem esse, et patefactam sceleri viam intelligimus! —

(a) Al.: Lutthoringiae. Brow. (l. c.) opinatur, Ducem fuisse Abbatis propinquum. Thomas Cantipratensis (Lib. I. Bon. univers. c. 13. num. 2.) hunc Abbatem dicit virum nobilem et stirpis regiae, qui patrem et fratrem Duces illustres habuit.

(b) suis: edit. Mart.

(c) Syrch: cod. Eberh. Clus. — Syrk: cod. Lind. — Circium castrum: Brow. l. c.

CAPUT CXXX.

Electus igitur praedictus sentiens abbatem praefatum de monasterio suo recessisse, gavisus est valde, misitque Priori literas suas patentes, in quibus continebatur, quod idem electus praecepit eis mandans, ut infra octavas Pentecostes per electionem canonicam providerent sibi de abbate, alioquin extunc idem electus provideret eis de abbate. Hoc mandato recepto Prior et conventus multum turbati, consilium quaesierunt a suis secretioribus amicis, quid ipsis sit faciendum, vel qualiter dicto electo super hujusmodi mandato ipsis directo possint respondere. Habito igitur consilio, venerunt ad electum Prior et conventus praedicti, rogantes eum humiliter et devote, ut mandatum ipsis directum revocans, eos super provisione alterius abbatis, usque ad latam sedis apostolicae contra abbatem suum diffinitivam sententiam non molestaret, nec inquietaret; quippe cum idem abbas ad sedem apostolicam appellaverit, se suaque protectioni ejusdem sedis subjecerit, nec bona et res eorum tam immaniter et crudeliter devastari, consumi et invadi consentiret; sed ipsis aliquem de suis, quem vellet, praeficeret in temporalibus provisorem, qui omnes redditus, bona et proventus ejusdem monasterii recipiens, et in sua custodia reponens (a), fratribus tantummodo praebendas suas, prout ipsi eas ante recipere consueverant, administraret; residuum vero omnium reddituum, bonorum et proventuum ipsorum, durante causa inter ipsum et abbatem eorum, eidem electo integraliter assignaret. Ipso vero hoc recusante, nec eorum petitionem admittente, sed in suo malo proposito pertinaciter persistente, videntes etiam Prior et conventus praefati ipsum electum aliquo modo non posse flecti ad misericordiam super eos, sed in omnibus, quibus potuit, ipsis adversari; suam et praedicti abbatis sui injuriam defendere omnes unanimiter studuerunt, habitoque jurisperitorum consilio super mandato ipsis directo, appellationem sibi formari fecerunt, cujus tenor fuit talis.

„Coram vobis praelatis et dominis Trevirensibus, nos Engilber-

---

(a) recipiens: male repetitur ap. Mart. Cod. Eberh. Clus. legit: reservans.

„tus Prior monasterii S. Eucharii Trevirensis, nomine monasterii nostri „et pro nobis, tamquam cujus interest, proponimus, quod cum vir „religiosus Theodericus abbas noster, ex legitimis causis ad sedem „apostolicam a domino Henrico electo Trevirensi appellarit, et post- „modum etiam conventus monasterii nostri similiter ex causis legiti- „mis, a dicto domino electo ad sedem apostolicam appellaverit, dictus „dominus electus hujusmodi appellationibus non deferens, ad privatio- „nem dicti domini abbatis nostri procedens, et suae libito voluntatis „de facto minus juste nos Priorem et conventum monasterii nostri „moneri fecit per Everardum plebanum (a) S. Laurentii Trevirensis, „feria sexta ante Pentecosten, ut per electionem canonicam infra oc- „tavas Pentecostes nobis provideremus de abbate, alioquin ipse do- „minus electus ipsi monasterio de abbate provideret. Et cum statutum „sit in concilio generali, ut ultra tres menses cathedralis vel regu- „laris ecclesia praelato non vacet, infra quos, justo impedimento „cessante, si electio non fuerit celebrata, qui eligere debuerant, eli- „gendi careant potestate ea vice. Quia dictus dominus electus, etiamsi „rite praefatus dominus abbas noster ab eo esset privatus abbatia, „contra dicta statuta concilii generalis nos arctavit et arctat ad eli- „gendum: ideo nos Prior pro nobis et nomine monasterii nostri coram „vobis et sub testimonio vestro infra dictam monitionem in scriptis „ad sedem apostolicam appellamus, et quam cito copiam dicti domini „electi habere poterimus, ex dicta causa ad sedem apostolicam ap- „pellabimus coram eo. Facta est haec appellatio in refectorio eccle- „siae Trevirensis, post missam in ipsa celebratam, in praesentia ve- „nerabilium virorum, dominorum Symonis majoris praepositi, Wil- „helmi senioris, Reineri (b) et Wilhelmi junioris de Davils, canoni- „corum majoris ecclesiae, et aliorum quamplurimorum (c) clericorum „Trevirensium.“

(a) Edit. Mart. et cod. Eberh. Clus. habent: presbyterum. Brow. (l. c.) nominat Everhardum divi Laurentii Curionem.

(b) Reszneri: edit. Mart.

(c) plurimum laicorum et: cod. Paris.

CAPUT CXXXI.

Prior igitur cum suis fratribus ad suum monasterium regressi, cum viderent bona monasterii sui ab officiatis domini electi extrinsecus dissipari undique, et crudeliter invadi; timentes ne bona sua, quae infra monasterium habebant, videlicet libri, ornamenta ac reliquiae, quas majoris pretii quam omnia quae exterius (a) possidere videbantur, aestimabant, ab eisdem domini electi officiatis et a domino de Meysenburch (b) diriperentur. Invaluerat enim rumor per totam civitatem Trevirensem, quod idem electus Wilhelmum de Meysenburch (*), monachum monasterii S. Maximini Trevirensis, domini de Meysenburch praedicti avunculum, praeficere vellet jam dicto monasterio S. Mathiae in abbatem. Convenientes in unum in capellam beatae Virginis consilium inierunt, qualiter libros, ornamenta ac reliquias suas salvare possent, seseque invicem (c) exhortando, voto se astringentes, simul compromiserunt, omnes unanimes existentes, forent cor unum et anima una, et quicumque ex ipsis praemissi pacti transgressor existeret, absque omni gratia a consortio et communitate (d) fratrum separatus, perpetuae sententiae subjaceret. Cum autem sic omnes de fide simul et pacto observando firmiter compromisissent, elegerunt sex de fratribus suis, de quibus plene confidebant, injungentes eis et in salutem animarum eorum committentes, ut de libris, ornamentis ac reliquiis ipsorum reponendis (e) et conservandis, quanto salubrius et secretius possent, ne perderentur, ordinarent.

CAPUT CXXXII. (f)

Pacto igitur inter ipsos, ut dictum est, sicut potius poterant,

(a) extrinsecus: ibid.
(b) Excellens olim, et perquam celebre castrum. V. Jo. Bertelii Hist. Luxemb. p. 103.
(*) Virum nobili quidem loco; sed, quod Urbanus Pontifex de eo reliquit, discolum et factiosum.
(c) in invicem: edit. Mart.
(d) communione: cod. Paris.
(e) deponendis: ibid.
(f) Huic capiti adscripsit ad marginem codicis S. Math. manus posterior: Nota perfidiam monachorum istorum.

firmato, quatuor eorundem fratrum infra (a) paucos dies, Dei timore postposito, pactum hujusmodi promissionis sunt transgressi. E quibus duo, cujusdam noctis silentio, fellitis diaboli persuasionibus nimis consentientes, dum cum caeteris fratribus suis quiescere putarentur, muros cimiterii sui transeuntes, ad monasterium S. Maximini Trevirensis, in quo erat praedictus Wilhelmus monachus, in quem conspiraverant, velociter cucurrerunt (b), nuntiantes eidem Wilhelmo ac suis complicibus, quod fratres monasterii S. Mathiae reliquias ipsius Apostoli S. Mathiae, timore perditionis et causa periculi sibi ab electo imminentis, extra ipsum (c) monasterium deferre et alias deducere niterentur. Congregati igitur ob (d) istiusmodi causam monachi monasterii S. Maximini praedicti, una cum ministerialibus suis et servis, quos tunc habere poterant, monasterium S. Mathiae praedictum armata manu, sicuti in obsidione civitatis alicujus vel castri solet fieri, undique circumdederunt.

CAPUT CXXXIII.

Quod cum quibusdam canonicis ecclesiae (e) S. Symeonis innotuisset, dictorum fratrum S. Mathiae amici fidelissimi, ipsis condoluerunt; e quibus duo eadem noctis hora cucurrerunt, cupientesque fratres monasterii S. Mathiae praedicti ab istiusmodi miseriae periculo praemunire, ad hostium (f) monasterii pedes veniebant. Qui vehementer cum impetu pulsantes, se intromitti petierunt.

Intromissi vero venientes ante chorum in mediis matutinis, et invenientes eos devote, sicut solitum est in solempnitatibus, horas matutinas canentes et psallentes, pandebant eis ea, quae de praedicta circumvallatione (g) monasterii sui a monachis monasterii S. Maximini praedictis facta perceperant. Quod audientes fratres, nimis timore

(a) inter: cod. Paris.
(b) concurrerunt: ibid.
(c) ipsius: edit. Mart.
(d) ad: cod. Paris.
(e) deest: ecclesiae in edit. Mart.
(f) Codd. recentiores: ostium.
(g) convallatione: cod. Paris.

perterriti, partem matutinarum adhuc psallendam totaliter neglexerunt. Eadem hora praedicti duo transgressores, qui hoc facinus perpetrarant, tanquam hujus sceleris innocentes, cum ipso impetu in suum monasterium regressi, se in suis lectulis reposuerunt. Praedictis autem fratribus sic perturbatis, de suorum etiam fratrum excessibus perceptis, magis quam de ipsorum hujusmodi turbatione dolentes, relictis orationibus jam dictis, nec bene sibi conscii (a) quid essent facturi, convenientes in unum statuerunt, die sequenti capsam sui patroni cum libris ac ceteris ornamentis monasterii, ad majorem ecclesiam, infra muros civitatis Trevirensis, servanda deportare. Quod intelligens unus de transgressoribus praedictis, qui muros nocturno tempore, sicut superius dictum est, transierat, equum cujusdam fratris de monasterio furtive subtrahens ipsumque ascendens, velociter ad palatium perrexit, quaerens electum Trevirensem ibidem; ut si ipsum invenisset, sibi de ornamentis et reliquiis supradictis deportandis, quae audierat et perceperat, retulisset (b). Quem cum reperisset, redire ad suum monasterium quantocius (c) intendebat. In reditu autem cernit fratres monasterii sui, sicut alia die praeordinaverant, venientes obviam sibi cum reliquiis, devote et humiliter ducentes eas in civitatem conservandas. Et stans in equo suo clamabat voce magna adversus fratres suos dicens: Ach de istis malefactoribus! qui nostrum monasterium spoliantes, reliquias nostras ignominiose seducunt. Quem arripientes servi et ministri fratrum praedictorum (d), ipsumque projectum de equo, vestibus ejus per multas partes laceratis, pugnis et fustibus ipsum vehementer et sine misericordia ceciderunt. Qui sic caesus et confusus, non ad S. Mathiae, sed ad S. Maximini monasterium velociter pergens, ad praefatum Wilhelmum de Meysenburch monachum confugit, ibique cum ipso permansit.

His etenim sic peractis, procedentes fratres cum reliquiis et ornamentis suis, intra civitatem Trevirensem, sicut intendebant, occurrit

(a) conscii s: alii codd.
(b) referret: cod. Eb. Clus.
(c) quantocicius: cod. Paris.
(d) arripiens — — praedicatorum: mala lectio cod. Paris.

eis ingens multitudo virorum et mulierum, fere (a) quasi populus totus civitatis, flens et ejulans de ipsorum fratrum exilio miserabili et tantarum reliquiarum eductione, quod quasi prius nunquam contigerat, nec fuerat auditum; et sic usque ad ecclesiam majorem sequentes, capsam cum reliquiis, aliaque ornamenta in loco, ubi clavus (b) Domini cum aliis reliquiis majoris ecclesiae reconditus est, deposuerunt; reversique ad suum monasterium alias reliquias et ornamenta, quae in monasterio dimiserant, in locis secretis infra monasterium recondere et abscondere cogitaverunt, quod et fecerunt; timebant enim, sibi periculum imminere: et quod verebantur, accidit.

CAPUT CXXXIV.

Interea nuntius ille, quem (c), sicut superius diximus, abbas S. Mathiae cum sua et abbatis S. Mariae ad Martyres, fratris sui, appellationibus ad curiam Romanam transmiserat, reversus est, ferens secum a sede apostolica literas inhibitionis contra electum praedictum, quarum tenor talis est (d).

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati „S. Martini Glandariensis, Metensis diocesis, et cantori ecclesiae „Trevirensis salutem et apostolicam benedictionem.

„Inquisitionem faciendam contra Henricum, qui se gerit pro electo „Trevirensi, super diversis criminibus, fratribus Wilhelmo et Rorico „de ordine Minorum per nostras literas sub certa forma duximus „committendam. Verum idem Henricus, qui multipliciter inquisitionem „hujusmodi nititur impedire, ad excogitatam malitiam se convertens, „postquam dicti executores ipsum propter hoc ad suam praesentiam „evocarant, circa festum Resurrectionis Dominicae proximo praeteri„tum, prout accepimus, contra S. Mathiae et S. Mariae ad Martyres „monasteriorum Trevirensium abbates consanguineos alterius inquisi„torum ipsorum, ut forte per haec impediret processum inquisitionis „hujusmodi, vel iidem abbates, per quos super hujusmodi criminibus

(a) vere: ib.
(b) clavis: ib., sed pessime.
(c) Male legitur in ed. Mart.: quem sibi, sicut etc.
(d) Haec, quae sequitur, bulla desideratur in Honth. Histor. Trev. dipl. T. cit.

„veritas sciri poterat, se subtraherent a ferendo testimonio contra „ipsum, aut ipsos ad hoc inhabiles redderet; ad inquisitionem aucto-„ritate propria incoepit procedere super quibusdam criminibus, super „quibus contra eos infamia nulla laborabat, et in ipsos, quanquam „pro debitis, in quibus Romanae tenetur ecclesiae, foret excommu-„nicationis vinculo innodatus, propter quod alios ligare non poterat, „vel ad inquisitionem procedere contra eos, seu jurisdictionem aliquam „exercere, occasione hujusmodi excommunicationis sententiam dicitur „promulgasse in elusionem mandati apostolici et scandalum plurimorum. „Nolentes itaque, ut inquisitio facienda adversus dictum Henricum, „cujus ex his crescit infamia et augmentatur suspicio contra eum, oc-„casione hujusmodi retardetur; discretioni vestrae per apostolica „scripta mandamus, quatenus hujusmodi processum et sententiam ip-„sius Henrici denunciantes penitus non tenere, ipsumque ut (a) a „simili eorumdem abbatum et quorumlibet aliorum subditorum eccle-„siae Trevirensis gravamine omnino desistat, monitione praemissa, „per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Ceterum „si dictus Henricus aliquos propter hoc intrusit in abbatias monaste-„riorum ipsorum, de quo, si verum est, in illis partibus plene con-„stat, intrusos hujusmodi ab eisdem monasteriis sine difficultate (b) „qualibet amovere curetis, eisdem abbatibus ad abbatias ipsas plena-„rie restitutis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appella-„tione postposita, compescendo. Non obstante, si eidem Henrico, „aut aliquibus aliis a sede apostolica sit indultum, quod interdici, sus-„pendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, quae „de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem; „sive qualibet alia indulgentia sedis ejusdem, de qua ejusque (c) toto „tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris literis plenam et ex-„pressam mentionem fieri, per quam effectus praesentium impediri va-„leat vel differri; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii „saecularis. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, „alter vestrum nichilominus ea exequatur. Datum apud Urbem-Vete-„rem, X. Kal. Junii, pontificatus nostri anno secundo."

(a) ipsum, quod: lectio obscurior ap. Mart.
(b) dilatione: edit. Mart. (c) cujusque: ib.

CAPUT CXXXV.

Haec inhibitio lecta fuit et publicata in refectorio majoris ecclesiae coram omnibus praelatis et canonicis ecclesiae Trevirensis. Cum autem pervenisset ad notitiam electi et suorum, subridendo dixerunt, ipsam inhibitionem nunquam de curia venisse; sed abbatem S. Mathiae praedictum habere quendam falsarium in una curtium suarum juxta Trevirim sita, qui praedictas inhibitionis literas et eis consimiles fabricasset et fabricaret. Praedicti etiam executores, videlicet abbas S. Martini Glandariensis, et cantor ecclesiae Trevirensis, sententiam inhibitionis praedictae promulgarunt in hunc modum.

„Nos Johannes Dei gratia abbas S. Martini Glandariensis, Me„tensis diocesis, et Johannes cantor ecclesiae Trevirensis, judices „sive executores a sede apostolica constituti, processum inquisitionis „habitum a domino Henrico electo Trevirensi, contra Theodericum „S. Eucharii, et Robertum S. Mariae ad Martyres, abbates Trevi„renses, super quibusdam criminibus, et sententiam excommunicationis, „si quam tulit in eosdem, pronuntiamus non tenere, de mandato se„dis apostolicae speciali nobis injuncto in hac parte; pro eo quod, „cum idem electus pro quadam pecuniae summa, in qua Romanae te„netur ecclesiae, esset excommunicationis vinculo innodatus, alios „ligare non poterat, vel ad inquisitionem procedere contra eos, seu „jurisdictionem aliquam exercere, et Wilhelmum de Meysenburch mo„nachum S. Maximini Trevirensis, cui dictus electus contulit abba„tiam S. Eucharii Trevirensis, de facto in ipsam intrusit in eandem, „quod est notorium et manifestum, in his scriptis amovemus, et Ae„gidium de Manderscheit monachum S. Mariae ad Martyres, cui dictus „electus commisit administrationem abbatiae S. Mariae ad Martyres, „similiter amovemus ab ipsa administratione, et dictos Theodericum „abbatem ad abbatiam S. Eucharii, et Robertum abbatem ad abba„tiam S. Mariae ad Martyres Trevirenses plenarie restituimus; mo„nentes praedictum electum, quod a dictorum abbatum et quorumlibet „aliorum subditorum ecclesiae Trevirensis gravamine infra triduum „omnino desistat.

„Item praedictos Wilhelmum S. Maximini, et Aegidium S. Mariae „ad Martyres monasteriorum monachos, monemus, ne se de dictis

„abbatiis intromittant; alioquin praedictum electum, quem extunc te-„nore praesentium excommunicamus, et etiam praedictos Wilhelmum „et Aegidium monachos (a), quos in his scriptis similiter excommu-„nicamus, publice denunciamus excommunicatos, et ab omnibus prae-„cipimus arctius evitari. Invocabimus etiam contra praedictos, elec-„tum, Wilhelmum et Aegidium monachos, si sit necesse, auxilium „brachii saecularis.

„Item Priorem et conventum S. Eucharii Trevirensis monemus, „ut Theoderico ipsorum abbati obediant et intendant; alioquin prae-„dictos Priorem et conventum, quos in his scriptis suspendimus, „publice denuntiamus suspensos. Item Priorem et conventum S. Ma-„riae ad Martyres, ut Roberto ipsorum abbati obediant et intendant; „alioquin praedictum Priorem, quem in his scriptis excommunicamus, „et conventum, quem suspendimus, publice denuntiamus excommuni-„catum et suspensum, et ab omnibus praecipimus arctius evitari. „Datum anno Domini MCCLXIII (b)."

CAPUT CXXXVI.

Praedicti etiam executores non contenti, quod inhibitionem a sede apostolica sibi commissam, contra dictum electum literatorie, sicut praedictum est, sunt executi; verum etiam in palatium ipsius electi personaliter accedentes, viva voce ipsum electum monuerunt, ut contra inhibitionem apostolicam sibi factam, contra abbates praedictos et conventum S. Mathiae praefatum procedere aliquatenus non attentaret. Electus vero praedictus in sua vesania pertinaciter perseverans, non deferens appellationibus abbatum praedictorum et conventus S. Mathiae praedicti, inhibitionem etiam apostolicam sibi ab executoribus praedictis factam vilipendens, processit de facto, cum de jure non posset, ad definitivam sententiam amotionis contra abbates praedictos. Quam sententiam Johannes, decanus S. Castoris in Confluentia, qui tunc erat officialis Trevirensis, dictavit et legit, ac eam in refectorio majoris ecclesiae publicavit.

(a) Aegidium S. Mariae: edit. Mart.
(b) Addit edit. Mart.: in crastino Dominicae qua cantatur Respice in me.

CAPUT CXXXVII.

Anno igitur Domini MCCLX tertio in die Sanctorum Marcelliani et Marci praefatus electus cum multitudine magna et manu armata venit ad monasterium S. Mathiae, ducens secum Wilhelmum de Meysenburch, monachum S. Maximini, nec non abbatem (a) totumque pene conventum ejusdem monasterii S. Maximini. In ipso autem impetu introitus electi, praecurrentes milites et ministri ipsius electi, nec non nobilis viri Walteri domini de Meysenburch, consanguinei dicti Wilhelmi monachi, cum (b) quatuor transgressoribus monachis praedictis, invadentes hostia turrium, violenter (c) ea infringentes, aperuerunt, ascendentesque monasterium et turres ipsius monasterii, sicut castra et aliae munitiones muniri solent et occupari, ita eas militibus, ministris, et cibariis, quorum ibidem magnam habundantiam repererunt, munientes occupaverunt.

Electus vero cum suo Wilhelmo de Meysenburch monacho veniens, eumque in choro in sede abbatis locans, postmodum etiam ipsum in capitulo in sede abbatis collocavit.

CAPUT CXXXVIII.

Cumque electus convocari fecisset fratres, volens inducere eos, ut dictum Wilhelmum monachum pro abbate recipientes, eidem tanquam abbati et pastori animarum suarum in spiritualibus et temporalibus intenderent et obedirent: omnes unanimiter ad ipsum venire recusabant, exceptis quatuor transgressoribus praedictis. Alii autem fratres communiter cum pueris intrantes chorum (d), lacrymabiliter et cum magna voce coeperunt clamare ad Deum, et cantantes antiphonam Media vita (e), projecerunt se proni in terram, dicentes orationes ad hoc debitas et consuetas. Cum autem in terra sic jacerent,

---

(a) Henricum a Duna.
(b) Male legit ed. Mart.: et quatuor &c.
(c) velociter: cod. Paris.
(d) Vide notas nostras ad hoc caput ad calcem voluminis.
(e) Media vita in morte sumus &c. &c. Male habet edit. Mart. in textu: media via.

nihil mali suspicantes (a), sed supernum auxilium implorantes: ecce unus de quatuor transgressoribus, qui erat super eos in turri super thronum (b), dimittens magnum lapidem, eum, qui collectam dicebat in choro, ipso jactu pene ceciderat; sicque de ipso jactu lapidum omnes fratres ipsius monasterii cum pueris coacti sunt miserabiliter et contemptibiliter exulare.

CAPUT CXXXIX.

Venientes igitur ad ecclesiam majorem, a praelatis et canonicis ipsius ecclesiae consilium et auxilium super eorum miserabili exilio petierunt. Qui benigne et laudabiliter ab eis recepti, ipsisque, ut dignum fuit, condolentes, in ipsa majori ecclesia antiphonam **Media vita** (c) cum debitis orationibus et campanis pulsatis, una cum eis, ob vindictam flebiliter (d) decantabant. Praelati vero et canonici praedicti videntes, et considerantes manifestam injuriam praedictis fratribus factam, et quod tam miserabiliter de ipsorum monasterio contra justitiam essent expulsi, miserti sunt eorum, assignantesque eis in ipsorum emunitate (e) habitationem laudabilem, et honestam unicuique ipsorum fratrum praebendam, tanquam uni de suis concanonicis (f), quamdiu ibidem essent, dari et assignari fecerunt de ipsorum reditibus et praebenda.

CAPUT CXL.

Interea dum fratres praedicti a sui monasterii habitatione ejecti, alibi commorantes demorarentur; domino Henrico electo bona et possessiones ipsorum extra monasterium sita per se et suos invadente, dictoque Wilhelmo monacho cum suis complicibus in ipsorum monasterio nefarie residente, cunctaque bona ipsorum in monasterio inven-

(a) sperantes: in edit. Mart.
(b) Sic omnes antiquiores Codd. Mss.; Mart. opinatur, legendum esse chorum; et Cod. Ms. Lind. legit: super eos in turri, omittens: super thronum (vel chorum).
(c) via: habet iterato ed. Mart.
(d) fideliter: edit. Mart. et Codd. Mss. recentiores.
(e) emunitas, i. e. Domfreyheit. Codd. recentiores legunt: curiis; in ed. Mart. legitur: dominio.
(f) canonicis: ed. Mart.

ta, quae in magna ubertate in ipsorum nefando introitu reperierunt, videlicet cellaria vino optimo, granaria plena frumento, omnesque ipsorum monasterii angulos, ut ipsos bene decebat, plenos utensilibus viliter (a) dissipante (b), in locis etiam divinis officiis deputatis chorizantes, ac ea pro lupanari et theatro reputantes, aliaque criminosa et detestanda, Dei timore postposito, ibidem exercentes, universa tam claustri quam monasterii ipsorum commoda et officinas subvertebant.

CAPUT CXLI.

Quadam etiam die, cum dictus Wilhelmus intrusus, cum suis complicibus in eorum malitia gloriantibus (c), se sic (d) gloriosum et sublimatum fore praesumeret, vocans ad se magistram sanctimonialium in Horreo sororem suam, cum aliis quampluribus ejusdem monasterii monialibus, eamque honorifice et cum magna pompa suscipiens, cum totam diem in epulis et choreis (e) transegissent, incumbentibus jam noctis tenebris, fessis prae nimia repletione omnibus, somnoque gravati, dum se sopori dedissent, nescio qua sinistra sorte accidente, domus, in qua decubuerant, incensa est, ita ut totius claustri structurae ex ipso incendio, nisi omnipotentis Dei misericordia intervenisset, consumtae penitus fuissent et adnichilatae.

In mane autem tota civitas de ipso incendio repleta est rumoribus; aliis dicentibus, quod propter ebrietatem Wilhelmi monachi intrusi et suorum ipsum monasterium pene totum fuerat exustum; aliis qui in monasterio erant e contra dicentibus, quod ipsi qui de monasterio ejecti fuerant et expulsi, ipsos cum monasterio incendere et concremare voluissent.

CAPUT CXLII.

His ita (f) transactis, fratres ejecti reliquias, ornamenta aliasque res monasterii sui, quas absconderant, perdere timentes, quosdam ex

---

(a) viriliter: sic nonnulli Codd. &c.; sed male.
(b) dispensante: ed. Mart. (c) gloriantes: ed. Mart. (d) et sic: ed. Mart.
(e) Manus recentior addit hic notam, teutonico idiomate scriptam, ad marginem codicis Ms. Francof., his verbis: Münch und Nunnendanz.
(f) itaque: nonnulli codd. et edit. Mart.

ipsis pro conservatione earum, ad monasterium transmittunt. Qui venientes nocturno tempore, monasterium ipsum furtive et subtiliter ingressi, corpus beati Mathiae Apostoli cum aliis reliquiis ab eis in locis monasterii sui secrete (a) absconsis, ut eas alibi tutius locarent, ad majorem ecclesiam infra muros civitatis Trevirensis, sicut ceteras reliquias fecerant, eadem nocte salvi evadentes detulerunt.

CAPUT CXLIII.

Inter haec inquisitores praedicti, in dicto inquisitionis negotio sine cessatione procedentes, electum praedictum undique fatigabant. Electus vero ex ipsa inquisitione timens sibi periculum imminere, cum videret, nulla ratione se posse effugere inquisitionem praedictam, cogitabat qualiter dominum papam et inquisitores per mendacia et trufas (b) infamans, inquisitionem aliquatenus posset retardare et impedire. Finxit igitur rumores, quos per interpositas personas apud fratres Praedicatorum et Minores fecit et procuravit occulte publicari; videlicet quod idem electus pecuniam, in qua Romanae ecclesiae tenebatur, propter quam etiam fuit excommunicationis vinculo innodatus, promptam haberet et paratam, eamque per mercatores Romanos, qui tunc juxta eum erant, ad Romanam curiam transmittere deberet, ipsaque pecunia sedi apostolicae persoluta, iidem mercatores beneficium absolutionis a domino papa obtinere deberent, eidemque electo ipsam absolutionem remittere incontinenti; sicque inquisitionis negotium penitus adnichilari debere, dictosque inquisitores, occasione hujusmodi inquisitionis, non commodum vel honorem, sed ad extremum opprobrium et confusionem reportare debere.

Cumque hoc ad domini papae pervenisset notitiam, ipse de tam detestabili et dolosa adinventione multum commotus, consilioque fratrum cardinalium super hoc habito, praefatis inquisitoribus iterato suas literas destinavit hanc formam continentes.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Wilhelmo „et Rorico fratribus ordinis Minorum, salutem et apostolicam bene„dictionem.

(a) secure: ed. Mart. (b) trufa i. e. fraus, nequitia, jocus.

„Saepe sagittant in occultis immaculatum dolosa labia detractor-„um; saepe venenum aspidum dampnabili calliditate diffundunt, ut „laedant calumniosis flatibus innocentem. Hic sunt, quos propria „vexat iniquitas, ut in agro bonarum mentium semina detractionis ef-„fundant. Ad horum inviis profecto non deviant; sed eorum annu-„merari numero promerentur, qui obloqui et scribere detrahendo prae-„sumunt, quod Henricum, qui se gerit pro Trevirensi electo, ab in-„quisitionis examine commisso vobis per literas apostolicas contra eum, „liberare proponimus, si pecuniam, in qua ecclesiae Romanae tene-„tur, duxerit persolvendam; qui etiam, ut audivimus, ad hujusmodi „mendacii promotionem adjiciunt, dictum Henricum pecuniam ipsam „habere paratam, ut verum esse, quod iidem asserunt, alii suspican-„tes, credant liberationem ipsius esse vicinam, et per hoc circa ne-„gotium inquisitionis ejusdem, quod laudabiliter incoepisse dicimini, „prosecutio vestra tepescat. Porro si non intendimus ipsi Henrico de-„bitum ecclesiae praedictae dimittere, non est praesumendum, quod „ob id in ipso velimus offendere Deum ultionum, eundem Henricum „liberando taliter (a) ab his, in quibus ipsum habere creditur (b) idem „Dominus debitorem.

„Novimus etenim, quod nos liberatio hujusmodi arctius obligaret, „dum ipsius peccata nobis imponeret contra nos, quod summopere, „quantum nobis ex alto permittitur, vitare intendimus in judicio de-„ferenda, colloque nostro ejus culpas annecteret (c), quas nostras per „hoc procul dubio faceremus. Nec opportet nos in negotio praefa-„to tepescere, praetextu debiti memorati, praesertim cum qualiscum-„que de ipso exitus habeatur, nichilominus tamen ad hujusmodi debi-„tum, nobis et (d) eidem ecclesiae Romanae, Trevirensis ecclesia „teneretur (e). Propter quod non est verisimile, quod inchoatam con-„tra eum intendamus prosecutionem justitiae praeterire; imo si plenam „domum argenti et auri nobis idem Henricus liberaliter expansis ma-„nibus largiretur, non pateretur nostra conscientia nos ipsius, qui „taliter diffamatur, dissimulare delictum, cum vitium Symoniae, quo

(a) talem: ed. Mart.
(b) credit: ib.
(c) avertere: ib.
(d) deest: et ib.
(e) tenetur: ib.

„publice dicitur irretitus, in ipso tanto amplius detestemur, quanto „ampliori eum benevolentia prosequi solebamus.

„Ideoque devotionem vestram rogamus et hortamur attente, per „apostolica scripta vobis in virtute obedientiae praecipiendo mandan„tes, quatenus aures ab hujusmodi mendaciis avertentes, in prae„dicto negotio juxta formam vobis traditam cum debita diligentia ce„leriter procedatis; ita quod non contingat ipsius peccata de vestris „requiri manibus, sed exinde sollicitudo vestra meritum sibi comparet „apud Deum, nosque illam commendare merito valeamus. Datum „apud Urbem-Veterem XV. Kal. Maji, pontificatus nostri anno secundo."

CAPUT CXLIV.

Verum cum tenor literae praedictae ad notitiam dicti electi pervenisset, ultra quam credi potest turbatus est. Videns autem omnem suam artem et industriam ad amotionem inquisitionis praedictae in nulla parte praevalere, omne impedimentum sibi factum dictis abbati et conventui S. Mathiae imputans, cum ipsum abbatem laedere non posset, erat enim idem abbas, sicut praediximus, in districtu domini ducis Lotharingiae bene securus, omnibus modis quibus potuit, et cogitavit et proposuit se in conventu, videlicet fratribus ejectis, vindicare.

Misit igitur literas suas per omnes parochias civitatis Trevirensis, inhibens omnibus civibus civitatis ejusdem sub poena excommunicationis, ne aliquis eorum praedictis expulsis fratribus, in ipsa civitate manentibus, aliquid mutuarent, vel concederent, vel in aliquo ipsis praesumerent subvenire. Fecit etiam vocari coram se scabinos civitatis, inhibens etiam et ipsis sub obtentu gratiae suae, ne aliquis eorum eisdem fratribus in aliquo contractu faciendo, mutuando vel concedendo aliquatenus subveniret. Unus autem scabinorum, qui tunc pro tempore ipsorum erat creditor, dicti monasterii S. Mathiae specialis amicus, sic dicitur electo respondisse coram omnibus, qui ibidem aderant praesentes: „Domine, etsi mihi inhibueritis, ut dictis „expulsis fratribus non concedam aliquid vel mutuem, tamen si eisdem „de bonis meis, mihi a Deo collatis, aliquid gratis volo dare vel

„impendere, non potestis nec debetis inhibere. Scire etenim debetis, „quod quamdiu praedicti fratres in exilio fuerint constituti, omnia „quae habeo vel habere potero, ipsis gratis dabo, et ad necessitatem „victus administrabo."

Audientes hoc omnes circumstantes mirati sunt de ipsius viri tanta constantia. Electus vero videns se in his coeptis non posse proficere, confusus est, nec talem (a) inhibitionem deinceps facere attentavit, ipsos tamen, ubicumque potuit, laesit et inquietavit.

CAPUT CXLV.

Istis autem per aliquod tempus sic durantibus, fratres ejecti saniori freti consilio, ordinaverunt inter se, ut duos de ipsorum consortio, qui sibi ad hoc expedire videbantur, ad sedem apostolicam destinarent, qui domino papae et cardinalibus rem gestam et processum ipsius electi per ordinem exponentes, qualiter ad suum monasterium restitui possent, consilium et auxilium a domino papa et cardinalibus praefatis implorarent.

Audiens autem dominus papa, qualiter idem electus ipsos, abbatem et conventum, non deferens appellationibus ipsorum, nec inhibitioni sibi a sede apostolica factae, ipsum abbatem per sententiam diffinitivam amoverat de facto, conventumque, qui eidem in hoc obtemperare noluerat, de sui monasterii habitatione violenter et contra justitiam ejecerat, commotus est; vocatisque cardinalibus, qualiter dictis abbati et conventui subvenire, qualiterque dicti electi insolentiam corrigere possent, deliberaverunt.

CAPUT CXLVI.

Habito igitur consilio, viris venerabilibus et discretis abbati S. Martini Glandariensis, et Johanni cantori ecclesiae Trevirensis, dominus papa direxit literas suas super ipso negotio, sub hac forma (b).

(a) nec tamen: edit. Mart.
(b) Non legitur haec bulla in Honth. Hist. Trev. diplom.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati „S. Martini Glandariensis, Metensis diocesis, et cantori ecclesiae „Trevirensis, salutem et apostolicam benedictionem.

„Quam (a) sit mundus positus in maligno et abundet iniquitatum „diluvium super terram, manifeste perpendit, qui prudenter advertit „perniciosos (b) excessus temporibus istis per viros ecclesiasticos, qui „altitudine loci et debito religionis alios ad bonum informare debuerant, „in civitate Trevirensi commissos. Dudum siquidem dilectis filiis, „fratribus Wilhelmo et Rorico de ordine Minorum, inquisitionem „contra Henricum, qui pro Trevirensi electo se gerit, per nostras „literas sub certa forma super diversis commisimus criminibus faci„endam; et cum iidem inquisitores ipsum Henricum propter hoc ad „suam praesentiam evocassent, idem (c) Henricus, qui tanquam male „sibi conscius, multipliciter inquisitionem hujusmodi nisus (d) est „hactenus, et adhuc nititur impedire.

„Ad excogitatam malitiam se convertens contra S. Mathiae et S. „Mariae ad Martyres Trevirensium (e) monasteriorum abbates, con„sanguineos alterius inquisitorum ipsorum, ut forte per hoc ejusdem „inquisitionis impediret processum, vel iidem abbates, per quos super „hujusmodi criminibus haberi poterat testimonium veritatis, se sub„traherent a ferendo testimonio (f) contra ipsum, aut eos ad hoc „inhabiles redderet; ad inquisitionem contra ipsos auctoritate propria „incoepit procedere super quibusdam criminibus, super quibus nulla „contra eos infamia laborabat, et in ipsos, quamquam idem Henricus „pro debitis, in quibus Romanae tenetur ecclesiae, foret excommu„nicationis vinculo innodatus, propter quod alios ligare non poterat, „vel contra eosdem abbates ad inquisitionem procedere, seu jurisdic„tionem aliquam exercere; excommunicationis sententiam promulgavit, „in clusionem mandati apostolici et scandalum plurimorum.

„Cumque id nostro esset apostolatui, fide dignorum assertione

(a) Codd. Eberh. Clus. et Lind. male habent: Quoniam sit mundus &c.
(b) per viciosos: erronee habet cod. Lind. (c) id est: male in ed. Mart.
(d) visus: male in ed. Mart. (e) Trevirenses: ed. Mart.
(f) testimonia: ed. Mart.

„veridica, reseratum, nos vobis per nostras literas dedimus in mandatis, „ut (a) hujusmodi processum et sententiam ipsius Henrici, denuntiantes penitus non tenere, ipsum, quod a simili eorumdem abbatum et „quorumlibet aliorum subditorum ecclesiae Trevirensis gravamine omnino desisteret, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, „appellatione postposita, cogeretis. Injuncto nichilominus vobis, ut „si dictus Henricus propter hoc in abbatias monasteriorum ipsorum „aliquos intrusisset, intrusos hujusmodi amoveretis sine difficultate „qualibet ab eisdem, ipsis abbatibus ad abbatias ipsas plenarie restitutis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus esset, auxilio brachii „saecularis.

„Licet autem processum per dictum Henricum contra ipsos abbates in hac parte habitum, juxta formam vobis traditam, nuntiavissetis irritum et inanem, ac ipsum Henricum earundem literarum auctoritate monueritis diligenter, ut a qualibet super hoc ipsorum molestatione (b) desistere procuraret; in eum, si secus faceret, excommunicationis sententia promulgata (c). Ipse tamen conceptam nequitiam „in opus perducens, quadam die, cum ex more ad dictum monasterium „S. Mathiae, devotionis causa, civium et populi Trevirensis confluerct „multitudo, quosdam satanae satellites cum hujusmodi multitudine „dolose dicitur submisisse, qui orationis praetextu ipsum monasterium „fraudulenter ingressi, tandem turres ipsius, in quibus campanae pendebant, favente custode, proditorie ascenderunt, sicque munitionibus „ejus captis, abbate quoque dicti monasterii extra idem monasterium „pro ipsius negotiis tunc agente, monachos ibidem inventos exinde „cum lapidibus ausu sacrilego ejecerunt, illo, qui collectam in choro „dicebat, ex hujusmodi jactu lapidum fere peremto. Ac protinus „subsequens eos dictus Henricus, Wilhelmum monasterii S. Maximini „Trevirensis dicti ordinis, infamem, discolum et perversum, in ejusdem monasterii S. Mathiae abbatem intrudens, et administrationem

(a) in hujusmodi &c.: codd. Eberh. Clus. et Lind.
(b) ut a quolibet &c. molestationem: quidam codd.
(c) et eum, &c. excommunicaveritis &c.: edit. Mart.

„praedicti monasterii S. Mariae ad Martyres Aegidio ipsius monas-„terii monacho de facto committens, dictos monachos in conventu „ipsius monasterii S. Mathiae collectos, exhortationibus et minis la-„boravit inducere, ut eundem pro abbate habentes, ei ut abbati et „pastori animarum suarum in spiritualibus et temporalibus obedirent. „Sed ipsi super hoc obtemperare nolentes eidem, sicut etiam non „debebant, ad Trevirensem ecclesiam, ut in capitulo Trevirensi super „his querelam deponerent, accesserunt; et tandem ad ipsum monas-„terium S. Mathiae, cum essent ejus turres armatis munitae, redire „non irrationabiliter formidantes, dispersi et profugi coacti sunt, ex-„tra ipsum monasterium S. Mathiae miserabiliter exulare: sicque dic-„tum monasterium, quod in illis partibus, et in tota Germania, velut „religionis speculum, in spiritualibus et temporalibus florere solebat, „abbatis regimine ac debitis monachorum obsequiis destitutum, jacet „totaliter desolatum, et Henrico et Wilhelmo intruso praedictis pro-„digalitate continua dilapidantibus bona ejus, abbas ipse una cum eis-„dem monachis cogitur contemtibiliter exulare.

„Sane quam sit praesumtuosus et detestabilis excessus hujusmodi, „instituta canonica manifestant, quae inter alia jubent praesulem, qui „scienter in locum viventis se intrudi permisit, ei tradi cujus locum „noscitur occupasse, ab ipso in custodia detinendum, vel transmitten-„dum ad sedem apostolicam per eundem.

„Quia igitur latum pandit delinquentibus sinum, qui non condemnat „errata (a); discretioni vestrae per apostolica scripta, in virtute obe-„dientiae et sub poena excommunicationis, districte praecipiendo man-„damus, quatenus vos vel alter vestrum super his de plano et sine „judiciorum strepitu, veritate comperta, dictos abbates quoad omnia „ad eum statum reducere studeatis, in quo erant, quando praedictus „Henricus coepit inquirere contra eos, ipsum abbatem monasterii „S. Mathiae, ac ejus monachos praedictos (b) in possessionem ejus-„dem monasterii S. Mathiae, et omnium pertinentiarum ejus quantocius „reducendo, ac restituendo abbati praedicto (c) ipsius monasterii S.

(a) peccata: pessima lectio cod. Lind. (b) Priorem et monachos: edit. Mart.
(c) praedicta: erronee edit. Mart.

„Mariae praedictam administrationem ejusdem, et Aegidio ac Wilhelmo „intruso et occupatoribus praedictis ab ipsis prorsus amotis, faciatis „dictis abbatibus restitui universa, quae Henricus, Aegidius, Wilhel-„mus intrusus et occupatores praedicti de bonis ipsorum monasterio-„rum quomodolibet habuerunt. Et quia sine culpa non possemus circa „hujusmodi culpam intrusi praedicti relaxare vindictam; volumus, et „sub eisdem virtute ac poena districte vobis injungimus, quatenus „ipsum intrusum in praedicto suo monasterio arctae custodiae retru-„datis (a), ac eum tunc demum, cum per condignam poenitentiam ex-„piaverit tantum crimen, conventus ejusdem monasterii sui consortio „restitutum, faciatis in choro et capitulo ultimum perpetuo permanere. „Et si super hoc ejus abbas et conventus se nimium difficiles redde-„rent, ipsum Wilhelmum intrusum in alio monasterio ejusdem ordinis „vicinarum partium, juxta praemissum modum retrudere studeatis, con-„stituentes, eum esse ineligibilem ad administrationes ordinis cujuscumque.

„Ad hoc universitatis (b) Trevirensis, et principum, baronum, „ac militum illarum partium, auxilium invocando; non obstante ap-„pellatione, quam Henricus et Wilhelmus intrusus praedicti, a vobis „dicuntur ad sedem apostolicam emisisse, cum tales audiri non sole-„ant nec debeant appellantes; contradictores per censuram ecclesi-„asticam, appellatione postposita, compescendo. Et quia dictus Hen-„ricus sententiam excommunicationis per vos in eum, ut praedicitur, „(c) promulgatam, quam incidisse dicitur, damnabiliter, ut intelleximus, „vilipendit: volumus et mandamus, ut si eum sententiam ipsam incur-„risse constiterit, et ipsam per tres menses sustinuerit animo indurato, „ipsum singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et „candelis accensis, per omnes civitates et loca, in quibus videritis „expedire, usque ad satisfactionem condignam excommunicatum pub-„lice nuntietis, et faciatis ab omnibus arctius evitari: aggravaturi (d) „hujusmodi sententiam contra eum, prout ejus proterviam videretis „promereri; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione

(a) retradatis: edit. Mart. (b) i. e. civium communitas.
(c) per nos in eum, ut dicitur: quidam codd. Vid. Cap. 135.
(d) aggravantes: ed. Mart.

„postposita, compescendo. Datum apud Urbem-Veterem, tertio No-„nas (a) Septembris, pontificatus nostri anno secundo.“

CAPUT CXLVII.

Executio vero judicum praedictorum, scilicet viri religiosi Johannis Dei gratia abbatis S. Martini Glandariensis, Metensis diocesis, et viri honorabilis Johannis cantoris ecclesiae Trevirensis talis est (b).

„Licet igitur contenta in dicto authentico essent notoria et ma-„nifesta, ita quod non poterant celari aliqua tergiversatione in civi-„tate, diocesi, et in tota provincia Trevirensi: volentes tamen nichilo-„minus super contentis in eo inquirere veritatem, Wilhelmum de „Meysenburch, monachum S. Maximini Trevirensis, qui monasterium „S. Mathiae Trevirensis detinet occupatum, citari fecimus ad certam „diem, ad quam quemdam cum mandato transmisit procuratorem, non „ut se defenderet, sed ut nostro judicio illuderet. Fuit enim dictus „procurator pro offensa manifesta excommunicatus, et publice in ci-„vitate Trevirensi excommunicatus denuntiatus (c), propter quod ipsum „non duximus admittendum. Et quia dictus Wilhelmus monachus „per totam diem sibi assignatam, et in sequenti usque ad horam „sextam expectatus, per se vel per procuratorem idoneum non com-„paruit; Theoderico abbate S. Mathiae Trevirensis per procuratorem „legaliter institutum, et Engelberto Priore dicti monasterii S. Mathiae „pro se et conventu ejusdem monasterii coram nobis comparentibus, „et quantum debuerunt expectantibus: ideo dictum Wilhelmum mona-„chum reputavimus contumacem, et ejus contumacia non obstante, testes „duximus recipiendos, super negotio nobis demandato. Et cum ipso-„rum dicta publicassemus, et diem ad definiendum assignassemus, „cum semper dictus Wilhelmus monachus per contumaciam esset „absens, Dei praesentia ejus absentiam replente, cum omnia, quae „in mandato apostolico continentur, invenerimus esse vera; Theode-

---

(a) Brow. habet (l. c.): tertio Cal.

(b) Executio vero judicum et mandati praedicti talis est: sic cod. ms. Francof.

(c) denuntiatus: deest in edit. Mart.

„ricum abbatem dicti monasterii S. Mathiae, et Robertum abbatem „S. Mariae ad Martyres, per diffinitivam sententiam reducimus in om- „nibus in eum statum, in quo erant, quando praedictus Henricus electus „Trevirensis incoepit inquirere contra eos. Ac ipsum Theodericum „abbatem, priorem et monachos in possessionem ejusdem monasterii „S. Mathiae, et omnium pertinentiarum ejus restituimus in omnibus, „nec non Roberto abbati monasterii S. Mariae ad Martyres adminis- „trationem similiter restituimus ejusdem, et Wilhelmum monachum „a dicto monasterio S. Mathiae, et Aegidium de Manderscheit mo- „nachum monasterii S. Mariae praedicti (a) ab administratione ejusdem „sententialiter amovemus. Item Wilhelmum monachum praedictum „constituimus esse ineligibilem ad administrationem ordinis cujuscum- „que. Item eidem Wilhelmo monacho intruso in dicti monasterii S. „Mathiae abbatiam, firmiter injungimus, ut usque ad festum beati „Martini hiemalis proximo venturum, monasterio (b) S. Mathiae dicto „Theoderico abbati et monachis ipsius dimisso, ad S. Maximini mo- „nasterium, cujus monachus existit, revertatur. Et decernimus eum „arctae custodiae mancipandum in ipso monasterio S. Maximini, donec „expiaverit per condignam poenitentiam tantum crimen in praedicto „monasterio S. Mathiae commissum; ac ipsum Wilhelmum monachum „decernimus in conventus sui monasterii S. Maximini consortio, „in choro et capitulo ultimum perpetuo permanere. Et si super hoc „abbas et conventus S. Maximini se nimium difficiles redderent, dic- „tum Wilhelmum monachum in alio monasterio ejusdem ordinis vici- „narum partium, videlicet civitatis, diocesis, aut provinciae Treviren- „sis, juxta praemissum modum, decernimus retrudendum.

„Item supra dictum Wilhelmum monachum intrusum, et Walte- „rum de Meysenburch, filium fratris ipsius Wilhelmi, qui per se et „suos dictum monasterium S. Mathiae detinent (c) occupatum, ad fa- „ciendam restitutionem omnium ablatorum, a die qua dictus Wilhel- „mus fuit intrusus in dictum monasterium S. Mathiae, quorum ablato-

---

(a) monasterii S. Mariae ad Martyres monachum praedicti: sic edit. Mart.

(b) monasterii: edit. Mart., sed male.

(c) detinet: edit. Mart.

„rum summa est quinque millia marcarum denariorum Coloniensium, „quae ad ipsos et occupatores eorum pervenerunt, sicut nobis con„stat per praedictorum Theoderici abbatis et conventus juramentum, „in eisdem quinque millibus marcis ipsis Theoderico abbati et con„ventui (a) sententialiter condemnamus."

Lata est haec sententia in ecclesia Trevirensi, feria tertia post festum omnium Sanctorum, continuata a die praecedenti in eandem, praesentibus viris venerabilibus Symone majore praeposito et archidiacono Trevirensi; Roberto abbate Mediolacensi, ordinis S. Benedicti, Trevirensis diocesis; Friderico abbate Villariensi, ordinis Cisterciensis, Metensis diocesis, multisque aliis praelatis et canonicis et clericis et laicis Trevirensibus, anno Domini MCCLXIII.

CAPUT CXLVIII.

Cum autem tenor sententiae supradictae ad notitiam dicti electi pervenisset, induratum est cor Pharaonis, nec hac quidem vice filios Israel, qui erant dispersi et profugi, videlicet abbatem et conventum S. Mathiae, restituere nec revocare curavit.

Videns etiam papa dictum electum in sua pertinacia perseverare, scripsit suffraganeis ecclesiae Trevirensis contra dictum electum sub tali forma (b).

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus „universis, episcopis suffraganeis Trevirensis ecclesiae, gratiam et „communionem apostolicae sedis (c) habentibus, ac dilectis filiis ab„batibus, prioribus, decanis, archidiaconis, conventibus et capitulis, „rectoribus, canonicis et clericis ecclesiarum provinciae Trevirensis „salutem et apostolicam benedictionem.

„Henricus, gerens se pro electo Trevirensi, propter detestabilem „excessum, quem contra dilectos filios S. Mathiae et S. Mariae ad „Martyres monasteriorum Trevirensium abbates, superbae temeritatis

(a) Supplendum: restituendis.
(b) Sequens bulla non legitur in Honth. Hist. Trev. diplom.
(c) ecclesiae apostolicae: edit. Mart.

„ausu, commisit, et ut (a) asseritur, in locum ipsius abbatis S. Ma-„thiae, post inhibitionem auctoritate literarum nostrarum sibi factam, „Wilhelmum de Meysenburch monachum S. Maximini Trevirensis, „temeritate propria, intrudendo, et administrationem ejusdem mo-„nasterii S. Mariae cuidam illius monasterii monacho illusorie commit-„tendo, in excommunicationis sententiam, si contra inhibitionem veni-„ret hujusmodi, auctoritate literarum ipsarum rite prolatam dicitur „incidisse.

„Cum igitur eum excommunicatum denuntiari, praemissis veris „existentibus, mandemus, et ab omnibus usque ad satisfactionem con-„dignam arctius evitari et aggravari hujusmodi sententiam contra ip-„sum, prout ejus protervitas videbitur promereri; universitatem ves-„tram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis „scripta districte praecipimus mandantes, quatenus ad requisitionem „judicum, quibus denuntiationem hujusmodi committendam duximus, „vel subdelegatorum suorum, dictum Henricum tanquam excommuni-„catum arctius evitetis, et faciatis vos episcopi et archidiaconi a „vestris subditis evitari. Alioquin sententiam, quam iidem judices in „vos propter hoc rite protulerint, ratam (b) habebimus, et faciemus, „auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione „remota, inviolabiliter observari. Datum apud Urbem Veterem, Idus „Septembris, pontificatus nostri anno tertio."

CAPUT CXLIX.

Verum praedictus Wilhelmus monachus sentiens et intelligens, quod non per longum tempus posset stare in monasterio S. Mathiae praedicto; praesertim cum videret cottidie et audiret, nova mandata diversis personis contra ipsum pro dicto Theoderico, abbate S. Mathiae, scribi et destinari: cogitavit in corde suo et proposuit, quod per varios contractus et mutuationes (c) ipsum monasterium ad talem statum vellet deducere, quod si etiam Theodericus abbas et conventus

---

(a) ut: deest ap. Mart. (b) Nonnulli codd. et edit. Mart. legunt: ratas.
(c) mutationes: edit. Mart.

S. Mathiae praedicti aliquando restituerentur [quod etiam verebatur (a)], ipsum monasterium tantis invenirent debitis obligatum, quod usque in perpetuum nunquam a debitorum onere posset relevari.

Quod cum domino papae significatum fuisset, volens dicto monasterio super hujusmodi contractibus faciendis praecavere, domino abbati S. Martini Glandariensis super hujusmodi contractibus suas literas direxit sub hac forma.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati S. „Martini Glandariensis, salutem et apostolicam benedictionem.

„Res nimis horrida nostris sensibus, et quae justae indignationis „zelo viscera nostra commovit, nuper nostrarum aurium molestavit „auditum, insinuato nobis, quod Henricus, qui pro Trevirensi electo „se gerit, quasi glorietur cum male fecerit, et in rebus pessimis de„lectetur, dilectum filium Theodericum abbatem monasterii S. Mathiae „Trevirensis, ordinis S. Benedicti, non sine multa praesumtione de „ipsius monasterii abbatia removit, et quendam monachum nomine „Wilhelmum, suae, ut creditur, pravitati conformem, in locum ejus„dem abbatis intrusit: et quod dictus intrusus ab iniquis ipsius Hen„rici actibus non declinans, et sciens quod modicum tempus habeat, „bona dicti monasterii vendit, obligat, distrahit, concedit, alienat, et „tanquam ille, cui non est cura de talibus, indifferenter pro sua vo„luntate consumit.

„Nos igitur indemnitati ejusdem monasterii providere salubri re„medio, et perversorum obviare malitiis cupientes; discretioni tuae „per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes venditiones, obli„gationes, distractiones, concessiones et alienationes hujusmodi factas „vel faciendas, seu quoscumque contractus (b) cujuslibet alterius ge„neris, super rebus vel bonis ejusdem monasterii per dictum intrusum „praesumtos, vel in posterum praesumendos cum quibuscumque perso„nis, adjectas quoque poenas in eis et interposita juramenta seu scrip„turam quamlibet inde confectam, denunties auctoritate nostra, in locis „in quibus expedire videris, et per alium seu alios denuntiari facias,

(a) verebantur: quidam codd. mss.
(b) tractatus: sic cod. Eberh. Clus. et edit. Mart.

„aliquatenus non tenere, ac nullius omnino existere firmitatis; con„tradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, „compescendo, non obstante aliqua sedis apostolicae indulgentia, per „quam effectus praesentium impediri valeat vel differri. Datum apud „Urbem-Veterem XII. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno tertio."

CAPUT CL.

Cum igitur praedicta litera per abbatem S. Martini Glandariensis praefatum executioni fuisset demandata, et hoc ad Wilhelmi intrusi notitiam pervenisset, turbatus est et confusus, videns, quod dominus papa sibi in omnibus adversaretur. Praeterea dominus papa omnibus (a) fidelibus ecclesiae Trevirensis, universitati et scabinis civitatis Trevirensis literas suas direxit, continuentes hunc tenorem.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis omnibus „fidelibus ecclesiae Trevirensis, scabinis et universitati Trevirensi, „salutem et apostolicam benedictionem.

„Quoniam timorem Domini et zelum ad ecclesiasticam libertatem „mentibus vestris infusos esse didicimus, vobis cum fiducia porrigi„mus preces illas, quae beneplacito divino concordant, et defensio„nem implorant ecclesiasticae libertatis. Sane inter alia, quae men„tem nostram sauciant, non minimum exasperat ipsam horrendus „excessus, superbae temeritatis ausu commissus, contra dilectos filios „S. Mathiae et S. Mariae ad Martyres monasteriorum Trevirensium „abbates, ordinis S. Benedicti, per Henricum, se pro electo Trevi„rensi gerentem, qui in locum ejusdem abbatis monasterii S. Mathiae, „damnabili praesumtione, quemdam intrusisse, et ejus conventum ex„ulare compellere dicitur; administrationem dicti monasterii S. Mariae „cuidam ejusdem monasterii monacho committendo.

„Cum itaque super hoc dilectis (b) filiis abbati S. Martini Glan„dariensis, Metensis diocesis, et cantori Trevirensi nostras sub certa „forma literas dirigamus, universitatem vestram attente requirimus et

(a) Edit. Mart. legit: turbatus est et confusus: quod videns dominus papa, omnibus &c. &c.

(b) dictis: edit. Mart.

„rogamus, quatenus pro nostra et apostolicae sedis reverentia, super „hoc ad (a) eorumdem judicum requisitionem opportunum ac debitum „auxilium largiri curetis; ita quod vobis mediantibus super correctio„ne tanti excessus nostris beneplacitis satisfiat, et nos vobis prop„ter hoc speciales gratias referamus. Datum apud Urbem-Veterem „V. Idus Septembris, pontificatus nostri anno tertio."

CAPUT CLI.

Inter haec fratres, qui, ut superius diximus, a domino abbate et fratribus ad sedem apostolicam missi fuerant, reversi sunt, negotio suo pro quo ierant, favente divina clementia, secundum voluntatem ipsorum bene et optime peracto. Venientes autem et procedentes secundum tenorem literarum, quas a dicta sede tulerant, nec non sententiam delegatorum sedis ejusdem, videlicet abbatis S. Martini Glandariensis, et cantoris ecclesiae Trevirensis, ipsam excommunicationis sententiam in Henricum electum, Wilhelmum monachum intrusum, et in omnes complices, fautores et adjutores eorum, per omnia monasteria et parochias civitatis, nec non totius diocesis Trevirensis promulgari et publicari fecerunt. Vocatis etiam (b) scabinis et civibus civitatis Trevirensis, humiliter ipsos deprecabantur, ut ob reverentiam omnipotentis Dei et gloriosi Apostoli Mathiae sedisque Romanae, sicut in mandatis ab ipsa sede acceperant, malefactores praedictos, videlicet Wilhelmum intrusum omnesque sibi faventes, qui ipsum monasterium beati Mathiae Apostoli detinebant occupatum, brachio seculari ab ipso monasterio S. Mathiae, quod inique possidebant, ejicere et expellere niterentur.

CAPUT CLII.

Quod intelligens electus praefatus, timensque sibi ex hoc ingens periculum imminere, mandavit Wilhelmo intruso suisque complicibus ut monasterio S. Mathiae dimisso, ad suum monasterium, videlicet S. Maximini, de quo venerant, incontinenti redirent. Qui primo man-

(a) super hoc et eorundem &c.: edit. Mart.

(b) autem: edit. Mart.

dato electi obedire contemnens, ibidem permansit. Electus vero videns sibi majus periculum occurrere posse ex temeraria dicti Wilhelmi monachi praesumptione, secundo et tertio mandavit ei sub obtentu gratiae et honoris sui, ut cederet loco (a). Satellites vero Wilhelmi praedicti cernentes et considerantes, quod mandatis et praeceptis dicti electi diutius resistere non possent, ipsosque in dicto monasterio S. Mathiae nulla ratione posse permanere, unus post unum recedens, tandem se singuli furtive subtrahentes, paulatim pene omnes abierunt. Videns autem Wilhelmus monachus intrusus suique satellites et fautores, qui adhuc secum erant, ipsos in ipso monasterio aliquatenus non posse stare, quodque famuli sui de ipso monasterio furtive fugientes recessissent, eosque omnibus modis cedere oportere, confusi, nimiumque territi et turbati, cogitaverunt et proposuerunt, omnia bona fratrum ejectorum, quae infra monasterium erant, dissipare et adnichilare.

Cyppum igitur, qui retro tumbam beati Mathiae Apostoli stabat, in quem fideles elemosynas suas projicere consueverant, confringentes aperuerunt, et quidquid in ipso invenerunt, totaliter abstulerunt. Sed et candelis magnis, quae in monasterio ante tumbam et altare dicti Apostoli stabant, depositis et confractis, loco earumdem candelarum ligneos truncos coloratos ad instar candelarum reposuerunt, et tali arte simplices homines decipientes et illudentes, eum, cui occulta cordium manifesta sunt, fallere non potuerunt.

Quod cum fratribus expulsis, multorum relatione veridica, innotuisset, non modicum contristati, nec sibi bene conscii quid ipsis super hoc esset faciendum, unanimi consilio ad majorem praepositum, qui erat frater carnalis praedicti abbatis, caeterosque praelatos ecclesiae Trevirensis accedentes, lacrymabili voce consilium et auxilium super his, quae in monasterio ipsorum fiebant, humiliter postulabant.

CAPUT CLIII.

Audientes autem praelati et canonici omnia enormia et execranda, quae in jam dicto S. Mathiae monasterio committebantur, ultra quam

---

(a) secundo et tertio m a n d a t o ei sub &c. &c. ut cederet loco p r a e c e p i t: edit. Mart.

credi potest territi et turbati, fecerunt convocari omnes praelatos et canonicos civitatis Trevirensis ecclesiarum, nec non omnes scabinos, cunctosque cives civitatis Trevirensis, quos poterant habere meliores, et majorem campanam pulsare jusserunt, ut convenirent pusilli cum majoribus, audituri quidnam hoc esset.

Quibus convenientibus, major praepositus, qui tunc inter omnes praelatos Trevirenses senior erat et facundior, taliter exorsus, ait: „O vos Christi fideles, flete intimo cordis suspirio, quoniam merito „flere debetis miserabilem subversionis conculcationem magni patroni „totius Alemanniae, atque ejus basilicae immanem evulsionem ab in„fidelibus malefactoribus perpetratam, videlicet Wilhelmo intruso suis„que complicibus, qui velut lupi rapaces et bestiae, quos fidelium „humanitas sustinere non deberet, sanctissimum locum plurimorum „Sanctorum et praecipue ipsius Apostoli Mathiae defoedantes penitus „destruunt et adnichilant; per quem locum tota civitas Trevirensis „honore, nomine, et rebus ditata esse cognoscitur, immo totius Ale„manniae regio honorata est et ornata."

CAPUT CLIV.

Audientes autem hanc querimoniam cives praedicti, miseratione moti sunt in tantum, ut vix a strepitu furoris in malefactores praedictos revocari possent, accurrentesque omnes, tam magni quam parvi, tam senes quam juvenes, arma sua apprehenderunt; Wilhelmum enim intrusum suosque complices et fautores de praefato monasterio S. Mathiae, ipsos graviter laedendo, dejicere et expellere proposuerunt.

Quod videntes quidam de civibus praedictis, partem electi praedicti foventes, deprecabantur populum, ut, modicum temporis iram suam mitigantes, a tali impetu vellent desistere, quousque ipsi dicto electo super ipso facto modicum loqui possent; ut, si ipse electus vellet et valeret (a), ipsos malefactores pacifice loco cedere, ne strages aliqua inter ipsos fieret, demandaret. Inter haec nuntiis plurimis

(a) et valeret: deest in cod. Paris.

ad inveniendum (a) ipsos currentibus, audito sono magnae campanae prae nimio timore (b) turbati et territi malefactores praedicti, et nuntiis diversis a suis familiaribus perceptis, quia timebant se a communi populo debellandos, et interficiendos (c), fugam viriliter, sicut latrones, per devia, nec vias rectas, capientes, nemine ipsos persequente, inierunt; et tanquam fures et sacrilegi, tabulam pretiosam, in quam plurimorum Sanctorum reliquias auro et argento atque multis pretiosis gemmis condiderant (d) et reponi artificiose fecerant; calices quoque et libros, ac universa ornamenta monasterii, quae invenerant, beatum etiam Mathiam Apostolum omnesque Sanctos Dei ibidem requiescentes denudando, vindictam divinam non verentes, detulerunt, eaque in castris Meysenburch et Falconis-petra (e), in comitatu Lucenburgensi sitis, locantes, absconderunt.

CAPUT CLV.

His etenim (f) omnibus sic peractis, altera die electus praefatus convocans fratres monasterii S. Mathiae ejectos, in suum palatium eos ad se venire rogavit, cum quo abbates ejusdem ordinis S. Benedicti in Treviris, ac alii abbates ordinis Cisterciensis (g), et clerici atque alii quamplures viri providi et discreti erant ipsa die in palatio. Qui (h) videlicet fratres praedicti volentes in hac parte mandatis dicti electi obedire, omnes qui tunc praesentes aderant, ante conspectum suum convenerunt, audituri quid sibi vellet haec convocatio eorum tam repentina.

Quos cum electus praefatus ad se taliter venire conspexisset, tristitia repletus eorumque constantiam admiratus, sic eos allocutus

(a) Quidam codd. et edit. Mart. habent: muniendum.
(b) praevio terrore: cod. Paris.
(c) Nonnulli codd. habent: debellaturos et interfecturos.
(d) condierant: edit. Mart.
(e) Castrum Falkensteinium: in confinio comitatus Viandensis, territorii Luxemburgensis.
(f) itaque: edit. Mart.
(g) cum quo abbates ejusdem ordinis (et) Cisterciensis: corrupta lectio edit. Mart.
(h) Quibus: male habet edit. Mart.

est: „Fratres karissimi, scitote me non modicum contristari, nec non „et satis moestum esse, quia fateor, quod immerito et indebite, meo „annuente consensu, in tantum vos extitistis gravati et turbati: quod „nunc me fecisse et annuisse doleo, et quamdiu vixero, poenitebo." His et aliis pluribus verbis mitigatoriis consolans eos, se spopondit, procedente tempore, de hujus fatigationibus ipsorum damna refundendo ipsis emendaturum. Cum magna etiam instantia ipsos deprecabatur humiliter, ut ipsum certis (a) promissionibus, fide data, assecurarent, ne postmodum periculum aut gravamen aliquod ab eorum abbate, sive ab eis, vel ab ipso, quod in eorum monasterium alium intruserat illicite pro abbate ipsorum, favente voluntate et consensu ejus, incurreret; sed ipsum, ubicumque possent, de hujusmodi periculo tuentes defenderent et praemunirent. Qui singulariter fide data, sic se facturos pro suo posse promiserunt.

Istis vero, ut praehibitum est, peractis, fratres expulsi de praedicti sui monasterii habitatione jam a festo Pentecosten usque in diem Clementis papae subequentem, ipso die, testimonio proborum virorum nobilium et discretorum, quos, ut eorum damnum et sui monasterii dilapidationem factam aestimarent, deduxerunt, cum magno comitatu praelatorum et aliorum hominum sequentium, feliciter et gaudenter sunt ingressi. Qui cum sic essent in suum monasterium ingressi, commutatis omnibus hostiis et fenestris universarum domorum, claustri et monasterii atque capituli, totum locum suum per omnes angulos claustri, utpote stabulum aut aream (b) porcorum foedatum, consumtisque omnibus victualium suorum redditibus, delatis omnibus ornamentis, subversisque (c) omnibus in tantum, ut vix servorum (d) multitudine per multum tempus mundari et expurgari posset, reperierunt.

CAPUT CLVI.

Praedictis igitur fratribus in suum monasterium, ut dictum est, regressis, et amodo (e) ab istiusmodi impetu quiescere sperantibus;

(a) certum: ed. Mart. (b) Plures codd. mss. habent: aram.
(c) subversisque: deest in cod. Paris. (d) suorum: Mart.
(e) omnimodo: ibid.

electus vero praefatus a summo pontifice ad suam praesentiam saepius citatus, sed minime comparens, postremum cum diutius differre non auderet (a), timens sibi majus periculum imminere, ad eandem sedem se cum suis ire disponens, tandem in festo beati Nicholai hiemalis, citationem proxime subsequenti, iter est aggressus. Quod cum abbati S. Mathiae praedicto innotuisset, qui adhuc propter praesentiam electi nondum in suum monasterium intraverat, timens ne ab ipso magis gravaretur; electo in suo itinere agente, idem abbas in festo beatae Barbarae proximo subsequenti, cum magna multitudine clericorum et militum, atque aliorum quamplurium honestorum virorum consanguineorum et amicorum suorum, qui de suo ac aliorum fratrum exilio jam dudum moesti et tristes extiterunt, reverti ad suum monasterium laborabat.

Hic dum per terram et districtum ducis transiens sic adveniret, universi civitatis Trevirensis praelati, canonici, clerici, et monachi, nec non scabini, et cives ejusdem urbis, una cum sui monasterii fratribus eidem occurrentes, honorifice susceperunt, et gaudenter in sua deduxerunt; praedictique judices ipsum cum magna solempnitate, sicut in mandatis a sede apostolica acceperant, gloriose restituerunt.

CAPUT CLVII.

His vero omnibus sic peractis, abbas et fratres praenominati de perditione rerum suarum, atque aliorum omnium ornamentorum sui monasterii, nec non tabulae eorum pretiosae non modicum contristati, quoniam tanquam exules, omnibus rebus spiritualibus et temporalibus omnino spoliati, fuerant reversi; in omnibus monasteriis et ecclesiis et conventibus, tam in parochialibus ecclesiis civitatis Trevirensis, quam etiam in aliis monasteriis et ecclesiis totius diocesis Trevirensis, in quocumque locorum malefactores suos ac rerum suarum detentores invenire poterant vel investigare, ipsos per literas apostolicas procurabant excommunicari, et in omnibus locis publice et incessanter denuntiari excommunicatos.

(a) audiret: mala lectio cod. Paris.

CAPUT CLVIII.

Quod cum saepe dictus Wilhelmus monachus ejectus cerneret, se et suos a dictis abbate et conventu excommunicationum sententiis undique fatigari et impugnari, nec aliquo alio modo se ac sibi adhaerentes ab hujusmodi impetitionibus tueri valeret, et sciens se non posse in parte aliqua praevalere: idem Wilhelmus quaedam instrumenta reprobata nec justa, tamen bullata nescio qua sinistra sorte, per electum Trevirensem, qui tunc in curia erat, procurata sibique transmissa exhibuit, quorum tenor talis est.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio decano „ecclesiae S. Castoris in Confluentia, salutem et apostolicam bene„dictionem.

„Sua nobis abbas Wilhelmus monasterii S. Mathiae Trevirensis, „ordinis S. Benedicti, petitione monstravit, quod cum Theodericus „quondam abbas ipsius monasterii dilapidaret bona ejusdem monasterii, „et homicidio, incontinentiae vitio, et aliis diversis criminibus irreti„tus, et super his publica infamia laboraret; dilectus filius Treviren„sis electus, cui de praemissis per inquisitionem super hoc habitam „legitime constitit, eundem Theodericum auctoritate ordinaria senten„tialiter amovit a regimine dicti monasterii, justitia exigente, ac ipsum „Wilhelmum tunc S. Maximini monachum, prout ad eum pertinet, „praefecit praelibato monasterio canonice in abbatem. Verum prae„dictus Theodericus falso asserens, quod idem electus ipsum sine „causa rationabili amoverat a regimine dicti monasterii pro suae libito „voluntatis, nostras super hoc ad cantorem, et Theobaldum dictum de „Turre, canonicum Trevirensem, sub certa forma literas impetravit, „nullam de amotionis suae causa facientes penitus mentionem. Iidem „vero cantor et canonicus in eum Wilhelmum non monitum, non ci„tatum, nec se per contumaciam absentantem, occasione hujusmodi „excommunicationis sententiam contra justitiam promulgaverunt (a). „Propter quod praefatus Wilhelmus, quam cito id ad ipsius pervenit „notitiam, ad nostram duxit audientiam appellandum. Quocirca dis„cretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui

(a) promulgavit: ed. Mart.

„fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fue-„rit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per cen-„suram ecclesiasticam firmiter observari. Datum apud Urbem vete-„rem V. Idus Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.“

CAPUT CLIX.

Decanus igitur S. Castoris in Confluentia praedictus, voluntarius existens et promptus ad exequendum mandatum sibi directum, erat enim totus pro parte electi Trevirensis, incontinenti fecit citari coram se apud Confluentiam ad certam diem Theodericum abbatem S. Mathiae Trevirensis. Qui cum per procuratores idoneos in die sibi praefixa comparuisset, iidem procuratores subtiliter procedentes, petierunt a dicto (a) decano, ut copiam commissionis sibi directae, sub sigillo suo ipsis daret duplicatam. Decanus vero nihil mali suspicans ex hoc posse provenire, copiam duplicatam, secundum quod petierant, sigillo suo sigillatam eisdem assignavit.

Revertentes igitur procuratores, dicto Theoderico abbati copiam commissionis dicti decani S. Castoris duplicatam suoque sigillatam sigillo, secundum quod ipsis injunxerat, assignarunt. At ipse abbas, magno gaudio repletus, unum par commissionis ejusdem per celerem nuntium et expeditum incontinenti ad sedem Romanam velociter transmisit; aliud par commissionis penes se reservans.

Cum autem ad aliam diem, sibi a decano dicto Confluentiae assignatam, dictus Theodericus abbas iterato per procuratores idoneos compareret, multisque rationibus hinc inde propositis, tandem cum viderent dictum decanum sibi in omnibus esse adversarium, partem adversam fovere manifeste, ipsum recusaverunt tanquam suspectum, petentes arbitros sibi dari, coram quibus causae suspicionum propositae et proponendae possent probari. Quos (b) cum nulla ratione vellet admittere, sed in negotio sibi commisso omnibus modis vellet procedere: procuratores abbatis S. Mathiae praedicti, habito consilio cum advocatis, quos secum ibidem habebant, appellationem formave-

---

(a) domino: ibid. (b) Qui: ibid.

runt, eamque coram dicto decano legerunt et publicaverunt. Cujus tenor talis est.

„Cum ego Conradus procurator domini Theoderici abbatis monas-„terii S. Eucharii Trevirensis, nomine ipsius domini abbatis, vos de-„canum S. Castoris in Confluentia, qui vos esse dicitis judicem a „sede apostolica delegatum in causa appellationis, quam Wilhelmus „de Meysenburch, monachus S. Maximini Trevirensis, qui se dicit „abbatem S. Mathiae Trevirensis, prosequi intendit coram vobis, „contra dictum dominum Theodericum abbatem, occasione abbatiae „monasterii S. Mathiae, recusem et recusaverim, suspectum ex causis „legitimis, videlicet istis:

„Primo, quia estis officialis (a) domini Henrici electi Trevirensis, „qui electus auctoritate ordinaria processit contra dominum Theode-„ricum, abbatem S. Eucharii Trevirensis.

„Secundo, quia estis consiliarius dicti domini electi.

„Tertio, quia de vestro consilio dictus electus processit contra „dictum dominum Theodericum abbatem.

„Quarto, quia vos fuistis dictator sententiae, qua procedebatur „contra dictum dominum Theodericum abbatem.

„Quinto, quia vos fuistis recitator ipsius sententiae dictatae con-„tra dictum dominum Theodericum abbatem.

„Sexto, quia vos subjectus et subditus estis dicto domino electo.

„Septimo, quia in vos (b) spiritalem et temporalem dictus electus „habet in omnibus plenam jurisdictionem, de cujus facto agitur.

„Octavo, quia vos fuistis et estis principalis fautor Wilhelmi mo-„nachi S. Maximini Trevirensis, qui ad vos literam impetravit.

„Nono, quia ex parte curiae Trevirensis, cui praefuistis et prae-„estis, moniti (c) fuerunt Prior et conventus monasterii S. Eucharii „Trevirensis, ut dicto Wilhelmo monacho intenderent et obedirent.

„Decimo, quia expresse vos gessistis pro parte dicti Wilhelmi „monachi.

(a) fautor: ibid.; sed minus accurate. Infra sequitur: fautor

(b) in nos: ibid.; sed male. (c) invitati: ibid.

„Undecimo, quia publice defensiones pro dicto Wilhelmo monacho „proposuistis; et petam et petierim cum magna instantia ipsas causas „suspicionis a vobis admitti, et arbitros supra dictis suspicionibus pro- „bandis mihi dari.

„Et quia post dictas recusationum causas coram vobis propositas „nec admissas, arbitros, coram quibus hujusmodi recusationes propo- „sitae probarentur, dare recusastis: ideo ego Conradus dicti domini „Theoderici abbatis (a), sentiens dictum Theodericum abbatem ex hoc „a vobis gravari, nomine ipsius et pro eo, sub testimonio omnium „astantium et praesentium, in scriptis sedem apostolicam appello, et „apostolos cum instantia peto, quos si mihi dare denegatis, iterum „nomine ipsius et pro eo in scriptis sedem apostolicam appello (b).

„Facta est haec appellatio in choro S. Castoris in Confluentia „post completorium, anno Domini MCCLXIV., sabbato ante octavam „beatorum Petri et Pauli Apostolorum, praesentibus multis venerabi- „libus viris, quorum nomina hic inserere non fuit necesse.“

CAPUT CLX.

Decanus igitur S. Castoris praedictus non deferens appellationi procuratoris dicti Theoderici abbatis coram eo factae, sed in sua malitia perseverans, omnibus modis proposuit in negotio procedere supradicto, sicut et fecit. Missis igitur literis suis, omnes quos judices sive executores (c) dicti Theoderici abbatis excommunicaverant, absolvit, totumque processum per (d) eosdem judices habitum revocavit. E contra judices sive executores dicti Theoderici abbatis praedictos malefactores in pristinam sententiam retrudentes (e), iterato denuntiari fecerunt excommunicatos; factusque novissimus error pejor priore, amicis dicti electi et Wilhelmi ipsorumque fautoribus dicentibus, totum processum dicti Theoderici abbatis literis apostolicis habitum nullum esse, omnesque literas a dicto Theoderico abbate a sede apos-

(a) Suppl.: procurator.
(b) Verba: et apostolos &c. usque ad finem, sunt omissa ap. Mart.
(c) excusatores: cod. Paris. (d) in: male legit edit. Mart.
(e) retradentes: ibid.

tolica obtentas esse falsas, ac nunquam eas de conscientia emanasse domini papae et curiae; sed eas in quadam curte dicti abbatis factas fuisse et fabricatas. E contra amici praefati Theoderici abbatis, Theodericum suamque partem foventes, dicebant, literas Wilhelmi ad decanum S. Castoris obtentas esse falsas, ac nunquam eas de conscientia papae emanasse.

Factusque est error magnus in clero et in populo, ignorantes et dubitantes, cujus mandatis securius possent obedire. Decanus autem S. Castoris praedictus videns et considerans errorem et confusionem in clero et populo, occasione sententiarum ex utraque parte hinc inde indiscrete discurrentium factam, sciensque literas Wilhelmi, per quas procedebat, esse falsas, quamvis propter timorem electi non auderet dimittere quin procederet per eas, timensque sibi a curia Romana periculum imminere, si in prosecutione ipsius causae perseveraret; commisit vices suas cuidam Wilhelmo canonico S. Gereonis in Colonia, parte adversa minime requisita.

CAPUT CLXI.

Inter haec, dum sententiae excommunicationum hinc inde fulminarentur; ecce nuntius ille, quem, ut superius diximus, dictus Theodericus abbas S. Mathiae cum transscripto literae Wilhelmi monachi, sigillo ipsius decani S. Castoris sigillato, ad curiam Romanam transmiserat, rediens venit de curia, deferens secum ad Villariensem et Gorziensem abbates literas apostolicas sub hac forma (a).

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Vil„lario et de Gorzia Cisterciensis et S. Benedicti ordinum, Metensis „diocesis, abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

„In scripto transscripto literarum, quas sub nomine nostro confec„tas Wilhelmus monachus S. Maximini, qui falso se abbatem monas„terii S. Mathiae Trevirensis dicebat, ad decanum ecclesiae S. Cas„toris in Confluentia dicitur reportasse, si literae ipsae transcripto

(a) Sequens bulla non legitur in Honth. Hist. Trev. dipl.

„concordant eidem; eas constat liquido esse falsas. Transcriptum „autem praedictum tale est.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio decano „ecclesiae S. Castoris &c. &c. (a). Ne igitur falsariorum culpa re„maneat impunita, discretioni vestrae per apostolica scripta manda„mus, quatenus vos ambo, vel alter vestrum, per vos vel per alios „seu alium, praefatas literas vobis facientes exhiberi, detentores ad „exhibitionem earum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, „appellatione postposita, compellendo. Si eas tales inveneritis, quale „est transcriptum praedictum, easdem nuntietis esse falsas, et revo„cetis in irritum quidquid est occasione illarum praesumtum, ac fa„bricatorem earum, et quoslibet quos ipsis scienter usos esse con„stiterit, juxta constitutionem contra falsarios editam, appellatione re„mota castigetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appel„latione postposita, compescendo; invocato ad hoc, si necesse fuerit, „auxilio brachii saecularis. Datum apud Urbem-Veterem VI. Kal. „Julii (b), pontificatus nostri anno tertio."

CAPUT CLXII.

Praedicti igitur judices, abbas Villariensis et collega suus abbas Gorziensis, fecerunt citari Wilhelmum de Meysenburch, monachum S. Maximini. Primo, secundo ipso non comparente (c), nec aliquo procuratore pro eo, tertia vice ipsum citari fecerunt, cujus citationis tenor talis est.

„Abbas de Villario Cisterciensis ordinis, Metensis diocesis, ju„dex seu executor, una cum religioso viro abbate Gorziensi ordinis „S. Benedicti, ejusdem diocesis, a sede apostolica deputatus, Syberto, „Isenbardo et Heyberto, canonicis ecclesiae Trevirensis, salutem in „Domino (d).

„Mandatum domini papae ad nos et ad dictum abbatem Gorzien„sem est directum in haec verba.

(a) Ut supra; vide cap. 158. (b) V. Cal. Jul.: edit. Mart.

(c) comparante: edit. Mart.

(d) Hoc diploma et sequentia in capitibus 163., 164. et 166. non leguntur in Honth. Hist. Trev. dipl.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei &c. (ut supra). Da-„tum apud Urbem-Veterem VI. Kal. Julii, pontificatus nostri anno „tertio.“

„Cum igitur praedictus collega noster abbas Gorziensis, aucto-„ritate mandati supradicti, Wilhelmum de Meysenburch monachum S. „Maximini Trevirensis citari fecerit, ut in majori ecclesia Metensi „coram eo compareret ad crastinum octavarum beati Laurentii, ex-„hibiturus et traditurus literas, quas dicit apostolicas, per quas citari „fecit virum religiosum dominum Theodericum abbatem S. Mathiae „Trevirensis coram decano S. Castoris in Confluentia, et postmodum „per easdem eundem Theodericum abbatem citari fecit coram Wilhel-„mo canonico S. Gereonis in Colonia, subdelegato a dicto decano „S. Castoris.

„Dictam citationem per nostrum collegam factam, cum tunc tem-„poris non fuerimus in provincia Trevirensi, ratam habentes atque „gratam, ad dictam diem assignatam personaliter venimus, et in ma-„jori ecclesia praesedimus cum Marsilio canonico S. Salvatoris Me-„tensis, cui praefatus collega noster commiserat vices suas secundum „traditam sibi formam, quantum ad dictam diem et ejus continuatio-„nem. Idem Wilhelmus dicta die non personaliter comparuit, ut de-„bebat, nec per se nec per alium literas exhibuit supradictas: verum „cum per sumptum seu transcriptum literarum ipsius Wilhelmi ad „decanum S. Castoris praedictum obtentarum, sigillo ipsius decani „sigillatum, et per quaedam alia documenta exhibita in judicio coram „nobis, apparere valeat evidenter cuilibet intuenti, praedictas literas „ejusdem Wilhelmi monachi transcripto literis apostolicis, nobis et „collegae nostro directis inserto, absque ambiguitate qualibet concor-„dare, et sic easdem literas ipsius Wilhelmi esse subreptitias sive „falsas, ac praetextu literarum ipsarum dictum decanum S. Castoris, „seu quemcumque subdelegatum, ab eo jurisdictionem aliquam non habere.

„Quare vobis sub poena excommunicationis, quam tenore prae-„sentium in vos ferimus, si non feceritis quod mandamus, firmiter „praecipimus, quatenus dictum Wilhelmum monachum citetis perem-„torie, ut in feria quarta post festum beati Bartholomaei Apostoli in

„majori ecclesia Metensi personaliter compareat coram nobis (a), ex-„hibiturus literas suas, quas dicit apostolicas, et eas nobis traditurus. „Intimantes eidem, quod sive venerit sive non, nos dicta die nichilo-„minus in commisso nobis negotio, secundum formam nobis traditam, „procedemus. In executione vero hujus mandati alter alterum non „expectet. Datum anno Domini MCCLXIV. feria quarta post assump-„tionem beatae Mariae Virginis."

CAPUT CLXIII.

Iidem etiam executores seu judices Wilhelmo canonico S. Gereonis in Colonia, cui decanus S. Castoris in Confluentia commiserat vices suas, direxerunt literas suas sub hac forma.

„Abbas de Villario Cisterciensis ordinis, Metensis diocesis, ju-„dex sive executor, una cum religioso viro abbate Gorziensi ordinis „S. Benedicti, ejusdem diocesis, a sede apostolica deputatus, viris „discretis et honestis decano, scholastico et cantori ecclesiae S. Ge-„reonis in Colonia, salutem in Domino sempiternam.

„Mandatum domini papae recepimus in haec verba: Urbanus epis-„copus, servus servorum &c. (ut supra).

„Cum igitur, nobis procedentibus in dicto negotio, secundum tra-„ditam nobis formam, tum per sumtum exemplatum coram decano S. „Castoris in Confluentia factum in judicio, tum per alia quaedam do-„cumenta in judicio coram nobis exhibita, vobis (b) seu cuilibet in-„tuenti constare valeat evidenter, literas praefati Wilhelmi apostoli-„cas, ut-asserit, concordare transcripto in literis apostolicis nobis „directis inserto, ac per hoc, secundum mandatum nobis directum, „juxta constitutionem contra falsarios editam, praefatum Wilhelmum, „fabricatores earumdem literarum, et omnes eisdem scienter utentes, „incontinenti excommunicare possemus; mitius tamen in dicto nego-„tio procedere cupientes, vobis sub poena suspensionis et excommu-„nicationis, quam per praesentes in vos ferimus, si non feceritis quod „mandamus, firmiter praecipimus, quatenus dictum Wilhelmum cano-

(a) vobis: edit. Mart. (b) vobis: desideratur in edit. Mart.

„nicum vestrum moneatis, ut incontinenti post monitionem nostram a „vobis sibi factam, subdelegationi a decano S. Castoris factae, auc- „toritate literarum praedictarum, supersedeat, et quicquid occasione „earumdem est praesumtum, quod per praesentes, quatenus praesum- „tum est, revocamus, faciatis per dictum Wilhelmum concanonicum (a) „vestrum revocatum nuntiari, si poenam constitutionis contra falsarios „editae voluerit evitare. Alioquin dissimulare non poterimus, quin „contra eum et omnes eidem obedientes, ad mandatum literae prae- „dictae tanquam contra falsarios, secundum constitutionem contra fal- „sarios (b) editam, procedemus. Quid autem super his feceritis, aut „quid vobis dictus Wilhelmus super his responderit, nobis per (c) „vestras literas patentes rescribatis. Unus alios in executione prae- „sentis mandati non expectet. Datum anno Domini MCCLXIV., fe- ria quarta proxima post assumtionem beatae Mariae semper Virginis."

CAPUT CLXIV.

Wilhelmus igitur canonicus S. Gereonis praedictus, recepto mandato tali ab executoribus supra dictis (d), taliter ipsis rescripsit.

„Wilhelmus canonicus S. Gereonis in Colonia, judex subdelega- „tus a decano S. Castoris in Confluentia, judice a sede apostolica „delegato in causa appellationis, quae auctoritate praedicta coram „nobis vertitur inter Wilhelmum et Theodericum, quorum uterque se „dicit abbatem S. Mathiae Trevirensis, citato coram nobis dicto Theo- „derico ad crastinum beati Bartholomaei Apostoli, ad procedendum „secundum retroacta, prout in citatorio super hoc confecto contine- „tur; procuratore dicti Wilhelmi coram nobis comparente, et petente „in dicta causa procedi, quantum jus dictaret; quaedam literae lectae „erant coram nobis pro parte adversa, ab abbate de Villario ordinis „Cisterciensis, Metensis diocesis, ut dicebatur, emissae, quarum te- „nor praesentibus est appensus, per quas, ut dicebant, venerabiles „viri decanus et cantor ecclesiae nostrae S. Gereonis nos monuerunt,

(a) canonicum: ibid.
(b) secundum const. c. fals.: haec desiderantur ibid. (c) per: deest ibid.
(d) recepto mand. tali ab exec. sup.: non legitur ibid.

„ut subdelegationi nobis factae a decano S. Castoris praedicto super-„sedere deberemus. Ad quod pro parte dicti Wilhelmi responsum „erat, quod tali monitioni non esset aliquatenus deferendum, sed in „causa procedendum, eo quod literae, ad decanum S. Castoris ob-„tentae pro ipso Wilhelmo, verae essent et bonae, et (a) a sede „apostolica et Romana legitime impetratae. Quin immo quod (b) li-„terae, per quas dicta monitio procedebat, ad abbates de Villario et „de Gorzia obtentae, falsae essent vel subreptitiae; ita quod eis non „esset parendum ullo modo. Ad quod probandum, ut juris esset, „petivit pars ipsius Wilhelmi se admitti (c), et diem partibus cum „literis hinc inde obtentis, ad discutiendum de ipsarum varietate (d) „apud sedem apostolicam, assignari.

„Nuntius vero praedicti Theoderici, scilicet Alexander, monachus „S. Mathiae Trevirensis, cum (e) nullus alius pro Theoderico compa-„reret procurator vel defensor, interrogatus a nobis, si sibi placeret, „quod literae praedictae (f) ad sedem apostolicam mitterentur, vel si „aliquid vellet ad praemissa respondere, dicebat: quod ipse procura-„tor non esset, nec ad hoc nec ad causam mandatum (g) aliquod ac-„cepisset, petens ut monitioni deferremus supradictae, parte altera in-„stanter petente, ut in causa procedere curaremus.

„Nos autem auditis hinc inde propositis, habito peritorum consi-„lio, negotio et subdelegationi supradictae, ne justitiam in aliquo of-„fendere videamur, supersedendum duximus ista vice, donec plena „deliberatione praehabita, de jurisperitorum consilio instrui possimus, „aliud esse faciendum. Actum anno Domini MCCLXIV. feria tertia „post festum beati Bartholomaei Apostoli, continuata a die praece-„dente in eandem.

„Et nos decanus et cantor ecclesiae S. Gereonis, praedictum „mandatum abbatis de Villario praedicti nobis directum executi, prae-„dicta acta domini Wilhelmi concanonici nostri, sigillo suo et nostris

---

(a) et: deest ibid. (b) Quin quod: ibid.
(c) petivit per ips. W. procuratorem se &c.: ibid.
(d) Sic omnes nostri codd.; edit. Mart. legit: veritate. (e) cujus: ibid.
(f) apostolicae: ibid. (g) mandatum: deest in cod. Paris.

„sigillata, ipsi abbati remittimus pro responso. Actum et datum ut „supra."

CAPUT CLXV.

Cum autem Wilhelmus, canonicus S. Gereonis praedictus, executoribus taliter rescripsisset, ac ipsi delegationi supersederet, nec ultra per dictas literas Wilhelmi procederet, pendente citatione, qua Wilhelmus, monachus S. Maximini, citatus fuerat ab executoribus praefatis; iidem executores aliis impediti negotiis, nec ipsi negotio commode intendere valentes, Johanni, canonico S. Theobaldi Metensis, in totum vices suas commiserunt.

Quo praesidente in ecclesia majori Metensi, quarta feria post festum beati Bartholomaei Apostoli, ad quam, sicut praediximus, Wilhelmus, monachus S. Maximini Trevirensis, fuerat peremtorie citatus, ostensurus et traditurus in judicio literas suas, quas dicebat apostolicas; nemine pro eo prima die comparente, continuata est in diem subsequentem. Alia vero die ipso iterum praesidente, venit quidam, qui dicebat se esse dicti Wilhelmi procuratorem, qui cum aliquas frivolas causas proposuisset, per quas dictum Wilhelmum, dominum suum indebitum, gravatum esse dicebat; tandem super ipsis (a) gravaminibus ad sedem apostolicam appellavit. Et quia ipsa appellatio frivola fuit et vana, propterea non est eam prosecutus, et ubi incoepit, ibi eam dimisit. Sed cum nullus compareret coram judice, qui literas Wilhelmi, ut dicebat, apostolicas pro ipso Wilhelmo ostenderet aut assignaret, licet idem Wilhelmus eadem die et hora diceretur esse in civitate Metensi, judex sententiando taliter pronuntiavit.

CAPUT CLXVI.

„Nos Johannes, canonicus S. Theobaldi Metensis, subdelegatus „a viro religioso (b) Friderico abbate Villariensi Cisterciensis ordinis, Metensis dioecesis, judice seu executore a sede apostolica deputato,

---

(a) his: edit. Mart. (b) a viro et relig.: ibid.

„una cum abbate Gorziensi ordinis S. Benedicti, ejusdem diocesis, „qui abbas Villariensis nobis in totum commisit vices suas.

„Cum in die assignata Wilhelmus de Meysenburch, monachus S. „Maximini Trevirensis, ad exhibendum et tradendum literas, quas „dicit apostolicas, ad decanum S. Castoris in Confluentia, Treviren-„sis diocesis, impetratas in causa appellationis, quam dicit se inter-„posuisse, a cantore et Theobaldo dicto de Turre canonicis Trevi-„rensibus ad sedem apostolicam, occasione abbatiae monasterii S. „Mathiae Trevirensis, contra venerabilem virum et religiosum domi-„num Theodericum ejusdem monasterii abbatem, dictus Wilhelmus „monachus personaliter non comparuerit, nec per procuratorem ex-„hibuerit literas ad dictum decanum S. Castoris impetratas, et ex „parte dicti domini Theoderici abbatis S. Mathiae sit (a) exhibitum „nobis sumtum exemplatum in judicio coram decano praedicto, sigil-„latum sigillo ejusdem decani, quod sigillum apparet uniforme in ci-„tatione, qua mandavit citari dictum dominum Theodericum abbatem, „in qua citatione tenor literae dicti Wilhelmi monachi totus et idem „de verbo ad verbum continetur, et in sumto exemplato ipsius authen-„tici, dato in judicio coram dicto decano, et in petitione edita ex „parte dicti Wilhelmi monachi contra dictum dominum Theodericum „abbatem (b), quae apparent et sunt sigillata uno sigillo, una appen-„sione sigilli, et eadem circumscriptione ejusdem: hoc videlicet si-„sillum Johannis decani S. Castoris in Confluentia. Et nobis con-„stet per fide dignos, ipsum sigillum cognoscentes, qui nobis super „hoc rescripserunt, dictum sigillum esse decani S. Castoris praedicti, „et etiam per rescriptionem sacerdotum S. Laurentii, S. Gangulfi et „S. Michaelis, quibus facta fuit copia literae, quam dicit Wilhelmus „monachus a sede apostolica impetrasse ad dictum decanum S. Cas-„toris in Confluentia. Et ex sumto exemplato modo praedicto in-„venerimus literas, quibus praefatus Wilhelmus monachus utitur con-„tra dictum dominum Theodericum abbatem, ad dictum decanum S.

(a) sicut: ibid.
(b) A verbis: in qua citatione, usque ad verba: quae apparent &c., omnia desiderantur in edit. Mart., cujus lectio hoc loco omni caret sensu.

„Castoris in Confluentia impetratas, tales esse, quale est transcriptum „insertum literis apostolicis ad Villariensem et ad Gorziensem abba„tes directis.

„Ideo literas a dicto Wilhelmo monacho, ad dictum decanum, „quas dicit apostolicas, impetratas, nunciamus esse falsas, et revoca„mus in irritum quidquid a dicto decano S. Castoris et a Wilhelmo, „canonico S. Gereonis in Colonia, subdelegato ab eo, est illarum oc„casione praesumtum et attentatum, ac fabricatorem earum et quos„libet, quos ipsis scienter usos esse constiterit, juxta constitutionem „contra falsarios editam, fore castigandos pronuntiamus.

„Facta est haec pronuntiatio in majori ecclesia Metensi, feria „quarta post festum beati Bartholomaei Apostoli, praesentibus vene„rabilibus dominis Symone majore praeposito Trevirensi, item Symone „majore decano, Waltero majore et Wirico archidiaconis, Reinboldo „cantore et archidiacono Metensi, Johanne praeposito ecclesiae S. „Salvatoris, Gilone cancellario, et aliis quampluribus canonicis et cle„ricis Trevirensibus et Metensibus. Anno Domini MCCLX quarto."

CAPUT CLXVII.

Wilhelmus igitur, monachus S. Maximini praedictus, videns et intelligens literam suam reprobatam, eamque in pleno judicio coram multis fide dignis falsam esse pronuntiatam, considerans etiam et advertens, Wilhelmum, canonicum S. Gereonis in Colonia, supersedisse subdelegationi sibi a dicto decano S. Castoris factae, ipsumque in dicto negotio procedere nolle, confusus nec bene sibi conscius, quid facere posset, ad suum monasterium S. Maximini de quo venerat, cum aliquem alium locum, quo divertere posset, ignoraret, reversus est. Sed non, sicut de ipso suo monasterio aliquando recesserat, modo reversus est. Cum enim de suo monasterio olim recederet, iturus ad monasterium S. Mathiae, cum magna pompa abbatum, priorum, clericorum, monachorum S. Maximini, nec non militum ac servorum, elevata facie, erecta cervice; electo quoque Trevirensi ipsum ducente, ad dictum monasterium S. Mathiae gloriose deductus est: modo autem humiliatus et confusus, et a suis omnibus derelictus, so-

lus ad suum monasterium S. Maximini, nemine ipsum (a) ducente, ignominiose reversus est.

Qui cum pro manifesta offensa ab executoribus dicti domini Theoderici abbatis esset excommunicatus, et non solum in suo monasterio S. Maximini praedicto, sed et in omnibus ecclesiis et monasteriis, nec non et in omnibus parochialibus ecclesiis civitatis et diocesis Trevirensis (b) esset excommunicatus denuntiatus, et propter hoc non auderet se immiscere divinis; abbas ejusdem monasterii S. Maximini praebendam suam (c), quia ipsam non deserviebat, dare et assignare denegabat; donec idem abbas, multorum precibus fatigatus, tandem vix praebendam suam sibi dari et administrari concessit. Idem enim abbas eidem Wilhelmo monacho gravis erat et durus, nec immerito. Nam tempore electionis ejusdem abbatis S. Maximini, idem Wilhelmus cum tribus monachis sibi adhaerentibus (d), se eidem suo abbati opposuit, quamvis tunc, sicut et nunc, parum vel nihil profecerit; propter quod, quamdiu vixit, in omnibus persequebatur.

Caveant ergo subditi omni diligentia, ne se praelatis suis quoquomodo opponant, quia rarissime contingit, praelatos succumbere, et subditos praevalere (e)!

CAPUT CLXVIII.

Nunc videndum est, qualiter dicti Theodericus abbas et conventus tabulam suam pretiosam cum aliis ornamentis et libris suis, a dicto Wilhelmo monacho et suis complicibus delatis, fuerint adepti.

Praefatus igitur Wilhelmus videns, se omnimodis spe sua fraudatum, seque a dicto electo esse illusum, et quod non propter favorem vel honorem suum, sed propter odium dicti Theoderici abbatis S. Mathiae ipsum intruserat in abbatiam suam; videns etiam ipsum elec-

(a) ipso: edit. Mart.
(b) sed et in omnibus paroch. eccles. civ. &c.: alia priora desunt ibid.
(c) Praebendae in his Gestorum locis dicuntur cibi ac potus portiones diurnae, quae monachis et canonicis praebentur.
(d) cohaerentibus: ead. edit.
(e) Haec reflexio politica non legitur in codd. recentioribus Eberh. Clus. et Lind.

tum propter citationem saepius sibi factam ad curiam Romanam iter arripuisse, et quod sibi in aliquo succurrere non posset vel subvenire, quippe qui de statu negotii sui ipsius nondum bene securus fuit: cogitavit qualiter ipse cum dicto Theoderico pacem suam posset habere, et cum ipso reconciliari.

Proposuit ergo in corde suo, quod tabulam illam pretiosam cum libris et omnibus ornamentis aliis, quae adhuc habebat reposita in castro Falconis-petra, nunquam restitueret, donec pacem suam cum dicto Theoderico abbate esset adeptus; et quod idem Theodericus abbas redditus annuos sibi diebus vitae suae de suo monasterio dare et assignare deberet, nomine pensionis, sicut etiam postea petivit, quamvis nihil fuerit consecutus. Et sicut dicitur: Homo proponit, Deus disponit; aliter, quam dictus Wilhelmus monachus cogitavit, et proposuit (a), evenit. Nam dominus papa domino Henrico (b) comiti Luzenburgensi suas literas direxit, rogans et mandans, ut ad requisitionem judicum, quibus super hoc misit literas suas, consilium et auxilium dictis Theoderico abbati et conventui impenderet opportunum, sicut et fecit.

Tenor autem literae papalis eidem comiti directae talis est (c).

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili „viro, comiti Luzenburgensi, salutem et apostolicam benedictionem.

„Quoniam timorem Domini et zelum ad ecclesiasticam libertatem „menti tuae infusos esse didicimus, tibi cum fiducia porrigimus preces „illas, quae beneplacito divino concordant et defensionem implorant „ecclesiasticae libertatis. Sane inter alia, quae mentem nostram sau„ciant, non minimum ipsam exasperat horrendus excessus, superbae „temeritatis ausu commissus, contra dilectos filios S. Mathiae et S. „Mariae ad Martyres, monasteriorum Trvevirensium abbates (d) or„dinis S. Benedicti, per Henricum se pro electo Trevirensi gerentem, „qui in locum ejusdem abbatis monasterii S. Mathiae damnabili prae„sumtione, quendam intrusisse et ejus conventum exulare compellere

---

(a) cogitaverit et proposuerit: ed. Mart. (b) Henrico II.
(c) Deest haec bulla pontificia ap. Honth. l. c.
(d) Trevirenses abbates: sic edit. Mart.

„dicitur; administrationem dicti monasterii S. Mariae cuidam ejusdem „monasterii monacho committendo.

„Cum itaque super hoc dilectis filiis abbati S. Martini Glandariensis, „Metensis diocesis, et cantori Trevirensi nostras sub certa forma li-„teras dirigamus, nobilitatem tuam attente requirimus et roga-„mus, quatenus pro nostra et apostolicae sedis reverentia, super hoc „ad eorumdem judicum requisitionem, opportunum ac debitum auxili-„um largiaris; ita quod, te mediante, super correctione tanti exces-„sus nostris beneplacitis satisfiat (a), et nos tibi propter hoc spe-„ciales gratias referamus. Datum apud Urbem-Veterem V. Idus Sep-„tembris, pontificatus nostri anno tertio."

CAPUT CLXIX.

Verum praedictus dominus Henricus comes Luzenburgensis, receptis literis apostolicis praedictis, mandato etiam sibi ab executoribus praedictis directo diligenter examinato, quamvis dictus Wilhelmus monachus in comitatu et in districtu ipsius comitis multos haberet consanguineos et amicos; ipse tamen, tanquam verus Christianus, volens mandatis apostolicis per omnia obedire, misit incontinenti literas suas domino Falconis-petrae, mandans ei sub obtentu gratiae suae, ut si vellet vitare subversionem et devastationem totius terrae suae; quod tabulam, libros ac omnia alia ornamenta ad dictos Theodericum abbatem et conventum spectantia, quae ad eum pervenerant, integraliter et sine dimunitione qualibet eisdem abbati et conventui redderet, et illaesa assignaret.

Dominus autem Falconis-petrae, recepto primo mandato domini Henrici comitis, sperans quod ipsum negotium, pro quo sibi scripserat, non sibi esset multum cordi, et quod ipsum (b) super hujusmodi negotio non deberet amodo sollicitare, nec literas suas sibi dirigere, prima vice inobediens existens, mandatis suis non curavit obedire. Secunda vice misit (c) unum de suis nobilibus, una cum

---

(a) satisfaciat: ibid.

(b) pro quo sibi scrips. non sibi esset m. c. et quod ipsum: haec omnia desiderantur ibid. (c) i. e. Comes Henricus.

fratribus dicti monasterii, quos dominus Theodericus abbas miserat ad comitem cum literis executorum, mandans ei seriose et dure, ut tertio mandato suo non expectato se finaliter de praedictis abbate et conventu expediret, tabulam, libros et omnia alia ornamenta, quae in castro suo praedicto erant, nuntiis ipsorum abbatis et conventus, qui ibidem aderant praesentes, integraliter assignaret.

Ipse vero dominus Falconis-petrae videns, quod nullo modo posset effugere manus comitis, nolens etiam pro re aliena totam terram suam subjicere periculo; tabulam cum omnibus, quae in dicto castro erant, dictis fratribus, mediante nuntio domini comitis, integraliter et illaesa tradidit et reconsignavit. Sicque dicti fratres tabulam cum libris et omnibus ornamentis de castro praedicto deducentes, ad suum monasterium cum magno gaudio sunt reversi.

CAPUT CLXX.

Post hoc dominus papa intelligens, quod quidam detractores de processu dicti domini Theoderici abbatis per abbatem S. Martini Glandariensis et cantorem Trevirensem habito dubitarent, dicentes, omnes literas apostolicas eidem directas esse subreptitias vel falsas, ac nunquam eas de conscientia papae emanasse.

Propter quod volens omne ambiguum removere, Villariensi et Gorziensi abbatibus super eodem negotio direxit scripta sua sub hac forma.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Vil„lario et de Gorzia, Cisterciensis et S. Benedicti ordinum, Metensis „diocesis, abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem (a).

„Dilecti filii, Theodericus abbas et conventus monasterii S. Ma„thiae Trevirensis, ordinis S. Benedicti, transmissa nobis petitione „monstrarunt, quod cum olim dilecti filii, fratres Wilhelmus et Rori„cus de ordine Minorum, quibus inquisitionem faciendam super diversis „criminibus contra Henricum Trevirensem electum sub certa forma „commiseramus per literas nostras, eundem Henricum propter hoc ad

(a) Lectio manca hujus periodi ap. Mart.

„suam praesentiam evocassent; idem Henricus inquisitionem est nisus „ipsam multipliciter impedire, et contra eundem abbatem, consangui- „neum alterius inquisitorum ipsorum, ut per hoc impediret processum „hujusmodi, vel idem abbas, per quem super hujusmodi criminibus „haberi poterat testimonium veritatis, se subtraheret a ferendo tes- „timonio contra ipsum, aut eum ad hoc inhabilem redderet: ad inqui- „sitionem auctoritate propria incoepit procedere, super quibusdam „criminibus, super quibus nulla idem abbas infamia laborabat; et in „eum, quanquam idem Henricus pro debitis, in quibus tunc (a) Ro- „manae ecclesiae tenebatur, foret excommunicationis vinculo innoda- „tus, propter quod alios ligare non poterat, vel contra eundem abba- „tem ad inquisitionem procedere, seu jurisdictionem aliquam exercere, „excommunicationis sententiam promulgavit, in elusionem mandati „apostolici et scandalum plurimorum.

„Cumque id ad nostram audientiam pervenisset, nos dilectis filiis „abbati S. Martini Glandariensis, Metensis diocesis, et cantori eccle- „siae Trevirensis nostris dedimus literis in mandatis, ut processum „hujusmodi et sententiam ipsius Henrici denuntiantes penitus non te- „nere, ipsum, quod a simili ejusdem abbatis et quorumlibet aliorum „subditorum ecclesiae Trevirensis gravamine omnino desisteret, mo- „nitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione post- „posita, coarctarent. Et si dictus Henricus propter hoc in abbatiam „dicti monasterii aliquem intrusisset, intrusum hujusmodi amoverent (b) „sine difficultate qualibet, ab eodem dicto Theoderico abbate ad ab- „batiam ipsam plenarie restituto; contradictores per censuram eccle- „siasticam, appellatione postposita, compescendo.

„Verum cum (c) hujusmodi mandatum nostrum ad ipsius Henrici „notitiam pervenisset, idem quadam die submisit quosdam satellites „sathanae, qui praetextu orationis monasterium ipsum ingressi fraudulen- „ter, tandem turres, in quibus campanae pendebant, favente custode, pro- „ditorie ascenderunt, sicque munitionibus ejus captis, dicto quoque „abbate extra praedictum monasterium pro ipsius negotiis tunc agente, „monachos ibidem inventos exinde cum lapidibus ausu sacrilego eje-

(a) tunc: deest ibid. (b) amoveret: ibid. (c) Verum etiam cum: ibid.

„cerunt; ac protinus idem Henricus eosdem satellites subsecutus, „Wilhelmum monachum monasterii S. Maximini Trevirensis, ejusdem „ordinis infamem, discolum et perversum in abbatem dicti monasterii „S. Mathiae de facto intrusit. Propter quod idem Theodericus abbas, „una cum monachis ejusdem monasterii S. Mathiae, coactus fuit ali-„quamdiu miserabiliter exulare.

„Sane hujusmodi excessibus ad audientiam nostram perlatis, nos „praedictis abbati Glandariensi et cantori per alias literas nostras „injunximus, ut super his veritate comperta, dictum Theodericum „abbatem S. Mathiae, quoad omnia reducerent ad eum statum, in „quo erat, quando dictus Henricus incoepit inquirere contra eum, „ipsum et monachos supradictos in possessionem ejusdem monasterii „S. Mathiae ac omnium pertinentiarum ejus quantocius reducendo, „praedicto intruso amoto penitus ab eodem, et arctae custodiae in „dicto monasterio S. Maximini retrudendo, et quousque expiasset per „condignam poenitentiam tantum crimen, conventus ejusdem monas-„terii sui consortio restitutus, ultimus in choro et capitulo perpetuo „permansurus, constitueretur per eosdem judices ineligibilis ad admi-„nistrationes ordinis cujusque; contradictores per censuram ecclesi-„asticam, appellatione postposita, compescendo.

„Quarum literarum auctoritate dictus Theodericus abbas ad ab-„batiam ejusdem monasterii S. Mathiae fuit plenarie restitutus, et „contra dictum Wilhelmum, juxta formam mandati apostolici, ad dictas „poenas dicti judices sententialiter processerunt, quas ipse damnabili-„ter vilipendens, et de praedicto monasterio S. Mathiae per noctis „adjutorium affugiens (a), libros ejusdem, ornamenta et res alias se-„cum ad castrum Falconis-petrae sacrilegis manibus asportavit, in „quo aggressoris more viatoribus insidians, clericos et laicos indiffe-„renter satagit depraedari.

„Porro idem Wilhelmus monachus tacito de praemissis et falso „praetendens, ac mendaciter asserens, quod idem Henricus super „homicidio, dilapidatione, incontinentia et quibusdam aliis criminibus „contra eundem Theodericum inquirens, ipsum, occasione hujusmodi

(a) pro: effugiens

„criminum, a regimine dicti monasterii S. Mathiae, suadente justitia, „duxerat amovendum, et ipsum Wilhelmum eidem monasterio cano„nice praefecerat in abbatem; quodque abbas Glandariensis et cantor „praedicti, seu Theobaldus de Turre canonicus Trevirensis, ipsum „Theodericum contra (a) justitiam restituerant ad abbatiam eandem, „et dictum Wilhelmum inde amoverant, in eum excommunicationis „sententia promulgata; propter quod idem Wilhelmus ad sedem apos„tolicam appellarat; et super hoc ad decanum ecclesiae S. Castoris in „Confluentia, Trevirensis diocesis, quasdam sub nomine nostro con„fectas reportasse dicitur literas, inter alia continentes: ut vocatis „qui vocandi essent, et auditis hinc inde propositis super praemissis, „quod canonicum foret, appellatione remota, statuere procuraret, faciens, quod decerneret, per censuram ecclesiasticam firmiter obser„vari. Quarum literarum praetextu dictus decanus peremtorie citasse „dicitur dictum abbatem ad certam diem coram se, prout dictaret ra„tio, super his processurum; cordibusque simplicium suggerit idem „Wilhelmus, quod nos eum ad abbatiam restituimus supradictam; sic„que nonnulli fidem adhibentes hujusmodi mendaciis, ipsi Wilhelmo „propter hoc praestant favorem non modicum, bona ipsius monasterii „temere occupantes.

„Cum igitur non sit verisimile, quod nos contra hujusmodi lite„ras abbatem Glandariensem et cantorem praedictos obtentas a nobis, „quae de nostra certa conscientia emanarunt, aliquas literas eidem „Wilhelmo vel pro ipso duxerimus concedendas; propter quod literae „hujusmodi obtentae, sicut dicitur, ad decanum eundem, creduntur „subreptitiae vel (b) falsae. Discretioni vestrae per apostolica scripta „mandamus, quatenus praedictas et quascumque alias literas similes, „ab eodem Wilhelmo super hujusmodi negotio sub nostro nomine fa„bricatas, nobis facientes exhiberi, detentores ad exhibitionem earum, „si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postpo„sita, compellendo, easdem nobis transmittere non tardetis; faciatis

(a) Sic nostri codd. Mss^ti^. — Edit. Mart. adoptat lectionem: secundum justitiam &c., quam lectionem falsam quoque imprimi fecit Honthemius in sua Hist. dipl.

(b) et: edit. Mart.

„nihilominus eundem Theodericum abbatem interim pacifica ipsius „monasterii et omnium pertinentiarum ejusdem possessione gaudere, „contradictores per censuram eandem, appellatione postposita, com- „pescendo. Datum apud Urbem-Veterem XIV. Cal. Julii, pontificatus „nostri anno tertio."

Praedicti igitur executores sive judices, mandatum sibi directum executioni demandantes, ipsam executionem in majori ecclesia Trevirensi, et in aliis locis, ubi expedire videbatur, legi et publicari fecerunt.

CAPUT CLXXI.

His igitur omnibus, ut praedictum est, peractis, domino Henrico electo Trevirensi in curia Romana, Theoderico vero abbate in sua abbatia in monasterio S. Mathiae, Wilhelmo vero de Meysenburch monacho in suo monasterio S. Maximini existentibus, dominus Urbanus papa, sub quo haec omnia feliciter et prospere tractata sunt et gesta, viam universae carnis ingressus est. Cui successit in episcopatu Clemens (a), vir magnae auctoritatis et prudentiae, et in utroque jure, canonico videlicet et civili, multum eruditus.

Cum igitur negotium Trevirense, quod tunc per totam curiam celebre habebatur, necdum determinatum invenisset, et illud libentissime expedivisset; dum processus ipsius electi Trevirensis per dominum Urbanum papam praedecessorem suum habitus quaereretur, quaedam acta ejusdem processus perdita fuerant, nescio qua sinistra fortuna contingente, quae nulla ratione poterant inveniri. Intimatum est autem (b) domino papae, quod idem processus, qui quaerebatur, apud inquisitores Trevirenses duplicatus haberetur, et quod per procurationem abbatis S. Mathiae Trevirensis posset recuperari. Misit ergo incontinenti dominus papa literas suas ad abbatem S. Mathiae praedictum, mandans ei, ut omnibus negotiis postpositis, acta praedicta, qualitercunque posset, obtinere procuraret, ipsique per celerem nuntium et expeditum ad Romanam curiam transmittere non differret.

(a) Clemens IV. (b) autem: deest in edit. Mart.

CAPUT CLXXII.

Cum autem idem abbas ad partes Rheni descenderet, consilium habiturus cum quodam magno advocato ibidem existente, qualiter eadem acta ad curiam Romanam transmittere posset. Consilio requisito et habito, dum idem abbas ad suum monasterium reverti proponeret: ecce duo fratres dicti de Paffendorf (a), milites ejusdem electi officiati, ipsum abbatem invadentes, cum duobus suis capellanis ceperunt, eumque in castro ecclesiae Trevirensis dicti Thurun deduxerunt, ibique ipsum ferreis compedibus vinctum et oneratum, per tres annos et dimidium et novem dies, una cum duobus capellanis suis praedictis, continue detinuerunt.

Cum autem dicti abbatis captivitas ad notitiam domini papae pervenisset, satis turbatus est et commotus, vocansque ad suam praesentiam Trevirensem electum, monuit eum rogans, ut pro liberatione dicti abbatis, qui a suis officiatis captus et etiam in castro suo detentus esset, laboraret. Electus vero omnem se adhibiturum pro ipsius abbatis liberatione diligentiam pollicebatur, sed non perduxit ad effectum quod promisit. Sed melius creditur, quod idem electus semper scripserit officiatis praedictis, ut dictus abbas fortius detineretur, non ut dimitteretur.

Intelligens autem dominus papa, quod dictus Henricus electus nec fideliter nec diligenter laboraverit pro dicti abbatis liberatione, et quod magis de ipsius detentione, quam liberatione gauderet: mittens pro eo, inquisivit ab eo, quare pro liberatione abbatis praedicti, secundum quod sibi promiserat, non laborasset. Qui sic respondens dixit: Quia officiati mei, ex quo non sum in terra juxta eos, pro literis meis nihil faciunt, nisi quod placet ipsis; sed si placeret paternitati vestrae, ut de vestra licentia speciali liceret mihi intrare fines episcopatus, ipsum abbatem cum duobus suis sociis a vinculis absolutos, omni dubio posposito, pristinae restituerem libertati. Audiens autem papa, quod libenter de curia recederet, per juramentum eidem promisit, quod

---

(a) Satrapae episcopales, Henricus et Thietardus nobiles fratres prosapia Phaffendorfiana.

nunquam de curia posset exire vel recedere, donec abbatem ac duos socios suos praedictos, vivos vel mortuos, sibi ad Romanam curiam praesentaret. Sicque dictus (a) electus, vivente papa, non potuit obtinere, ut per aliquod tempus liceret sibi recedere de Romana curia.

CAPUT CLXXIII.

Interim autem dominus (b) papa in ipso negotio Trevirensi de die in diem processit, festinans ut ipsi negotio finem imponeret, si posset; sed heu non potuit. Quibusdam enim cardinalibus, partem dicti electi viriliter defendentibus, dictum negotium retardatum est; ita quod tempore ipsius domini Clementis non potuit nec debuit ad plenum determinari et expediri. Ad ultimum tamen in ipso negotio in tantum coram ipso domino Clemente processum est, quod idem dominus papa per diffinitivam sententiam amovit eum ab administratione spiritualium et temporalium ecclesiae Trevirensis. Tenor autem ejusdem sententiae talis est.

„Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei „memoriam.

„A via rectitudinis plures ducit in devium, plures a patrum ter-„minis trahit in exterminium effrons malitia praelatorum, qui de sua „praesumentes potentia, dum peccandi sibi pro libito vendicant liber-„tatem, a subditorum animis Dei prorsus timorem abigunt, qui non „esse timendum aestimant (c), quod a suis vident pastoribus non timeri.

„Verus ergo vicarius Jesu Christi, cui cura debet esse de om-„nibus, cum sit datus a Domino super ecclesias (d) speculator, licet „in tanta nequeat multitudine populi Christiani singulorum vultus ag-„noscere, debet saltem diligenter attendere et fideliter indagare prae-„sidentium famam et vitam, ne cum tandem ad manum venerit nume-„rantis, ab eodem grex perditus requiratur, tanquem gregem ipsum „perdiderit, dum ab ejus custodia furem vel mercenarium non amovit.

„Hinc est quod felicis memoriae Urbanus papa praedecessor

(a) dominus: edit. Mart. (b) dictus: ibid. (c) existimant: ibid.
(d) super omnes eccl.: ibid.

„noster, cum ad ejus pervenisset auditum, quod Henricus electus „Trevirensis, pallio non obtento archiepiscopum in suis literis se no- „minare praesumens, in Rheni flumine theloneum sive pedagium motu „proprio instituerat, et hoc ipso ligatus excommunicationis sententia, „divina celebrabat officia, immo, quantum erat in ipso, profanabat (a). „Erat insuper simonia, perjurio, sacrilegio, homicidio et criminibus „aliis irretitus, bona Trevirensis ecclesiae dilapidans et consumens.

„Inquisitionem super praemissis omnibus primo venerabilibus fra- „tribus nostris Wormaciensi et Spirensi episcopis, et dilecto filio ab- „bati de Rodenkirchen Praemonstratensis ordinis, sub certa forma „commisit; quorum processus sibi exhibitos praedecessor idem repu- „tans defectivos, idem negotium fratribus Wilhelmo et Rorico de „ordine fratrum Minorum iterato commisit; qui licet diu juxta datam „sibi peritiam magis forte fideliter quam prudenter in negotio labo- „rassent; quia tamen juris apices in omnibus non attenderant, nos „eorum processum nobis exhibitum, de fratrum nostrorum consilio, „justitia cassavimus exigente; praedicentes eidem electo, tunc in nos- „tra praesentia constituto, quod inquisitionem contra ipsum, ab eodem „praedecessore commissam, per nos vel alios, prout viderimus ex- „pediens, prosequi volebamus.

„Cumque postmodum super certis articulis sibi traditis respon- „disset, nunc a nobis, nunc ab aliis, quibus hoc interdum commisi- „mus, requisitus; a nonnullis ecclesiae Trevirensis canonicis saepe „fuimus exhortati (b), ut responsiones ipsius discuteremus ad plenum, „cum per eas, ut firmiter asserebant, ab ejusdem jugo pestifero dicta „posset ecclesia liberari. Sane licet id distulerimus multo tempore, „negotiorum undique confluentium impediti concursu; responsiones „tandem colligentes, easdem et quasdam excusationes ab eodem ob- „latas, tam super articulis in rescripto dicti praedecessoris nostri „contentis, quam super aliis, quae nostro tempore postmodum emer- „serunt, collationem cum fratribus nostris habuimus diligentem.

„Equidem (c) ut omisso quod se, non habens pallium, archiepis-

(a) Addit edit. Mart.: potius profanabat. (b) excitati: ibid.

(c) Et quidem: ibid.

„copum nominaverat (a), quod licet esset erroneum, simplicitati vel „errori scriptoris poterat imputari: a theloneo, quod imposuisse dici-„tur, sumamus initium. Ex confessione liquet ipsius, quod uno anno „illud (b) vendiderat, et magnum pretium inde perceperat; quod uti-„que novum esse, videtur non posse (c) ambigi, nisi concessione seu „privilegio principis, aut continuata perceptione a tempore cujus non „extat memoria, valeat excusari. Quod si novi pedagii fuit impositor, „latas dudum (d) a Romanis pontificibus, et annis singulis renovatas „sententias non evasit; nec juvare se poterat, ut videtur, literis bonae „memoriae Hugonis S. Sabinae (e) presbyteri cardinalis, a quo vel „cujus authoritate fuerat absolutus, qui licet apostolicae sedis poeni-„tentiarius generalis existeret, et a sententiis posset absolvere gene-„ralibus, si aliud non obstaret; ab hac tamen nequivit absolvere, „cum super ea facta esset per nostrum praedecessorem, ut diximus, „certis personis commissio specialis, per quam etiam mandabatur (f) „citari, ut veniret ad curiam pro meritis recepturus; cum nec gene-„ralis legatus, in causis commissis alii specialiter, quidquam possit, „et regulariter, in omni jure, generi per speciem (g) derogetur. Sed „nec absolutio fratris Martini (h) poenitentiarii Minoris eidem utilis „videbatur ratione consimili, non obstante, quod ejus litera contine-„bat, se de dicti praedecessoris nostri speciali mandato ab omni eum „excommunicationis sententia absolvisse, cum de mandato non con-„stet, et etiam si constaret, hujusmodi generalitas illam specialem „sententiam non includeret, de qua non extitit cogitatum, nisi de spe-„ciali commissione praedicta facta fuisset mentio in mandato. Sed „nec ad istam sententiam, de qua agimus, absolutio potest extendi, „super qua absolventis intentio minime ferebatur, cum prorsus incre-„dibile, quin etiam detestabile videatur, ut ligatus pro certa pecuniae

---

(a) nominavit: ibid. (b) illum: ibid. (c) non potest: ibid.

(d) contra tales: additur ibid.

(e) Hugonis Poenitentiarii literas in hac causa imprimi fecit ex Ms. Cardinalis Ottoboni (postea Alexandri VIII.) Mabillonius; eas reimpressas legimus ap. Martene, in ampl. collect. T. cit. p. 468. sqq.

(f) mandabat: ibid. (g) generali per specialem: ibid.

(h) Vid. literas fratris Martini ap. Mabill. et Mart.

„quantitate, quam papali debebat camerae (a), a tali sententia absolu-„tus, si praedictam pecuniam certa die non solveret, non in illam „solummodo, sed in alias laberetur (b) sententias, sicut habet series „literae fratris Martini praedicti. Unde rectus non patitur intellectus, „quod de aliis sententiis senserit, quam de illis quae in eum fortasse „pluries, ob dictam pecuniam, quam se soluturum juraverat, prout „dicitur, fuerant promulgatae. Ex quo videtur posse concludi ulterius, „quod nec ab illis efficaciter extitit absolutus, si de aliis tacuit, cum „talis absolutio prodesse nequeat, cum obreptitia sit censenda; quam „etiam veritatem intelligens nullatenus exhibere deberet.

„Quod vero ad defensionem dicebatur ipsius, latam contra impo-„sitores sententiam eum non tangere, cum praedecessor ipsius dictum „pedagium percepisset (c), et sic non iste impositor dici poterat, sed „impositoris successor; satis validum et ad ejus defensionem sufficiens „aliqui reputabant, cum nec nominis dicatur impositor, quicumque „nominat alium suo nomine, sed qui primus imposuit ipsum nomen. „Ad quod poterat responderi, quod de factis licitis et illicitis non est „dandum judicium uniforme. Quae enim licite praedecessor obtinuit, „quodam jure continuo ad ejus transeunt successorem: unde et una „persona in talibus aestimatur. Ubi vero de illicitis agitur seu delic-„tis, decessorem (d) cum successore non unam personam dicimus, „sed capita potius singulorum inspicimus, qui delinquunt. Nec (e) id-„circo promissoris, qui vim promisit non facere, vis alia (f) dicitur „quam heredis, nec est proprie continuitas in illicitis: unde vitiosa „possessio alteri, vel ei (g) altera non accedit. Sane quotquot primo „succedunt, aut novum ponentes pedagium, cum scelus proprium con-„sequuntur (h), impositores utique sunt censendi. Nam et (i) in Ma-„chabeorum historia de pueris legimus Alexandri, quod imposuerunt „sibi diademata, ipsi et filii eorundem post ipsos; quod profecto sic

---

(a) et a tali: edit. Mart. (b) relaberetur: ibid.
(c) recepisset: ibid. (d) praedecessorem: ibid.
(e) Et: ibid. (f) jus in alia: ibid. (g) ex altera: ibid.
(h) succedunt novum ponunt ped., et c. sc. primum proseq. &c.: ibid. — Concordant cum nostra lectione codd. mss. St. Math., Francof., et Himmerod.
(i) et: deest in edit. Mart.

„debet intelligi, quod cum, in regnis per violentiam occupatis, jus „aliquod non haberent, novam singuli committebant injuriam, et ideo „singuli sibi diademata imponebant. Hoc etiam (a) satis approbat ca-„non antiquus, qui episcopis prohibet, ex usu etiam, gravamen seu „servile officium imponere subditis, evidenter insinuans, quod prae-„cedens usus illicitus prosequentem usum hujusmodi impositorem non „prohibet nominari. Civili rursum cautum est sanctione, quod licet „executor pro magistri delicto, quem non ipse, sed alius proposuerat „(b), teneatur interdum ignorans; si tamen scit et patitur ipse, adeo „cum (c) imposuisse videtur, ut secundum communem et celebrem „intellectum non quasi pro imposito ab alio teneatur, sed potius a se „ipso. Si ergo, ut dicit, percipiebat novum pedagium praedecessor, „successor utique, qui scivit et passus est percipi, imposuisse dicen-„dus est verius, quam impositum percepisse.

„Secundo videbatur idem electus perniciose fuisse negligens, „cum per sex annos et amplius in pallii, quod instanter petere debu-„isset, petitione cessasset; et hoc ipso (d) juxta sacrorum canonum „sanctiones, dignitate commissa carere debebat. Qui licet felicis re-„cordationis Alexandri (e) et Urbani temporibus, praedecessorum „nostrorum, se id per suos petiisse nuncios speciales assereret, ad-„dens quod etiam, vacante ecclesia, idem petierat a collegio cardina-„lium; confessus est tamen, quod nostro tempore non petierat, quia „a fratribus nostris aliquibus ei dictum extiterat (f), ut dicebat: quod „contra ipsum, inquisitione pendente, nullo modo daretur eidem.

„Tertio videbatur inexcusabilis, quod, prout confessus est coram „nobis, Philippum quondam Metensem episcopum confirmavit et con-„secrari mandavit, quem negare non poterat pati intolerabilem in li-„teratura defectum, cum id esset in partibus illis notorium, nec eum „latere poterat, qui decanus ecclesiae Metensis fuerat multo tempore, „in qua idem Philippus erat canonicus cum eodem (g). Nec sufficere

(a) enim: ibid. (b) imposuerat: ibid. (c) ipsum: ibid.
(d) ex hoc ipso jure: ibid. (e) Alex. papae et Urb.: ibid.
(f) exterat: ibid.
(g) Vid. historiam hujus Philippi, dicti de Florehanges (Florenges), in opp.: Histoire générale de Metz, par des religieux Bénédictins &c. T. II. p. 453. sqq. — Meurisse Hist. des Evêq. de Metz &c. p. 470.

„videbatur ad excusationem ipsius, quod non ipse examinaverat, sed „examinandum commiserat personis providis et discretis (a); cum pa- „tenter indigni examinandi non sint, sed a limine potius repellendi. „Nec excusat negotiorum instantia, quam allegat, cum ipsius defec- „tum tam patulum, quamvis plenarie sibi notum, deprehendere facile, „in transcursu etiam, potuisset, et aliis in judicio publicare. Quanti „similiter reatus existat, indignos ecclesiis collegiatis praeficere, satis „indicat generale concilium, dum testatur, nihil magis ecclesiis Dei „officere; ex quo sequitur, nihil superioribus arctius evitandum, nihil „in transgressoribus arctius puniendum.

„Quarto vero reperiebatur culpabilis, quia cum per sex annos „et amplius sacerdos (b) nec unam missam, prout habet ejus confes- „sio, celebravit. Quod quam gravis est culpae (c), satis indicat ge- „nerale concilium, quod tam graviter illos arguit, ac etiam puniendos „ostendit, qui vix celebrant ter vel quater in anno. Et quod dixit „ab initio se excusans, quod non celebraverat, quia pallium non ha- „buerat, frivolum esse liquet, cum ante receptum pallium, licet quae- „dam pontificalia non debuerit exercere, bene tamen et libere poterat „celebrare. Sed non prodest, quod addidit, quod habebat conscien- „tiam aliquantulum scrupulosam, quia eo peccavit gravius, quod sibi „salutari remedio non providit.

„Quinto constabat per confessionem ipsius, quod memorato Ur- „bano praedecessore nostro, altare quoddam in Urbe veteri conse- „crante, ipse inter episcopos alios assistens (d) eidem, una cum eis „consecrationis peregit officium, quod sibi videbatur inhibitum, pallio „nondum habito; cum non sit ratio, cur cum alio debeat alibi con- „secrare, qui in sua existens diocesi vel provincia praesumere talia „non deberet.

(a) Scilicet: Praeposito S. Castoris et Praeposito Dorcensi (Deissay), Canonicis ecclesiae Trevir., et Officiali Argentino. Vid. Declaratorias contra Henricum Trevir. in impresso Mabill. et Mart. supra citato. Opella haec continet rationes et responsiones pro electo Trevirensi, et contra ipsum. Etiam ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. T. I. p. 767. sqq.) excusationes Henrici, et refutationes excusationum impressas legimus.

(b) fuerat: addit edit. Mart. (c) sit culpa: ibid.

(d) assistentes: ibid.

„Sexto reus perjurii videbatur, quia (a) per publicum instrumen-„tum, sigillo roboratum ejusdem, evidentius (b) apparebat, quod cer-„tam quantitatem argenti, in transacto jam dudum termino, quibusdam „Senensibus mercatoribus solvere debuisset, quibus adeo satisfacere „non curavit, quod etiam eisdem conquerentibus coram nobis, con-„tendere quam cedere maluit, cum eis litem in judicio contestatus; „sed ad sui defensionem proposuit, quod contractus hujusmodi extitit „simulatus, conditionalis etiam, et non purus; facti processum in „hunc modum proponens.

„Dixit siquidem, quod licet dictum contineat instrumentum se fu-„isse confessum, quod sexcentas marcas receperat a mercatoribus „antedictis, nullam prorsus receperat (c), nec spe futurae (d) numera-„tionis sibi faciendae istud confessus fuerat; immo cum alio tractatum „habuerat, quod a rege Richardo dari sibi duodecim millia marcarum „argenti efficaciter procuraret, quae praedecessori suo idem rex dare „voluerat (e); et si hoc, ut praedictum est, ille cum quo tractaverat, „procuraret, tunc idem electus sexcentas marcas dare debebat eidem „per manus mercatorum dictorum, et ideo se dictis mercatoribus ob-„ligavit in sexcentis marcis praedictis, quas tamen nec ipsi mercatores „dare illi tertio, nec ipse electus mercatoribus tenebatur, donec es-„sent praemissa per illum tertium efficaciter procurata. Verum con-„tinetur in instrumento praedicto, quod si marcas praedictas in ter-„mino praefixo non solveret, nec pallium nec consecrationem peteret „nec reciperet, donec esset praedicta quantitas persoluta, et ad omnia „supradicta complenda juramento proprio se astrinxit.

„Ex his (f) autem grandis objectio contra eum videbatur insurgere. „Nam si, quae asserit, non probaverit, cum stare opporteat instru-„mento, convincitur de perjurio manifeste (g); si vero probaverit, quod „proponit, commisisse videtur evidentissime simoniam, quam committi

---

(a) quod: ibid. (b) ex eo evidentius: ibid.

(c) susceperat: ibid. (d) futura: ibid.

(e) Arnoldus, Archiep. Trev., Henrici praedecessor, corruptis Principibus Electoribus, Coloniensi, Palatino et Moguntino, vinci pecunia Anglicana non voluit. Vid. cap. 109. (Vol. I.)

(f) iis: ibid. (g) manifesto: ibid.

„testantur canones, sive detur, sive promittatur vel recipiatur pecunia, ut „spirituale quid fiat, sive etiam non fiat. Cum igitur iste contraxerit mu„tuum, sub conditione saltem, ut dicitur (a), donec solvisset, ad non „recipiendam consecrationem et pallium non petendum se juramento „astrinxerit: censendus est simoniacus, ut videtur; nec proderit si „dicatur, quod defecit conditio, et idcirco contractus habendus est „pro infecto. Nam in contractibus conditionalibus, et potest suspendi „obligatio, et pure simonia committi, sicut in usurariis judicamus. „Nam et qui promittit pecuniam, si ecclesia sibi detur (b), et qui sti„pulatur usuram, si sors soluta sibi non fuerit certa die, reus est „criminis, etiamsi conditio extat (c). Nec est in casu hujusmodi si„monia solius intentionis, quae deletur per poenitentiam (d); cum sit „haec intentio non occulta, sed certis pactionibus denudata.

„Septimo dicebatur, quod excommunicationem incurrerat, quia „abbatem S. Mathiae, et duos ejus monachos sacerdotes, in castro „ejus captivos nec liberaverat, nec procuraverat liberari. Ad quod „responderat, se fecisse quod poterat, quia officiali Trevirensi et priori „Praedicatorum ac gardiano fratrum Minorum in Confluentia manda„verat, quod monerent eum, qui castrum tenebat, ut eos redderet; „alioquin denuntiarent excommunicatum eundem, et comminarentur „eidem, quod feodis (e), quae a Trevirensi tenet ecclesia, privaretur.

„Ex his vero suam malitiam satis detegere videbatur. Nec enim „fideliter fecerat, quae facere debuisset (f): nam licet habeat com„munis opinio, quod dictus abbas, quem ipse reputat inimicum, captus „fuit in favorem (g) ipsius, et ipse electus plus non fecerit: cum ta„men et comminationem (h) exequi per alium potuisset, et excommu„nicasse et excommunicationis aggravasse sententiam multis modis, „non caret scrupulo societatis occultae tam manifesto facinori desi„nens obviare.

„His igitur et aliis, quae ad praesens discuti poterant, diligenter

(a) ut dicit, et: ibid. (b) daretur: ibid. (c) non existat: ibid.
(d) quae debetur per praesentiam: ibid. Nonnulli codd.: per pecuniam.
(e) feudis: edit. Mart. (f) q. fac. deb. fecit: ibid.
(g) saltem in favorem: ibid. (h) excommunicationem: ibid.

„inspectis, licet multis prudentibus (a) videretur, quod nos contra memoratum electum procedere gravius valeremus; quia tamen aliqua „de facto proposuit, quae eum in aliquo forsitan relevarent, ut eo „justius, quo et tutius in negotio procedamus, ad aliqua infra certum „probanda terminum eum admittere proponentes, prout requirit (b) „justitia et aequitas suadebit. Ne in ipsius manibus Trevirensis ec„clesia iterum (c) naufragetur, ab officio et beneficio eum suspendi„mus, summam aliquam taxaturi, quae eidem ad prosecutionem ne„gotii de redditibus saepefatae Trevirensis ecclesiae ministretur per „eos, quibus administrationem ejusdem ecclesiae in spiritualibus et „temporalibus committemus, potestatem nobis plenam et integram re„servantes.

„Ex iis, de quibus jam liquet contra eundem electum, nullis aliis „probationibus aut processibus expectatis, quando et quoties nobis „expedire videbitur, ad alia procedendi etiam graviora in allegatio„nibus juris, eidem juxta factum, de quo constiterit, audientia minime „deneganda (d). Datum Viterbii XIV. Kal. Januarii, pontificatus nos„tri anno tertio (e).“

CAPUT CLXXIV.

Electo igitur Trevirensi ab administratione ejusdem ecclesiae Trevirensis, per sententiam praedictam, taliter suspenso, dominus papa eandem administrationem ecclesiae Trevirensis viro discreto, magistro Bernardo de Castineto (f), auditori causarum palatii domini papae, de consilio fratrum cardinalium commisit, injungens et praecipiens,

---

(a) praesentibus: ibid. (b) requiret: ibid. (c) interim: ibid.

(d) audientiam m. denegando: ibid. Quae ib. sequuntur: Nulli ergo omnino hominum &c., non leguntur in nostris codd.

(e) 1267.

(f) Hic Bernardus de Castineto (notat Martene) ex dioecesi Magalonensi et villa Montis-Pessulani traxerat originem, fuitque unus ex quatuor auditoribus causarum palatii apostolici, destinatis ad omnes causas audiendas, quae ad Romanam curiam undecumque deferebantur, exceptis causis electionum Episcoporum et Abbatum, quem Innocentius V. anno 1275. ad cathedram ecclesiae Albiensis sublimavit. Vid. Galliae Christianae T. I. p. 21. — Bertholet (Hist. de Luxemb. T. V. p. 128.) nominat eum Bertrand de Chatenoy.

ut super omnia pro liberatione abbatis S. Mathiae, quantum posset, instaret. Qui veniens cum civitatem Trevirensem ingredi non auderet, timens ne amici electi Trevirensis aliquod malum sibi inferri procurarent, apud Lucenburch et apud Yvodium propter securitatem resedit; primoque (a) citari fecit coram se officialem Trevirensem, cui Trevirensis electus commiserat jurisdictionem ordinariam, repetensque ab eo sigillum curiae Trevirensis. Ipsum sigillum cuidam canonico Trevirensi sua auctoritate commisit.

Cum autem idem magister Bernardus super liberatione abbatis S. Mathiae circa illos fratres de Paffendorf, qui dictum abbatem detinebant, multum laborasset, nihilque posse se proficere videret, in ipsos ac eorum complices et fautores sententiam excommunicationis promulgavit, eamque per omnes ecclesias, monasteria, et ecclesias parochiales totius civitatis et diocesis Trevirensis fecit publicari.

Magister igitur Bernardus, quamdiu stetit in partibus istis, mansit in Yvodio et in Lucenburch.

CAPUT CLXXV.

Cum autem dominus Clemens papa in exordio sui apostolatus, omnique tempore quo praefuit ecclesiae Dei, negotio Trevirensi libenter finem imposuisset, nec valeret aliis majoribus negotiis impeditus: raptus est, ne malitia immutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ipsius. Multa enim proposuerat immutare in ecclesia Trevirensi, et in meliorem statum, secundum considerationem animi sui (b) reformare; sed antequam ad effectum propositum suum perduceret, sicut praedictum est, morte intercedente praeventus est. Consummatus ergo in brevi indeterminatum reliquit Trevirense negotium.

Defuncto itaque papa Clemente Gregorius substitutus est, sed non incontinenti. Fratribus enim cardinalibus inter se nimium dissidentibus, electio pontificalis retardata est, vacavitque sedes per quatuor annos immediate sequentes (c).

(a) primo quia: edit. Mart. (b) sui: deest ibid.

(c) Per tres tantum vacavit, nec integros annos; mortuo quippe Clemente IV. 29. Novan. 1268. electus est Gregorius X. 1. Sept. 1271. Sed absens (in Palaestina) electus, sequenti anno, 6. Apr. coronatus est.

CAPUT CLXXVI.

Electus vero Trevirensis defuncto papa Clemente gavisus est, festinansque arripuit iter revertendi ad terram suam. Timebat enim, quod si alius papa crearetur, immediate ipsum de curia exire prohiberet. Veniens igitur ad partes istas, non audebat intrare fines episcopatus Trevirensis, sed in terra nationis suae, videlicet apud Finistangis, et monasterium, quod in diocesi Metensi situm est, degens permansit. Videns etiam electus praefatus discordiam fratrum cardinalium super electione summi pontificis de die in diem augmentari, ipsamque electionem nimium prorogari, quippe cum non esset aliqua spes de pontifice futuro: coepit per interpositas personas quaerere omnes vias, quas poterat, per quas abbati S. Mathiae posset reconciliari.

Et primo quidem statim in suo adventu procuravit dicti abbatis et sociorum suorum liberationem, et hoc non per ipsum vel per ipsos, sed per alias personas interpositas fecit hoc occulte procurari; ita quod captivitas vel etiam liberatio ipsius abbatis non posset sibi in aliqua parte imputari. Abbate vero et sociis ipsius de squalore carceris qualitercumque liberatis, electus praefatus fratri domini abbatis, qui erat justiciarius illustris viri ducis Lothoringiae, viro magnae prudentiae et in omnibus multum circumspecto, dedit et contulit magnam pecuniae quantitatem, aliisque amicis abbatis multa dedit et plurima promisit, rogans per se et suos, ut super reformatione pacis inter ipsum et abbatem praedictum facienda et ordinanda interponerent partes suas.

Cum autem diversae viae super tractatu pacis hinc inde quaererentur, plurimique dies ab utraque parte in magnis expensis observati essent, electo praedicto offerente, facturum se omnia et singula, quae amici ipsius abbatis super reformatione dictae pacis statuerent et ordinarent: abbas praefatus timens, ne postquam idem electus, pallio obtento, gratiam curiae acquireret, omnia, quae sibi promiserat, infringeret, saniori fretus consilio proposuit in corde suo praecise, dixitque consiliariis utriusque partis expresse, quod nullam pacem faceret hic in terra, nisi ipsa pax facta vel facienda per curiam Romanam ratificaretur et confirmaretur.

Electo vero praedicto multum renitente, dictoque abbate aliter consentire et adquiescere nolente, tandem ab utraque parte in hoc ipsum voluntarie consenserunt.

CAPUT CLXXVII.

Praedictis igitur quatuor (a) annis, per quos sedes pontificalis vacaverat, elapsis, tandem circa festum purificationis beatae Virginis, instinctu Spiritus sancti, fratres cardinales concordaverunt, et Gregorium decimum ecclesiae Romanae episcopum praefecerunt.

Quod intelligens abbas praedictus gavisus est, sperans, se finem optatum negotii sui habiturum, sicut et habuit. In fine igitur Aprilis immediate subsequentis saepedictus abbas, quamvis propter diuturnam captivitatem, qua detentus erat, multum esset in corpore debilitatus, tamen noluit dimittere, quin prior veniret ad curiam Romanam, quod tamen dicto electo displicuit. Cumque idem abbas ad praesentiam domini papae pervenisset, interrogatusque ab ipso, modum liberationis suae de carcere et sociorum ejus, lacrymabiliter per ordinem exposuisset, et quod detentores sui ipsum sub certis conditionibus dimisissent, videlicet quod ipsum oportebat procurare eos absolvi a sententia excommunicationis, quam magister Bernardus de Castineto, administrator ecclesiae Trevirensis, auctoritate apostolica in ipsos promulgaverat occasione captivitatis praedictae; quodque ipsi extorserant ab eo quandam pecuniae quantitatem, condoluit eidem; volensque ipsius abbatis consulere indemnitati, literas suas ad abbatem S. Martini Glandariensis direxit sub hac forma.

„Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati „S. Martini Glandariensis, ordinis S. Benedicti, Metensis diocesis, sa„lutem et apostolicam benedictionem.

„Sua nobis dilectus filius Theodericus abbas monasterii S. Ma„thiae Trevirensis, ordinis S. Benedicti, conquestione monstravit, „quod Henricus et Thietardus (b) de Paffendorf, fratres milites, et „eorum complices laici Trevirensis diocesis, eundem abbatem, Go-

(a) Vide supra notam ad caput. CLXXV. (b) Theitardus: edit. Mart.

„defredum, Alexandrum et Hugonem presbyteros monachos suos, „non sine violenta injectione manuum in eos, Dei timore postposito, temere „capientes, ipsos per triennium et amplius detinuere captivos. Et licet mili-„tes et laici praedicti per dilectum filium magistrum Bernardum de Cas-„tincto capellanum nostrum, tunc in partibus illis apostolicae sedis „nuntium, ejusdem sedis auctoritate moniti fuerint diligenter, ut ab-„batem et monachos nominatos restituerent libertati, ac per ipsum „eadem auctoritate vinculo excommunicationis astricti, pro eo quod „monitioni hujusmodi non parebant, cum hujusmodi eorum excessus „adeo fuerit notorius, quod nulla poterat tergiversatione celari; ipsi „tamen hujusmodi et eam, qua sacri canones tales astringunt, excom-„municationis sententias damnabiliter contemnentes, ipsos tamdiu de-„tinuerunt taliter captivos, donec coactus extitit idem abbas, eis ex-„solvere quandam non modicam pecuniae quantitatem, et fidejussoriam „cautionem praestare, quod ipsos absolvi faceret a sententiis supra-„dictis.

„Sicque dictis abbate et monachis a captivitate hujusmodi libera-„tis, Conradus plebanus S. Mariae ecclesiae in Confluentia, Trevi-„rensis diocesis, de mandato dicti nuntii, se super hoc ab eadem sede „potestatem habere dicentis, milites ipsos, nulla passis injuriam sa-„tisfactione impensa (a), a dictis sententiis juxta ecclesiae formam „absolvit. Quare dictus abbas, qui occasione captivitatis et detentio-„nis hujusmodi damna gravia et expensas se asserit incurrisse, nobis „humiliter supplicavit, ut providere sibi in hac parte paterna sollici-„tudine curaremus.

„Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, qua-„tenus si tibi de hujusmodi manuum injectione, captione ac detentione „constiterit, dictos sacrilegos, nisi per te moniti, super injectione, „captione et detentione hujusmodi satisfecerint competenter, in pris-„tinas reducas sententias, et tamdiu, appellatione remota, excommu-„nicatos publice nunties, et facias ab omnibus arctius evitari, donec

---

(a) Cod. Eberh. Clus. habet hanc verborum constructionem: n u l l a s a t i s f a c t i o n e i m-p e n s a i n j u r i a m p a s s i s.

„super his satisfecerint competenter; et cum tuarum testimonio lite-„rarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi.

„Ipsos quoque, si alia praemissa inveneris esse vera, quod „praefatam pecuniam eidem abbati restituant, ac de praeteritis damnis „et expensis satisfaciant, ut tenentur, monitione praemissa, per cen-„suram ecclesiasticam, appellatione remota, praevia ratione compel-„las; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

„Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel ti-„more subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas „veritati testimonium perhibere. Datum apud Urbem Veterem, Nonas „Augusti, pontificatus nostri anno primo.“

CAPUT CLXXVIII.

Adhuc autem electus Trevirensis nondum venerat ad curiam, nec venire voluit, timens quod abbas praedictus, quem in tantum per se et suos laeserat, malum suum intenderet procurare apud dominum papam et cardinales; donec duo cardinales, qui erant sui promotores, et alii clerici sui, qui erant in curia, patentibus literis suis scripserunt eidem, mandantes, ut secure veniret ad curiam, quia abbatem non haberet adversarium, sed promotorem. Receptis igitur literis praedictis electus Trevirensis, aliisque intersignis, quae sibi sui promotores miserant, confortatus est et animatus, arripuitque iter veniendi tunc demum ad curiam Romanam, et circa festum assumtionis beatae Mariae Virginis apud Urbem Veterem, ubi tunc fuit curia, sanus et incolumis pervenit.

Convenientes igitur promotores et procuratores partis utriusque, tractabant de die in diem de bono pacis et concordiae, diversisque tractatibus hinc inde habitis, tandem de consensu amborum, videlicet domini Henrici electi et Theoderici abbatis S. Mathiae Trevirensis, procuratorumque ipsorum, in viros venerabiles dominum Wilhelmum tituli S. Marci presbyterum, et dominum Otthobonum tituli S. Adriani diaconum, cardinales (a), de alto et basso extitit compromissum (b).

(a) cardinalem: ap. Mart.

(b) Compromissum de alto et basso de iis dicitur litigantibus, qui arbitris electis supremam omnimodamque tribuunt litis dirimendae facultatem.

Qui cardinales dictum compromissum in se recipientes, deliberatione diligenti praehabita, diemque partibus assignantes, tandem in die beati Mathiae Apostoli pacem inter se factam et ordinatam in scriptis protulerunt, eamque in tali modo pronuntiaverunt.

„In nomine Domini amen. Illarum corda pacifica personarum, „quae veritatis rectitudinem sapiunt, et doctrinae Christi docentis „pacem erogandam hominibus et disciplinam (a), licet aliquando, hu„mani generis inimico superseminante zizaniam, odii fomite laceren„tur; processu tamen temporis, malignitatis expulsa caligine, concor„diae lumine (b), per quam boni totius succrescit commoditas, illus„trantur; sicque fit, ut jurgiorum dispendiosa prolixitas debitae bre„vitatis moderamine refrenetur.

„Porro venerabilis in Christo pater Henricus Dei gratia Trevi„rensis electus, et religiosus vir Theodericus, abbas monasterii S. „Mathiae Trevirensis, ac frater Alexander, monachus ejusdem monas„terii, attendentes, quod ex dissensionis materia suborta dudum inter „ipsum electum ex una parte, et praedictos abbatem et conventum „ex altera, de quibus idem frater Alexander componendi et compro„mittendi speciale mandatum habebat, nonnisi turbationes et rancores „et scandala oriuntur; advertentes etiam, quod ex bono pacis potest „utrique parti utilitas provenire: in nos miseratione divina Guillelmum „tituli S. Marci presbyterum et Otthobonum S. Adriani diaconum, „cardinales, de omnibus litibus, quaestionibus, discordiis et querelis, „injuriis, damnis, gravaminibus et expensis, quae sunt et fuerunt ac „esse potuerunt aliquatenus inter ipsos usque in hodiernum diem, „tanquam in arbitros arbitratores, amicabiles compositores, ordinato„res, laudatores et diffinitores alte et basse compromittere curave„runt. Concessa nobis ab ipsis partibus plenaria potestate de et su„per praedictis litibus, quaestionibus et discordiis, controversiis et „querelis, injuriis, damnis, gravaminibus et expensis laudandi, arbi„trandi, componendi et ordinandi, disponendi, declarandi, decidendi,

---

(a) hominibus displicia: confusa lectio editionis Mart.; ap. Honth. (op. cit. p. 794.) legitur: dispicia.

(b) caligine summae, per quam &c.: sic edd. Mart. et Honth., sed corrupte.

„pronuntiandi, diffiniendi et sententiandi partibus praesentibus vel ab-„sentibus, vel una earum absente et altera praesente, eis citatis vel „non citatis, diebus feriatis vel non feriatis, eis quoque scientibus vel „ignorantibus, ordine juris servato vel non servato (a), alte et basse, „qualitercumque, quomodocumque, ubicumque vel quandocumque nobis „placeret, et expediens videretur; prout in compromisso inde con-„fecto plenius continetur.

„Nos itaque in nos hujusmodi compromisso suscepto, deliberatione „praehabita (b) diligenti, auditis etiam et intellectis omnibus, quae „super praedictis litibus, quaestionibus, controversiis, discordiis et „querelis, damnis, gravaminibus, injuriis et expensis, partes praedic-„tae dicere et ostendere voluerunt, et utriusque partis diligenter in-„vestigata et cognita voluntate, eisque praesentibus coram nobis (c), „et hujusmodi nostrum laudum (d), arbitrium, compromissum, ordina-„tionem, mandatum, compositionem, diffinitionem, decretum et sen-„tentiam acceptantibus, approbantibus, et eis consentientibus. Renun-„tiantibus etiam in praescriptis omnibus et singulis, omni juris et le-„gum auxilio, canonici et civilis, nec non exceptioni doli et facti, „fori et clericali privilegio, constitutioni de duabus dietis editae in „concilio generali, omnibus etiam indulgentiis et privilegiis, instru-„mentis et scripturis publicis et privatis; literis quoque apostolicis „impetratis vel impetrandis, et omni alii exceptioni, actioni, defen-„sioni et rei, quae objici posset contra haec omnia vel aliquod eo-„rumdem, pro bono pacis et concordiae partium praedictarum, lau-„damus, arbitramur, componimus, dicimus, pronuntiamus, mandamus, „decernimus, et hac arbitrali sententia diffinimus, quod praemisso „utrinque mutuo pacis osculo, in signum solidae amicitiae inter ip-„sas partes omni tempore conservandae, rancores, inimicitiae, inju-„riae et offensae, qui et quae fuerunt hactenus inter ipsos, remittan-„tur hinc inde, nullo unquam tempore suscitandae, et altera partium „alteram in suis agendis bona fide pro posse juvabit, prout, secun-

(a) vel non servato: deest ap. Mart. et Honth. (b) habita: ibid.

(c) vobis: male habent Mart. et Honth.

(d) laudum est sententia arbitri in chartis medii aevi.

„dum Deum, honestati eorum et utilitati ecclesiae Trevirensis et mo-„nasterii supradicti viderint expedire. Et si altera partium de altera „aliquid sinistrum vel grande malum et notabile aliquo modo (a) per-„ciperet, ei per aliquem aut aliquos procurandum, illud, quam cito „poterit, revelabit, et bona fide impediet (b) juxta posse.

„Idemque electus eosdem abbatem et conventum, occasione ali-„quarum literarum a sede apostolica vel legato ipsius impetratarum „vel in posterum impetrandarum, super subventione sive subsidio ei „faciendo, per se vel per alium nullatenus molestabit, nec ipsarum „occasione aliquid (c) per se vel per alium aut alios, directe vel in-„directe, exiget vel exigi faciet ab eisdem; et quod pro bono pacis „et concordiae, occasione damnorum, expensarum et interesse, quae „et quas iidem abbas et procurator se et dictum monasterium fecisse „et habuisse et incurrisse dicebant, mille libras Trevirenses „idem electus eisdem abbati, suo et procuratori, conventus et mo-„nasterii praedictorum nomine stipulantibus et promissionem recipien-„tibus, solvere teneatur (d). Quarum sexcentae librae infra tres menses, „postquam ipse electus proximo intraverit civitatem Trevirensem, ad „administrationem Trevirensis ecclesiae restitutus (e); residuum vero „ab illo tempore in annum continue numerandum, nisi de ipsius abbatis „spontanea voluntate terminus utriusque vel alterius solutionis proro-„gatus fuerit, persolvantur. Ad quas mille libras sic solvendas, dic-„tum electum eisdem abbati et procuratori, dicti conventus nomine, „hac arbitrali sententia condemnamus.

„Idemque abbas eidem electo obedientiam et reveren-„tiam, tanquam patri ac domino ac praelato suo exhibeat, „et fidelitatem observet. Utramque partem ab omnibus litibus, „quaestionibus, discordiis, controversiis et querelis, injuriis, damnis, „gravaminibus et expensis, quae sunt et fuerunt, ac esse potuerunt, „quibuscumque modis vel occasionibus inter ipsos usque in hodiernum

---

(a) aliquando: edit. Mart.
(b) impediat: ibid.
(c) aliquem: ibid.
(d) tenebitur: ibid.
(e) et ad &c. restitutus fuerit: ibid.

„diem, per eandem sententiam absolventes; super ipsis utrique parti „perpetuum silentium duximus imponendum.

„Mandantes nihilominus, et injungentes eidem abbati, quod omni-„bus literis apostolicis et aliis instrumentis, actis et munimentis et „processibus habitis per easdem contra electum praefatum omnino re-„nuntiet. Quibus omnibus idem abbas incontinenti renuntiavit expresse.

„Quae omnia et singula supradicta secundum formam et obliga-„tionem in compromisso contentas, et sub poena ibidem expressa, „quam partem non servantem hujusmodi nostrum laudum, arbitrium, „ordinationem, sententiam vel mandatum, totiens incurrere volumus, „et ab ea (a) exegi posse cum effectu parti servanti solvendam, quo-„tiens contra praedicta seu aliquod eorumdem ventum vel actum fue-„rit seu aliquid attentatum: arbitrando, laudando, componendo, de-„clarando, disponendo, ordinando, sententiando et diffiniendo dicimus, „praecipimus, decernimus, mandamus et volumus per utramque par-„tem inviolabiliter observari. Quae quidem omnia et singula iidem „electus, abbas et procurator, prout in compromisso et superius ex-„primuntur (b), se omni tempore firmiter et inviolabiliter observaturos „in nostra praesentia juraverunt.

„In cujus rei testimonium praedicta omnia per Guillelmum infra „scriptum notarium scribi et publicari fecimus, et ad majorem cer-„titudinem sigillorum nostrorum munimine roborari. Lata et pronun-„tiata sunt haec apud Urbem Veterem in camera praefati domini Guil-„lelmi cardinalis, sub anno Domini MCCLXX secundo, indictione „XV., pontificatus domini Gregorii papae decimi anno primo, mensis „Septembris, die Mercurii, XXI.: praesentibus dominis Boemundo „primicerio, Henrico circatore, et Henrico dicto Mutthet (c) canonico „Metensi, et Guillelmo de Heyengen clerico, testibus ad hoc vocatis „specialiter et rogatis. Et ego Guillelmus dictus Nepos de Ypra „sacrosanctae Romanae ecclesiae publica auctoritate notarius, prae-„dictis omnibus interfui, et ut supra legitur, de mandato dictorum „dominorum cardinalium scripsi et in hanc publicam formam redegi, „ac meo solito signo signavi.“

(a) ab eo: ibid. (b) exprimitur: ibid. (c) Mucchet: ibid.

CAPUT CLXXIX.

Cum igitur praedicti dominus electus et abbas per dictos dominos cardinales, sicut praedictum est, fuissent reconciliati; idem electus per eosdem cardinales ac alios suos promotores, quos habebat in curia, gratiam ejusdem curiae adeptus (a), pallium suum quo jam diu caruerat, sibi dari obtinuit, ac non post multos dies, cum ipso pallio suo, ad terram suam archiepiscopus est reversus.

Abbas etiam cum suis in die beati Remigii de curia recessit. Cum autem venisset apud Cremonam, et invenisset ibidem in hospitio Theutonicos et Gallicos, qui etiam repatriare volebant, adjunxit se illis. Die autem altera, videlicet in die beati Dyonisii, cum essent (b) in itinere non longe ab ipsa civitate, praedones subito irruerunt in eos, et alios quidem ex eis ceperunt, alios totaliter spoliaverunt, alios autem lethaliter vulneraverunt. Abbas autem (c) et sui, Dei gratia eos protegente, salvis rebus evaserunt; quamvis Alexander, dicti abbatis capellanus, per lanceam graviter fuerit vulneratus, ita quod nullus voluit credere, quod mortem posset evadere, et tamen per auxilium Domini ad suum monasterium cum eodem vulnere pervenit; quamvis multos labores et dolores de ipso vulnere sustinuerit in via,

---

(a) Literas Gregorii Pontificis, quibus latam adversus Henricum sententiam revocat, et suspensio ejusdem relaxatur, horum Gestorum scriptor praetermisit; impressae vero leguntur ap. Mart. l. c. p. 324. sqq. et in Honth. Hist. dipl. I. p. 796. — Hanc bullam Romae ex registro Marini de Ebulo eruit Mabillonius.

Quaedam folia mss. Trev. ad annum 1272. haec referunt: „Gregorius Henricum, „post mulctam triginta trium millium marcarum datam, in gratiam recipit."

Alia folia mss. hanc rem exhibent in hunc modum: „Fertur, curiae ad triginta „trium marcarum millia, partim ad aes persolvendum alienum, partim ad studia „patronorum emenda, expensa tulisse: marca qualibet pendente duodecim soli„dos, quatuor sterlinges." Sic et scribit Browerus.

— Vide infra, quae dicuntur in textu capitis 184.

Nummorum, praecipue marcarum et solidorum, modum, valorem atque cursum, his saeculis multum variatos extitisse, satis constat. De re monetaria medii aevi in nostra provincia egregie disputat in variis Dissertationibus Nellerus noster. Adde Chronicon monetarium Trevirense in Honthemii Prodr. Hist. Trev. II. —

(b) Quidam codd. habent: cum centum in itinere non longe ab ipsa civitate praedones &c.

(b) autem: deest ap. Mart.

et tamen usque ad festum Nativitatis Domini vix potuit de ipso vulnere curari. Venientes itaque Trevirim dominus Henricus, Trevirorum archiepiscopus, et abbas, divina gratia ordinante, ita factum est, ut multo melores essent amici, quam antea fuerant inimici.

CAPUT CLXXX.

Sciendum praeterea, quod omnes, qui fuerunt in monasterio S. Mathiae eo tempore, quo Wilhelmus de Meysenburch fuit in monasterio praedicto, milites et servi mala morte interierunt. Alii occisi, alii subitanea morte mortui, alii caeci effecti, sicut omnes vidimus de quodam milite de Ponte, qui vocabatur Johannes Lupus, qui statim post ejectionem Wilhelmi de monasterio S. Mathiae caecus factus (a) est, et apertis oculis nihil vidit, et sic usque ad mortem caecus permansit. Item Johannes miles de Novo-castro dictus Slep, nescio qua rabie temeritatis inflatus, de mandato Henrici electi Trevirensis ac Arnoldi praepositi S. Paulini, qui tunc (b) exercitu praepotenti duas villas monasterii beati Mathiae, videlicet Nenniche (c) et Krittenache dictas, vi occupabant, propria manu duas curtes, scilicet Esch et Kuckilbergh (d), ad venerabile monasterium praedictum spectantes, horribili et miserabili incendio devastare temere praesumpsit. Unde Propheta: I n c e n d e r u n t i g n i s a n c t u a r i u m t u u m, i n t e r r a p o l l u e r u n t t a b e r n a c u l u m n o m i n i s t u i. Ecce quam enormiter supra sortem justorum extenditur virga peccatoris! Dum vero miles impius, minister sceleris et iniquitatis, servus diaboli, ministrator incendii, Neronis exercens tyrannidem, in possessionibus ecclesiae, sponsae Christi, sic ageret, et super antedicto curtium incendio gloriaretur, illico visu orbatus, a suis complicibus caecus abducitur (e); qui dum ad propria remearet, uxorem suam cum duobus filiis suis praedilectis eadem plaga percussos apud Novum-castrum invenit. Unde dolor et planctus in eodem castro oriebatur, pariter et

(a) effectus: ibid. (b) cum: ibid. (d) Al.: Mennich, Menniche.

(d) In uno eodemque Msto locorum nomina non raro diverse scripta leguntur. Conf. cap. 113.

(e) adducitur: edit. Mart.

tumultus. Ipsi vero ictu moeroris et luctu graviter vulnerati, eodem anno, miles, uxor, et duo filii vitam terminaverunt in dolore.

O Deus ultionum Domine, qui nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum praetermittis!

Wilhelmus etiam de Meysenburch habens adhuc aliquam spem a domino Henrico archiepiscopo Trevirensi restitutionis sibi faciendae ad abbatiam S. Mathiae praedictam, intelligens Theodericum abbatem cum archiepiscopo esse reconciliatum, sentiensque se sua spe omnimodis esse frustratum: nimium confusus et contristatus, et sicut dicit Salomon: Animus gaudens aetatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa; ipse Wilhelmus videns (a) se sic illusum, propter vehementem tristitiam et cordis amaritudinem exsiccata sunt ossa illius, sicque in moerore et luctu complevit dies suos, licet fuerit juvenis et fortis, et appositus est ad fratres suos in cimiterio S. Maximini praedicto.

Sciendum etiam, quod omnes literae apostolicae, quae in isto (b) processu continentur, adhuc habentur in superiori sacrario nostro (c) sub bulla papali.

CAPUT CLXXXI.

Notum sit omnibus, quod inter cetera reputo fore dignum extremae cellulae (d) commendandum, quam benivole summus pontifex, vir christianissimus Urbanus papa IV. negotium venerabilis Theoderici abbatis et conventus monasterii S. Mathiae Trevirensis tractabat; non tepide sed plenissime, cum favore ad hoc intentus, ut idem negotium felicissimo fine terminaret, ut in epistolis subsequentibus lucidius apparebit.

O quam pius Romanae sedis antistes, qui temporibus suis causas pupillorum (e) direxit et judicium pauperum judicavit, ut dicitur in Propheta! Sed haec hactenus: quod (f) instat agamus.

(a) videns: desideratur ibid. (b) isto: deest ibid. (c) i. e. monast. S. Math.
(d) Sic omnes codd.; Martene opinatur, forte legendum esse: schedulae.
(e) populorum: cod. Paris.; sed minus accurate.
(f) et quod: edit. Mart.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico „de Bollandia archidiacono Trevirensi, salutem et apostolicam bene„dictionem.

„Felicis recordationis Alexander papa praedecessor noster, dilecto „filio electo Trevirensi, conferendi personis idoneis, etiamsi alias bene„ficiatae non (a) forent, abbatias, prioratus (b), dignitates, personatus, „officia, et alia ecclesiastica beneficia, quae in civitate ac diocesi seu „provincia Trevirensi tanto tempore vacaverant, quod ipsorum colla„tio erat ad sedem apostolicam, secundum Lateranensis statuta con„cilii, legitime devoluta, concessisse dicitur per suas literas liberam „facultatem. Quarum praetextu idem electus, personatus, dignitates, „officia et beneficia hujusmodi, prout asseritur, conferre praesumit „personis minus idoneis et alias beneficiatis, quae in ecclesiis in qui„bus personatus, dignitates, officia et beneficia praedicta habentur, „vel in illis in quibus prius beneficia obtinebant, nequeunt residere, „sicque oporteret aliquas ex praedictis ecclesiis debitis obsequiis de„fraudari.

„Nos itaque id tolerare nolentes, et considerantes, quod abbatiae, „prioratus, dignitates, personatus, officia et beneficia ad collationem „nostram spectantia, utilius per nos quam per electum conferri pote„runt supradictum; discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, „quatenus praedicto electo ex parte nostra inhibere procures, ut per „hujusmodi literas, quas penitus revocamus, de cetero procedere non „praesumat, eum si necesse fuerit, quod a tali praesumtione desistat, „monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione post„posita, compellendo, ac sententias et processus, si quos vel si quas „praetextu literarum ipsarum fieri vel haberi contigerit, decernendo „irritos et inanes, non obstante si praefato electo a sede apostolica „sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit „per literas apostolicas, quae de indulto hujusmodi plenam et expres„sam non fecerint mentionem. Datum Viterbii, Nonas Novembris, „pontificatus nostri anno primo."

(a) non: deest in quibusdam codd.
(b) praelaturas: ibid.

CAPUT CLXXXII.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori- „bus ordinis fratrum Praedicatorum, provinciae Trevirensis, salutem „et apostolicam benedictionem (a)."

CAPUT CLXXXIII.

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Arnoldo „archidiacono Trevirensi, salutem et apostolicam benedictionem.

„Sicut nolumus indigna praecipere, ita cum digna praecipimus, „ea volumus efficaciter adimpleri. Satis credimus in illis partibus „esse notum, qualiter Henricus, qui pro electo Trevirensi se gerit, „dilectum filium Theodericum abbatem monasterii S. Mathiae Trevi- „rensis, ordinis S. Benedicti, non sine multa temeritate ab eodem „monasterio amoverit, et alium pestilentem monachum, nomine Wil- „helmum, intruserit in eodem. Cum itaque nos, contra intrusorem et „intrusum hujusmodi et fautores eorum, diversa mandata diversis (b) „personis sub certa forma pro dilecto abbate ipsiusque monasterio di- „rigamus; discretionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, „per apostolica tibi scripta praecipiendo mandantes, quatenus illis sub- „ditis tuis, quos a nobis vel delegatis nostris contigerit super his hu- „jusmodi mandata recipere, sic faveas, sic assistas, quod ipsi, tuo „muniti favore, injunctum eis mandatum apostolicum in hac parte, „sine trepidatione aliqua exsequantur; tu quoque id exsequi libere „studeas, si quando tibi auctoritate nostra fuerit demandatum; preces „et mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus, quod odisse „iniquitatem et diligere justitiam comproberis, nosque devotionem tu- „am proinde possimus merito commendare. Datum apud Urbem Ve- „terem, V. Calendas Octobris, pontificatus nostri anno tertio."

„Urbanus episcopus, servus servorum Dei, filio Theoderico ar- „chidiacono Trevirensi &c.

(a) Argumentum hujus bullae in omnibus concordat bullae Gardianis et Custodi ordinis fratrum Minorum directae. Vid. supra (cap. 119.).

(b) diversis: non legitur ap. Mart.

„Sicut nolumus &c. (ut supra)
Datum (ut supra).

Sequitur mandatum similis tenoris ad abbatem Glandariensem. Datum (ut supra).

„Urbanus &c. dilecto filio nobili viro duci Lothoringiae &c.
„Quoniam timorem Domini &c. (ut supra comiti Lucenburgensi).
„Urbanus &c. scabinis et universitati Trevirensi &c.
„Quoniam timorem &c. (ut supra)
„Urbanus &c. magistro scabino et tredecim juratis Metensibus &c.
„Quoniam timorem &c. (a).

CAPUT CLXXXIV. (b)

Idem Henricus Trevirensis archiepiscopus (c) munitiones totius diocesis diversis structuris multipliciter roboravit: quaedam vero de novo construxit, opere valde sumptuoso; videlicet Berincastel castrum erexit a fundamento; Meiene villam condidit, et ibidem castrum construxit, quod ecclesiae Trevirensi subjugavit. In Confluentia de domo Wilhelmi militis, quae dicebatur archa, castrum fortissimum maximis expensis comparavit. Castrum Sarburch, palatium Trevirense (d) et etiam Palzele (e), Grimbergh, Pilliche, Novum castrum quod dicitur Meyrmunt (f), magnis aedificiis sumptuosissime renovavit. Multas quidem possessiones ecclesiae Trevirensis, propter mundi gloriam magis, quam Dei laudem, instauravit, quae scribi possent, si taedium temporis non adesset; et multa majora comparasset, si curia Romana super introitu suo usque ad triginta quatuor millia marcharum et amplius ipsum non excoriasset (*), ac etiam propter discordiam misera-

---

(a) In hac quoque bulla totum epistolae praecedentis argumentum invenimus.
(b) Capita 184., 185. et 186. desiderantur in impressis; sed leguntur in codd. mss. S. Math., Francof., Himmerod., Eberh. Clus. et Paris.
(c) post confirmationem suam: addit cod. Eberh. Clus.
(d) palatium Treviris cum omnibus cameris et aedificiis: sic id. cod.
(e) Palatiolum: ibid.
(f) Addit id. cod.: Manderscheit, Marienberch, Ehrenbreitstein, Montabuyr, Hardinvels.
(*) Conf. quae enotavimus supra ex aliis Mssis ad cap. 179.

bilem superius memoratam inter ipsum et Theodericum abbatem S. Mathiae, qui dictus abbas in consecratione et pallii sui impetratione ipsum annis plurimis impedivit, ut in praemissis lucidius est expressum. Sed quod laude dignum praedico: gens Trevirica, bona pace freta, sub ipso principe congaudebat, ac metas jurisdictionis ecclesiae Trevirensis fiducialiter dilatavit, ac totam provinciam suis temporibus feliciter (a) gubernavit.

CAPUT CLXXXV.

Quid plura? Vir magni consilii, ac prudentissimus in acquirendo transitorias hujus mundi facultates, et omni carens religionis disciplina; et quod magis describere erubesco, clerum et religiosos semper habuit exosos, ac praecipue, vitam monasticam subsannando, parvipendit, et religionis honorem vi et injuria nitebatur penitus conculcare; nam bonis ecclesiarum violenter subtractis diversa castra aedificavit, ut apparet in praemissis; et ne longe petamus exempla, conventum de Hilmilrode (b), viros religiosos et devotos ordinis Cisterciensis coegit miserabiliter exulare, ipsorum bona sine causa dissipans et devastans (c). Quam ob rem famam suam et honorem viliter obfuscavit.

Sed divina justitia, impiorum castigatrix, religionis injuriam non perpessa; ipse infirmitatis aculeo gravissime percussus coepit aegrotare per unius anni spatium, nec evasit. Unde exasperatus est spiritus ejus, et flagellum Dei sustinuit animo furioso: non ab injuria praedicta cessavit, indignatione magis excandescens. Dum vero sic dolore cordis indicibili cruciaretur vehementer, nescio quo spiritu inspiratus, quoddam propositum concepit, quod supernus dispositor disposuit terminandum: quasdam exactiones fecit fieri per omnes villas

---

(a) In nonnullis codd. desideratur: feliciter.

(b) Al.: Hymenroede, Himmilrode, Hymelrodi.

(c) Ab hac tamen oppressione Henricum tandem destitisse, indicio sunt literae publicae anno 1274. expeditae, quibus Abbati et Conventui de Himmenrode omnia bona et possessiones confirmavit. Series abbatum claustri B. M. V. in Himmenrode &c. per Robert. Bootz (Cod. ms. Trev. N°. 1275 sign.).

sibi subjugatas, et maxime a Judaeis, sub sua defensione constitutis, quos ipse specialiter protexit, thesaurum infinitum extorsit.

CAPUT CLXXXVI.

Cunctis rebus suis dispositis, ac dicto thesauro diligentissime commassato, dixit se velle visitare limina beati Judoci (a) juxta mare, sperans ibi vigorem sui corporis reparare; tamen cunctis amicis suis, clericis et religiosis ac civibus Trevirensibus, sibi dissuadentibus; nam sciverunt, ipsum talem laborem itineris nullo modo posse sustinere: nec ire, nec stare poterat, nec equum scandere, nisi manibus servorum suorum selle imponeretur.

Sanum consilium renuit et contempsit. Currum corio circumtextum, in quo veheretur, sibi parari jussit, et sic paucis concomitantibus recessit, morbo incurabili constipatus. Dum vero ad limina dicti Sancti pervenit, coepit de die in diem gravius aegrotare, et appropinquare finis ejus; [sed (b) in clero de discessu sive decessu fuit anceps conjectura; unde quidam dixerunt, quod ad hunc gradum non ascenderit per ostium, sed aliunde per inpressionem symoniacam, et ergo turpiter exivisset. Sed hoc divinae bonitati committimus. Ad materiam redeamus. Post paucos vero dies, inter tot delicias et divitias, dum sermo adhuc esset more suo, ut fulgur in nocte, repente descendit, super ipsum, imperium divinae majestatis.] Et in loco praedicto in crastino beati Marci Evangelistae vitam terminavit, finem universalem concludendo, anno Domini M. CC. oct. VI. (c), et translatus Trevirim in ecclesia beati Petri in dextro latere juxta murum, debitis exequiis peractis est a clero et populo honorifice tumulatus;

(a) S. Judocus (Jodocus) Confessor, filius Rethaeli, Britonum Regis, anno 653. moritur, ut scribit Sigebertus in Chronico. — Surius vitam Jodoci publicam fecit ex ms. codice Guilhelmitarum Brugensium (ad diem 13. Decembris).

(b) Omnia haec a verbis: sed in clero &c., usque ad: Et in loco &c., per amplificationem addit cod. ms. Francof.

(c) Vult illum obiisse Trithemius noster, anno 1288, sed nescimus, qua auctoritate fretus (Chron. Hirs. T. II. p. 51.).

Browerus (Op. cit. pag. 167.) refert haec verba epitaphio annexa: Hic obiit sexto Kal. Maii. Anno Domini MCCLXXXVI. Cujus anima requiescat in pace.

et est ibidem altare juxta tumulum (a), quod ipse largissimis honoravit donariis ad laudem Dei constructum, ac animae suae requiem pariter et memoriam sui sempiternam.

Ecce quam subito, solo Dei nutu, funestus honor saeculi, ac omen (b) vanum et caducum in nichilum redigantur!

Sequitur Epitaphium (c).

„(De Finestinga praesul fuit hic oriundus.
„Moribus et vita nulli fuit orbe secundus.
„Nobilis Henricus Treberis tibi fidus amicus.
„Cura tuis morbis, honor et pax urbis et orbis.
„Rector erat magnis, devotis extitit agnus.
„His pia vota dabat, tumidos tibi suppeditabat.
„Ipse tibi caulas multas construxit et aulas.
„Te bene dotavit, tibi fortia castra paravit.
„Nunc Trevir plora, Dominum cum fletibus ora,
„Quod sibi solamen praestet Christus Deus. Amen.)"

CAPUT CLXXXVII. (d)

Gesta ejusdem Henrici Trevirensis archiepiscopi, ab alio auctore conscripta (e).

Prologus.

Historias conscribere multiplex est utilitas, quoniam ex hoc fonte hauriunt praeteritarum rerum prius ignari, quo interior homo delec-

---

(a) Altare S. Erasmi Episcopi et Martyris. In aliis foliis mss. legimus: „Henricus, variis morbis afflictus, a diversis quoque Sanctis opem efflagitat, qua non impetrata, „moritur Bononiae, translatusque Trevirim, sepelitur in summa aede ad ostium, per „quod est ingressus ad templum B. V. M. ex summo templo." Conf. infra cap. 191.

(b) Male cod. Paris.: omnem.

(c) Hic subjicere libet inscriptionem sepulchralem in honorem Henrici Archiepiscopi, quam codd. mss. Francof., S. Paulini Trev., et Paris. habent, sed manu postera Msstis additam. Silet omnino de hac blanda et rudi epigrapha cod. noster S.-Math. synchronus. Hic desinit Henricus, scriptor St.-Mathianus. Hic et finis est codd. mss. St.-Math., Francof., et Himerod.

(d) Continuamus textum ex codd. mss. Trev. S. Agnetis et S. Paulini. — Honthemius et Martene haec Gesta typis mandari curaverunt.

(e) Alter hic scriptor, laudibus ac gloriae Archiepiscopi Henrici impense favens, etsi

tatur, et venit (a) ad cognitionem mirabilium operum, quae Deus gloriosus ante nostra tempora mirabiliter operatus est. His autem fideliter insudantibus (b) ac rectam disciplinam et maximam (c) rerum gestarum cognitionem habere (d) volentibus patet strata regalis, per quam incedentes contemplantur diversi diversa, quibus informatur vita modernorum, ad multa pericula evitanda et ad aeternam vitam obtinendam. Sed sic sub vitiis multorum corda tenentur, ut sint sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Profecto hi sunt illi, qui bonum et arcanum divinum contemnunt; ad quos etiam summus Deus illos judicavit immeritos et indignos. In historiis enim et chronicis conscribendis multi sapientes viri laborabant: sicut (e) Hermogenes (f), Josephus historiographorum maximus, ac Orosius, et multi alii tam philosophi, quam prophetae. Porro ille mundi fabricator omnipotens, qui cognoscit omnia antequam fiant, sciens hominum memoriam labilem, ac dies paucos et defluentes sicut aqua, quae defluit et non revertitur, primos apices suo digito scribere dignatus est, digito nostram fragilitatem informans, sicut ceram mollem, quae recipit impresso formam a sigillo, ut operum suorum mira miracula posteris elucescerent plenius per scripturam.

Quidam (g) autem rerum necessitate coacti sunt, ut ea, quibus interfuerunt cum agerentur, scripturae declaratione colligerent; quosdam (h) vero magnitudo rerum utilium in occulto jacentium invitavit (i), ut historiam de (k) his ad utilitatem deberent conferre communem; nam sic ipsa testatur veritas: Non est bonum, lucernam abscondere sub modio, nec ea, quae recte (l) gesta sunt, ignoran-

---

ceterum non contemnendus, nobis nomen suum invidit. Est autem, secundum nostram sententiam, Ordolphus Scholerius, Trevir fere coaevus, qui ea, ut nos opinamur, ex mandato Balduini Archiepiscopi, contra scriptorem Henricum Mathianum composuit et suae Gestorum recensioni inseruit.

(a) venitur: ed. Honth. (b) insudatur: ed. Mart. — insudantur: cod. Paris. (c) maximarum: cod. Paris. (d) quaerere: ibid. (e) sic: ed. Honth.

(f) Forsan Hermogenes Tarsensis, Flavii Josephi contemporaneus, de quo scribit Suetonius (Domit. c. 10.): „item Hermogenem Tarsensem (occidit), propter „quasdam in historia figuras; librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis."

(g) Quibus: edit. Mart. (h) quo: ibid. (i) immutavit: Mart., lectio corrupta. (k) Mart.: et. (l) Ap. Honth. deest: recte.

tiae tenebris occultare. Horum igitur (a) vestigia cupiens imitari, quantum possum, licet segnities ingenii et tarditas intellectus obscuri repugnent; attamen nanus (b) gyganteis suppositus humeris, longius longiore conspicit, et piger dextrario (c) insidens, celere celerius currit. Sed frequenter, quod istorum exhilarat animos, illorum efficit taediosos. Quis ergo tutus a morsibus aemulorum? Beatus enim Iheronimus in cunctis suis praefationibus consuevit suis aemulis respondere: aggrediar ergo illud sapientis, qui dicit: Opto placere bonis, pravis (d) odiosus haberi.

Pluries ab amicis meis invitatus, quibus placere cupio, qualiter postquam vir venerabilis dominus Arnoldus, piae recordationis Trevirensis archiepiscopus, ab hujus carnis ergastulo fuerat a Domino feliciter evocatus, et inopinato casu, immo potius ex divina providentia, dominus Henricus de Vinstinga, vir alti consilii et magnae patientiae, decanus ecclesiae Metensis, ad archipraesulatus honorem Trevirensis (e) ecclesiae, non absque tamen immensis laborum sudoribus (f) extitit sublimatus; quomodo fuerit electus; quotque annis administraverit officium sui pontificatus, et quantum (g) ampliaverit ecclesiae suae statum; qualis fuerit ejus exitus, et quanta damna sustinuerit ex dispendiosa discordia, orta inter ipsum et dominum Theodericum abbatem S. Mathiae, quae materia dinoscitur alibi nimis diffuse fore conscripta (h), cum adjutorio Altissimi sub lucida veritate compendiose perstringam.

Sed quaedam per diversa loca ante per aliquot dies acta et gesta proponam.

CAPUT CLXXXVIII.

(i) Anno Domini MCCXLVIII. Wilhelmus, comes Hollandiae, in

(a) ergo: ibid. (b) Honth.: manus, omnino male.
(c) Dextrarii nominabantur equi majores. V. Du Change in h. v.
(d) Cod. Paris. omnino corrupte: pravos. (e) Trevericae: edit. Honth.
(f) laboribus, sudoribus: ita male ead. edit. (g) qualiter tum: ibid.
(h) Auctor alludit ad Gesta Henrici praecedentia.
(i) Muratorius dicit, Wilhelmum electum fuisse anno 1247., et coronatum 1. Nov. 1248. Vid. Alb. Stad. ad a. 1247., et Matthaeum Paris. ad a. 1248.

Romanorum regem eligitur, adhuc vivente (a) Frederico imperatore, excommunicato et condempnato, et regnavit idem Wilhelmus annis IX., nondum regali diademate insignitus; qui super glaciem pugnans cum Frisonibus, occiditur ab eisdem (b).

Post eum Richardus, dux Cornubiae, frater regis Angliae, eligitur, et deinde quidam alii, qui omnes in parte regni vix suscepti paucis diebus regnabant.

Tandem (*) eligitur justus et strenuus princeps Rudolphus, comes de Hasburch (c), miles inclytus et bellicosus, qui multa castra praedonum dejecit, et illos decollari fecit. Plurima bella commisit, in omnibus victoriose triumphans. Quarto anno regni sui regnum Boëmiae potenter invasit; regis Boëmici tyrannidem et obstinatam inobedientiam (d) horrende vindicans, ipsum regem, divitiis, armis et militia praepotentem, in campali praelio bellicose prostravit (e): ducatum Austriae et provincias multas sibi subjugavit, ac regnum Alemanniae suis temporibus gloriose gubernavit. Regali electioni hujus apud Vrankenvort celebratae, cum ceteris principibus interfuit antedictus dominus Henricus Trevirorum praesul, armipotens et gloriosus prae ceteris principibus universis, cum MDCCC armatis tam militibus, quam armigeris et vasallis (f).

Anno Domini MCCXLVIII. (g) Ludowicus rex Franciae transfretavit. Hyemans in regione Cypri (h), proxima aestate Damiatam cepit, et paulo post, per retorsionem Nyli, plus quam centum millia

---

(a) adveniente: Mart.

(b) Conferantur, quae dicta sunt de Wilhelmo Rege et de Richardo cap. 109. (Vol. I.)

(*) Anno 1273. pridie Kal. Oct., ut Albertus Argent. ait.

(c) Habsburg. In chartis quandoque: Havesburg.

(d) Male Honth.: obedientiam. (e) prostituit: id.

(f) Diploma Rudolphi Regis, Henrico Archiepiscopo Trev. datum anno 1273. factum quoddam refert, de quo Gestorum scriptor silet. En verba chartae: „Rudolfus in Romanorum regem electus promittit venerabili principi Heinrico Trevirorum archiepiscopo mille quingentas et quinquaginta quinque marchas bonorum et legalium Aquensium et Hallensium denariorum secundum pagamentum oppidi Frankenvordensis pro expensis, quas idem apud Frankenvort pro felici nostra electione fecisse dinoscitur.“ — Günth. Cod. dipl. Rh.—Mos. II. p. 381.

Honth. legit male: MCCXLVIII. (h) Tyri: ed. Mart.; sed erronee.

Christianorum capiuntur et occiduntur a Saracenis: rex capitur, et frater ejus occiditur, Robertus nomine (a). Rex autem redemptus pro DCCC Bysantiis aureis, ab altero principe pagano captus est et occisus (b). Saraceni Damiatam, civitatem munitissimam (c) funditus evertentes, lapides projecerunt in Nylum.

Anno Domini MCCLI. (d) obiit Fredericus magnus imperator, depositus et excommunicatus et condempnatus usque ad quartam generationem a domino Innocentio papa quarto in concilio Lugdunensi. Obiit autem (e) in vigilia beatae Luciae virginis, in qua nocte serena et gelida audita sunt tonitrua maxima, et apparuit ante et postea multis diebus (f) cometa.

Anno Domini MCCLII. sanctus Petrus de ordine Praedicatorum martyrio coronatur (g).

Anno Domini MCCLV., feria sexta, luna decima ante festum beati Andreae, cometes apparuit, et duae lunae visae sunt in coelo. Eodem anno descendit ignis de coelo, qui consumpsit civitatem Macometi (h), quae vocatur Meccha (i), et omnem circa regionem usque

---

(a) Robertus perditus nec inventus: sic Guilielmus de Podio ap. Duchesne.

(b) Haec forte fama (notat Martene) apud Germanos percrebuerat. Ludovicus IX. autem peste correptus occubuit 25. Aug. 1270., pugnans contra Tunetanos in Africa.

(c) Ap. Mart. deest: munitissimam.

(d) More consueto annus erat 1250. — Legimus in Wilhelmi monachi Egmond. Chronico (Analecta Mathaei II. edit. 2. p, 509.) hos versus sepulchrales in memoriam Friderici:

„Anno milleno bis centum pentaque deno
„Dives mendicus decessit Rex Fredericus.
„Si probitas, sensus, virtus, sapientia, census,
„Nobilitas orti possent resistere morti,
„Non foret extinctus Fredericus qui jacet intus.
„Tali nempe die celebrantur festa Luciae."
(i. e. in Decembri.)

(e) Honth.: enim.

(f) multis diebus: deest ap. Mart.; magnus cometa: ibid.

(g) Conf. Acta Sanctor. Antv. 29. April. — Ea etiam tempestate ornabant Ecclesiam omni sanctitatis et literarum gloria Bonaventura et Thomas Aquinas, qui ambo anno 1274. obierunt; Thomae item praeceptor, Albertus M., an. 1280. defunctus.

(h) Machometi: cod. Eberh. Clus.

(i) Mekka. Ap. Honth.: Metcha.

ad tres dietas (a); et post multa tempora remansit ignis ardens in quadam valle illius regionis.

Anno sequenti ignis, qui nescitur unde venerit, consumpsit sepulchrum Macometi, distans a dicta civitate (b) dietas tres. Deinde anno tertio sequenti rex Tartarorum expugnavit Baldach civitatem (c), quae olim vocabatur Susis, in qua Asuerus rex Hester elegit in uxorem, repudiata Vasti; in qua regnavit haeres Macometi, quem Tartari interfecerunt cum uxoribus et liberis, et trecentis millibus equitum.

Anno sequenti occupaverunt iidem Tartari montana illius, qui dicitur Agellaus, rex montis, destructis trecentis castris sub ejus potestate sitis (d). Quinto anno transierunt Tygrim, et debellaverunt et devastaverunt terram totam, quae est inter Tygrim et Eufraten. Transeuntes autem Eufraten, venerunt in Sysiam, gentes et populos prosternentes; tantusque timor invaserat omnes regiones longe vel prope sitas, ut illarum incolae venirent cum clavibus civitatum ad Hulaonum (e) regem Tartarorum (f) pro gratia obtinenda, et (g) parceret eisdem.

Jam stylum ad materiam convertamus.

(a) Dieta, i. e. iter, quod una die conficitur. (b) dicta: deest ap. Mart.

(c) Bactra (Balk)?

(d) Turbata haec valde sunt in edd. et quibusdam Msstis. Mart. et Honth. hanc periodum legunt: „Anno sequenti occupaverunt montana, alius qui appellatur rex „mortis (Mart. habet montis) destructis &c.“ Cod. Eberh. Clus,: rex mortuus. — Sermo est de famosissimo Assassinorum populo, qui habitabat in montibus Syriae et Phoeniciae, munitissimaque habebat castra. Solebat sibi summum magistrum praeficere, quem, spretis aliis dignitatum nominibus, orientali idiomate Scheich-oldschebal seu Scheich al Dsebal (Principem montium) appellaverunt; alii vero Veterem de monte, sive Senem. Conf. Guil. Tyr. de bello sacro, et Jac. de Vitriaco Hist. orient. (in Boug. Gest. Dei per Francos T. I.), qui c. 14. scribit: „In Syriae parte (ap. G. Tyr.: in Phoenicide) quidam populus scopulis „et montibus undique circumclusus inhabitat, habens decem castella fortissima et „propter viarum angustias inexpugnabilia.“ — Adde Matth. Paris. Hist. maj. p. 59. — Jos. v. Hammer's Gesch. der Assassinen aus morgenl. Quellen. — De Sacy sur la dynastie des Assassins et sur l'étymologie de leurs noms (Mém. de l'institut de France. Classe d'hist. et de littérat. ancienne. IV. p. 1. sqq.)

(e) Hulaornem: cod. Eberh. Clus. (f) Tartareorum: ed. Honth.

(g) ut: ead. edit.

CAPUT CLXXXIX.

Trevirorum ergo ecclesia, quae super Gallos et Germanos primatum obtinet (a), quem, prae cunctis Cisalpinis ecclesiis, suis doctoribus electis, videlicet S. Euchario discipulo Jesu Christi, et suis sociis Valerio et Materno, ac per baculum suum princeps Apostolorum S. Petrus signavit habendum; suam quodammodo minuens dignitatem, ut sibi principem faceret eandem; ob quam causam summus pontifex caret baculo pastorali usque in hodiernum diem: Trev. ecclesia, ut dictum est, suo patre et pastore fidelissimo viduata, corpore ecclesiasticae tradito sepulturae, die assignata ad eligendum, vocatis omnibus, qui de jure debuerunt interesse, convenientibus autem praelatis et canonicis universis ecclesiae Trevirensis, qui debuerunt et potuerunt commode interesse, invocata S. Spiritus gratia, placuit omnibus et singulis (b), per viam scrutinii, dictae ecclesiae de pastore digno providere. Ipsis vero discrepantibus illa die, alia dies, scilicet vigilia beati Nicholai (c), assignata est ad eligendum, ut prius. Qua die humani generis inimico, zizaniam seminante venenosam, amarissima invidia livescente, quae sicut rubigo ferrum attenuat, omnes virtutes obnubilat et consumit, ingens orta est dissensio inter fratres ecclesiae praelibatae, qui sua vota divisim direxerunt in dominum Arnoldum de Sleyda (d) ex una parte, et dominum Henricum de Bolandia ex altera, archidiaconos (e) ecclesiae Trevirensis, qui celeriter ad sedem apostolicam pervenerunt. Ipsis autem per biennium in curia Romana existentibus, continue ac pertinacibus litigiis ibidem irretitis, dominus Alexander sacrosanctae Romanae ecclesiae summus pontifex, dolens ecclesiam Trevirensem, nobilissimam filiam, quam plantavit et genuit mater ecclesia primitiva, esse suo sponso eclipsatam, vidensque illam periclitari miserabiliter, tanquam in medio nationis perversae; de communi consilio fratrum cardinalium, dictas electiones in

---

(a) Hic magnus hiatus in editione Marteneana — usque ad verba: suo patre et pastore &c.

(b) Edit. Mart. omisit: et singulis.

(c) Verba: scilicet vig. b. Nicholai, desunt in plurimis codd. et in edd.

(d) Sceyda: cod. S. Agn. (e) archidiaconum: edit. Mart. et Honth.

discordia celebratas cassavit, et cassatas esse publice denuntiavit, perpetuum silentium imponens eisdem.

Illo autem tempore fuit in curia Romana dominus Henricus, decanus ecclesiae Metensis praedictus, missus a domino Argentinensi episcopo, suo consanguineo, pro quibusdam (a) arduis negotiis, ut dicebat. Dominus papa et cardinales cernentes in eo profundam sapientiam, compositam sermonum eloquentiam, morum venustatem, generis claritatem, et multarum virtutum excellentiam, de persona dicti Henrici, in spiritualibus et temporalibus circumspecti, providerunt ecclesiae Trevirensi. Anno Domini MCCLX. XIII. (b) Kal. Decembris missus est Trevirensi populo electus et pastor memoratus, tamen non obtento pallio; (c) quia remansit in Romana curia multis et diversis debitis obligatus. Qui ab universo clero et populo Trevirensi, ut decuit tantum virum, honorifice est receptus.

Hoc tempore apparuerunt vapulatores, qui velata facie currentes, ordinatim et conjuncti (d) per vicos et plateas in multis civitatibus, quaedam carmina ad laudem Dei decantantes; exutis vestibus seipsos percusserunt scuticis et flagellis (e).

Praeterea dictus dominus Henricus, electionis suae anno secundo, venit in adjutorium domino Argentinensi episcopo praedicto, in ejusdem civitatis obsidione (f), cum ingenti multitudine armatorum; qui cum victoria et gloria ad vallem Trevericam prospere est reversus. Cum autem exercitus suus in villa, quae dicitur Cryttenache, non longe ab urbe Treverica, quae spectat ad monasterium S. Mathiae, pernoctaret; satellites et vasalli sui, tamen praeter ejus consensum, ut speramus, nam infraenata juventus plurimorum in armis exultans, ponit pro ratione voluntatem (g), illicitum licitumque simul miscens

---

(a) quibusque: edit. Mart. (b) XV.: edit. Honth.

(c) verum quia: apud Honth. et in cod. Paris. (d) conjunctim: edit. Honth.

(e) Referunt alii: Ritum poenitentiae fuisse horridum atque aspectu miserandum. Seminudos quippe, et facie velata binos vel trinos praevio crucis vexillo processisse, flagillisque bis quotidie in terga saevisse, non sine rythmo cantuum, et supplice gestu membrorum. — Vide notas ad hoc caput in fine operis.

(f) obsidionem: edit. Mart. et Honth.

(g) In plurimis codd. msstis et in edd. legitur: pro voluntate rationem.

sine cura, villas dicti monasterii incenderunt, et inde pecora abegerunt. Quam contumeliam et injuriam abbas dicti monasterii asseruit ex praecogitata malitia sibi fore factam. Haec fuit causa multorum malorum, quae postea est ad sedem apostolicam devoluta. Abbas vero impedivit eundem in obtentione pallii multis annis, imponens eidem, quod non obtento pallio, et absque confirmatione sedis apostolicae, suffraganeum suum Philippum episcopum Metensem confirmasset, et celebrasset generalem synodum in ecclesia Trevirensi, et se in suis literis archiepiscopum nominare praesumsisset; allegantes (a) etiam hinc inde (b) crimina et defectus. Ipse vero abbas (c) et conventus suus expulsi sunt per aliquod tempus, et alter abbas substitutus, ex quo ipsum monasterium sustinuit maximas laesiones et jacturas. Dictus vero electus tenebatur pluribus annis vinculo excommunicationis innodatus. Dictus etiam abbas cum monachis suis, in via Confluentina, a militibus dicti electi ducti sunt ad castrum Turon, in quo tenebantur tribus annis et mensibus sex, vinculis mancipati; super quo dominus papa multum commotus praecepit, illos absolvi, volens etiam contra dictum electum gravius agere, et usque ad ejus depositionem procedere. Dictus autem abbas cum suis monachis, ex mandato sedis apostolicae, a vinculis absolutus, festinavit ad curiam Romanam pervenire. Quo pervento citatus est dictus electus in propria persona, ut ad certam diem domini papae conspectui se praesentaret, alioquin ejus absentia non obstante, procederet contra eum, ut dictaret ordo juris. Dictus electus non modicum perterritus hoc audito, sed a quibusdam (d) cardinalibus, amicis suis, est literis consolatoriis confortatus, sub quorum (e) consolationis spe ad curiam pervenit eandem.

Tandem idem electus et abbas per viam compromissi, et ordinationem sedis apostolicae reconciliati, amici facti sunt. Ratione cujus miserabilis discordiae dictus electus damnificatus esse dignoscitur in XXXIII. millibus marcharum sterlingorum (f), XII. solidis et IV.

(a) alligantes: ed. Honth.

(b) etiam hinc crimina: ibid.

(c) abbas: abest in ed. Mart.

(d) quibusque: ibid.

(e) quarum: ibid.

(f) Conf. cap. 178.

sterlingis (a) pro marcha qualibet computatis; et sic obtento pallio reversus est ad patriam.

Quae omnia per ordinem in dicto monasterio S. Mathiae noscuntur plenius esse scripta (b).

CAPUT CLXXXX.

Hoc tempore Alexander papa viam universae carnis ingreditur, et Urbanus quondam Virdunensis episcopus creatur (c).

His diebus dominus Henricus, archiepiscopus Trevirensis, castrum Schwarzinberch obsedit et expugnavit, ac nobiles et milites quamplures captivos inde deduci fecerat, cum triumpho gloriose revertens.

Anno Domini MCCLXVI. nobilis vir Meffridus (d) rex, filius Frederici imperatoris, occiditur in bello campestri in Apulia a Karolo comite Andegavensi, nuper a sede apostolica creato in regem Siciliae (e).

Anno Domini MCCLXVIII. Karolus, rex Siciliae, superavit in praelio Cunradinum (f), juvenem elegantis formae et aetatis floridae, quem cum quibusdam aliis nobilibus impie fecit decollari (g).

Italia et omnes regiones transalpinae in se divisae sunt: maritus adversus uxorêm, et filius adversus patrem et sororem, et contraverso; pars una dolet laesionem sacri imperii, pars altera adhaeret Romanae ecclesiae, et repudiat Romanum imperium: hi sunt Guelfi (h), pars autem altera dicitur (i) Gebellina usque in diem hodiernum, ex qua suborta invidia plurimae factae sunt strages hominum, et diversae civitates destructae (k).

(a) Al.: XIII. sol. et IIII. sterling. pro marca &c.

(b) Haec scripta vide supra. (c) 1261.

(d) Manfred, Manfried, Friderici II. Imperatoris filius adulterinus, frater Conradi IV. Regis.

(e) In nonnullis Msstis et ap. Honth.: Ceciliae.

(f) Turpe vitium in editiones Mart. et Honth. irrepsit, quae addunt: Cunradinum, fratrem dicti Meffridi; Conradus enim juvenis, quem Conradinum Itali nominarunt, Conradi IV. filius et Friderici II. nepos erat.

(g) Verba: cum quibusdam aliis nobilibus impie — desiderantur in impressis.

(h) Gelfi: cod. S. Agn. (i) gens Gebelina: ibid.

(k) Tota haec periodus incipiens: Italia et omnes, usque ad finem, deest in impressis et in plerisque codd.

Anno Domini MCCLXXIV. Gregorius papa X. celebravit concilium Lugdunense, in quo fratres Sacciferi (a) et omnes ordines Mendicantes per universum orbem, exceptis paucis, sunt depositi et reprobati, et bigami omnino (b) condempnati sunt; et decima posita est in universo clero, in subsidium terrae sanctae.

Eodem anno episcopus Virdunensis, volens in crastino sacros ordines celebrare, mane inventus est mortuus.

Anno Domini MCCLXXVII. (c) Berinkastel castrum aedificatum ab archiepiscopo Henrico. Item anno sequenti Comes Juliacensis et filius ejus primogenitus (d) cum trecentis militibus electis, post multa guerrarum dispendia, cum armata manu, hora diei nona, in die sanctae Gertrudis, clanculo intravit Aquisgrani civitatem regiam, ardenter cupiens illam evertere. Factoque horrendo strepitu per vicos et plateas a civibus, in ore gladii corruerunt universi. Post haec Aquenses meliore pace freti gaudebant.

Anno Domini MCCLXXX. Henricus archiepiscopus aedificavit castrum Meyene. Secundo anno sequenti idem dominus Henricus emit castrum Maleberch (e) cum advocatia de Wittelich pro mille et quadringentis (f) libris Metensium (g) denariorum, et expendit in renovatione muri et aedificiorum dicti castri D. libras Trevirensium denariorum. Eodem anno firmavit Confluentiam et monasterium Meynevelt

(a) Etiam Saccini, Saccitae, Saccati appellati, quod saccis pro vestibus uterentur.

(b) omnes: edit. Mart.

(c) Cod. Eberh. Clus. ponit annum 1274., sed false. Berncastellum, veterem munitionem, sed vetustate jacentem, aut bellica vi subversam, novis turribus et murorum ambitu sepsit.

(d) Anno 1278. Wilhelmus Comes cum filio primogenito, Wilhelmo, et duobus filiis naturalibus, Aquisgranum armata manu intravit, iique a civibus in furorem actis 16. Martii occisi sunt. Vid. Teschenmacheri Annal. Cliviae, Juliac &. p. 391., edit. de anno 1721. Conf. etiam Joh. a Leydis in Chron. Belg. lib. 24. cap. 12.

Ad hunc etiam annum 1278., quo Ottocarus, Rex Bohemiae, in campo circa Marchiam pugna cruenta contra Rudolphum Regem cadit, alia Mssta Trev. referunt factum sequens: „Margaretha Regina, vidua Ottocari, fit monialis in coenobio S. „Catharinae Treviris.“

(e) Al.: Mailburch.

(f) Al.: MD. — Concordat Ms. S. Agnetis cum chartis. Vid. diploma venditionis datum 15. Febr. an. 1279. ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 809.)

(g) Trevirensium: cod. Eberh. Clus.

muris firmis (a). Sequenti anno opposuerunt se oppidani Confluentini eidem domino suo Henrico archiepiscopo (b), recalcitrantes annis duobus; ipse vero, congregato exercitu praepotenti, irruit super eos, effugatisque omnibus adversariis suis, oppido violenter expugnato, aedificavit ibidem firmissimum castrum ad reprimendum eosdem (c). Item munitiones totius diocesis diversis structuris multipliciter roboravit. Quaedam de novo opere valde sumtuoso (d), videlicet Berincastel castrum erexit a fundamento; Meyene villam condidit, et ibidem firmissimum castrum construxit. Item castrum Sarburch, palatium Trevirense cum omnibus cameris et aedificiis, Palatiolum, Grimberch, Pylliche, Manderscheit, Novum-castrum, Marienburch, Erbreitstein, Montabur, Hardinvels: haec castra omnia magnis aedificiis sumptuosissime renovavit. Item comparavit feoda et homagia plurima; comites, barones, nobilesque terrae, videlicet XXXI., primo de Veldentia, Gemini-pontis, de Sarwerden, Hirsutum (e), de Hoinberch, comites quinque (f), et alios viros nobiles et potentes fecit homines et fideles (g) in perpetuum et eorum haeredes, ecclesiae Trevirensis; assignans unicuique, prout eorum dignitas requirebat, feoda, et pecuniam maximam pro feodis comparandis; summa ascendit ad (h) XIV. millia CCCLXXX. librarum (i) denariorum Trevirensium.

Item comparavit et emit plures redditus et multa bona per diversa loca in diocesi Trevirensi: scilicet castrum Mailberch cum ad-

---

(a) Castrum Meginense in regione Meinfeldiae, non longe ab oppido Monasteriensi distabat.

(b) Vid. notam in fine.

(c) De hoc Confluentinorum tumultu Dominacorum Colmariensium Annales sic loquuntur: „Confluentini domino suo episcopo Trevirensi noluerunt obedire; in-„super eum occidere voluerunt."

(d) sumtuose: edit. Mart.

(e) Wildgraf. Forte intelligendus est Conradus de Schmidburg, Henrici coaevus.

(f) comites quoque: edit. Honth., sed omnino male. Ad praesentem locum legi meretur Nelleri Dissertatio de origine, diversitate et natura feudorum Trevirensium ap. Honthemium (Prodr. Hist. Trev. dipl. I. p. 581. sqq.)

(g) Ead. edit.: homines et nobiles; etiam male. — Edit. Mart. habet: homines fideles, omisso et.

(h) ascendit ad: deest in edd. et in quibusdam codd.

(i) Edit. Honth.: libras.

vocatia de Wittelich (a), vasallis, castrensibus hominibus, pascuis, pratis, villis et universis attinentiis et juribus, pro II. millibus et L. libris Trev. denariorum. Item decimam de Altrea (b) cum jure patronatus, pro DC. libris. Item decimam de Drone cum jure patronatus, pro CC. marcis et CCC. libris. Item advocatiam de Monasterio, pro D. marcis. Item curtem de Keriche, pro II. millibus marcis. Item curtem de Durremuze (c), pro D. marcis. Item decimam de Coverna (d), pro DC. marcis. Item advocatiam de Berincastel, pro mille libris (e). Item redemit quaedam bona apud Meyene (f), pro mille et IV. marcis Coloniensibus; et etiam emit ibidem sex marcarum redditus (g), et multa alia et infinita bona, decimas, redditus, possessiones, domos, vineas, campos, prata, quae longum esset enarrare, comparavit. Summa omnium XI. millia et LXXX. tam librarum quam marcarum Coloniensium et Trevirensium denariorum, exceptis aedificiis et structuris novorum et antiquorum castrorum, et exceptis XXXIII. marcis sterlingorum, quas solvit pro expensis in curia Romana factis. Unde multo (h) majora, quam aliquis praedecessorum suorum pontificum Trevirensium comparasset, si curiae Romanae tantam summam pecuniae non solvisset ex causis et rationibus antedictis, videlicet discordia miserabili orta inter ipsum ex una parte, et Symonem summum praepositum, et fratrem suum Theodericum abbatem S. Mathiae ex altera, et quosdam canonicos Trevirenses ipsorum fautores, qui ipsum X. annis in pallii sui impetratione impediverunt.

Quid plura? (i) Vir magni consilii fuit, in spiritualibus et temporalibus circumspectus, et sagacissimus in acquirendo transitorias

---

(a) Supra jam hoc dictum est; sed diverso emptionis calculo.
(b) Altreia: cod. Eberh. Clus.
(c) Edit. Mart.: Durzemuze; cod. Eberh. Clus.: Durremuss. — Diploma 246. in Güntheri cod. dipl. Rheno-Mos. T. III. P. 1. p. 393. habet: „in curte Durremuntze inter Engersche (Engers) et Oyremuntze (Urmitz).
(d) Male habent edd. Mart. et Honth.: Confluentia.
(e) Male legit edit. Honth.: pro I. libris.
(f) Meyen: cod. Eberh. Clus.
(g) Honth.: sex marcatas redituum.
(h) multa: edit. Honth.
(i) Conf. initium cap. 155.

hujus mundi facultates, et quod laude dignum est, clerus (a) et populus Trevirensis bona pace fretus sub ipso principe gaudebat, metasque jurisdictionis ecclesiae Trevirensis fiducialiter dilatavit, ac totam provinciam suis temporibus feliciter gubernavit (b).

CAPUT CLXXXXI.

Dum adhuc ordiretur aetate validus, pontificatus sui anno XXIX., praecisa est, proch dolor! velut a texente, vita ejus, ut placuit Regi regum altissimo, cujus occulta judicia nemo colligere potest; eo quod admiranda voce prophetica sint abyssus multa, nec valent arte mortalium evitari, nulli scrutabilia, nulli nota. Quis enim novit coeli ordinem, ut supernarum dispositionum videat praedestinationes occultas? aut quis ponere potest rationem in terra, ut ante humana corda talium secretorum vias aperiat, vel superiorum judiciorum mysteria considerando discutiat, manifestetque loquendo? Haec itaque in hac vita positus facere nemo potest; ante hominem namque carne circumdatum labor est ista cognoscere, donec in Domini sanctuarium, in quo sunt omnia consilia super filios hominum, ergastulo corporis absolutus introeat, ibique non solum praesentia, sed et novissima intelligat et cognoscat. Horum siquidem consideratio miranda, nimirum stupenda pariter et tremenda, nos nec immerito admiratione sollicitat, mentesque nostras ingestione stuporis elicit concutitque timore (c).

Ipse pater venerabilis dominus Henricus Trevirorum archiepiscopus, per unius anni spatium, ante finem ejus coepit infirmari. Tetigit eum manus Domini; paralysi et podagra laborans graviter aegrotavit. Hic dum in curru, quem sibi fieri mandavit corio circumtecto, cunctis amicis suis dissuadentibus, ad sanctum Judocum peregre veheretur, invaluit in eum morbus incurabilis; liminibus tum dicti Sancti, ut Domino placuit, feliciter visitatis, dumque devotionis causa

(a) Honth.: etiam clerus.

(b) Conf. finem cap. 184. In omnibus, quae Henrici laudi inserviunt, legimus eadem verba, ut habuimus in textu scriptoris praecedentis.

(c) Honth. totum hunc locum omisit a verbis: Quis enim novit, usque ad finem.

ab hinc tenderet versus Bononiam (a) in littore maris sitam, in quo loco Mater Domini (b) gloriose veneratur, hujus stadium venerationis exivit, ingrediens viam universae carnis ibidem, anno Domini MCCLXXXVI. in crastino beati Marci Evangelistae, et a venerabili viro domino Wilhelmo (c) archidiacono ecclesiae Trevirensis, comite sui itineris, translatus Trevirim (d), in ecclesia S. Petri, in dextero latere templi ad murum, debitis exequiis peractis, est a clero et populo honorifice tumulatus, et ibidem juxta tumulum suum, altare, quod ipse largissimis honoravit donariis, ad laudem Dei constructum est pro suorum remissione peccatorum, et ob felicem memoriam sui sempiternam. Dictus vero dominus archidiaconus, vir aetatis provectae, divitiis et redditibus affluens, non post multum temporis, mundi vanitate relicta, in claustro Hymmelroit Cisterciensis ordinis factus est monachus et sacerdos, divinis instans laudibus, saeculi pompis ultro rejectis.

Item idem pater Henricus (e) habuit modum laudabilem et consuetudinem memoriae dignam. Cum enim (f) tractaret de statu et negotiis temporalibus suae diocesis, assumpsit sibi viros consultissimos, in rebus temporalibus expertos, prout imminentis negotii perplexitas requirebat. Si circa (g) milites aut vasallos causa agebatur (h), assumpsit barones et nobiles probatae prudentiae; si circa (i) clerum et ecclesiasticam libertatem negotium vertebatur, consulit viros literatissimos. Si circa cives, idem fecit, prudentiores assumens;

(a) Quidam alii codd. mss. habent Boventam, alii Bonoventanam civitatem. Masenius (in sua edit. Annal. Broweri) false scribit: „cum Beneventum peteret, „Bononiae tandem in via spiritum effudit.“ Male quoque asserit Honthemius, Boventam esse Beneventum; Martene vero bene notat Bononiam (sive Boloniam) ad mare, quae urbs apud Romanos dicebatur Morinorum portus Britannicus, et hodie nominatur Boulogne sur-Mer.

(b) Honth. legit: Martyr Domini, sed false.

(c) Wernero: ibid.

(d) VI. Klās Maji Trevirim relatus — ante altare beati Erasmi tumulatus: cod. Trev. N°. 1462. Vid. supra cap. 186.

(e) Cod. Eberh. Clus. addit: idem dominus Henricus archiepiscopus. Conf., quae capite 89. de Alberone leguntur.

(f) Cumque tractaret: edd. Mart. et Honth.

(g) contra: edit. Honth. (h) causam agebat: ibid. (i) ut supra.

quemlibet venerans et salutans laeto vultu et benigno, prout requirebat status et conditio eorundem. Nec mutavit mores praescriptos, dum coram eo ventilabantur negotia Judaeorum (a), bene intelligens illud Sapientis: Noli esse sapiens apud temetipsum; sed omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis (b). Est enim boni praelati, conferre cum prudentibus, et abstinere et non multum frequentare consortia subditorum, et maxime vilium personarum; quia nimia familiaritas hominum parit honoris contemptum (c). Debet enim prudens princeps consultor esse procerum, et contemnere bilingues, adulatores et susurrones (d), nec illos exaltare, quos natura in imis jacere praecepit; sed prudenter debet advertere, quos honestae vitae, famae bonae, et scientiae laudabilitas (e) expetivit ad altiora sublimari. Inde oritur bona fama; et primum instrumentum intellectus est desiderium bonae famae; et qui vere eam desiderat, famosus erit et gloriosus; et qui ficte desiderat illam, per infamiam confundetur. Initium igitur sapientiae et intellectus est desiderium bonae famae, ut dicit philosophus in libro secretorum.

CAPUT CLXXXXII.

His etiam (f) temporibus apparuit quidam rusticus, asserens se esse Fredericum imperatorem magnum, qui ante multa tempora fuerat defunctus. Primo clandestine visus est Coloniae, deinde palam universis. Qui tandem captus est et vinculis mancipatus, nunquam verbum mutans, quin diceret: ego sum rex Fredericus. Tandem mancipatus (g) a carcere in foro rerum venalium Coloniensi alte positus in scala, ut ab omnibus videri posset, dyademate valoris (h) unius oboli super caput ejus posito, depilata barba, illusiones et opprobria

---

(a) invidorum: Mart.
(b) Quae jam sequuntur usque ad finem capitis, omissa sunt in edit. Honth.
(c) Mart. omisit hominum &c. honoris &c. — addit autem: inter fatuos.
(d) susurratores: ibid.
(e) laudabilis expetunt: ibid.
(f) Honth. omisit: etiam.
(g) eductus:
(h) Ap. Honth. deest. valoris.

maxima sustinuit; tamen semper clamare non desiit: rex moriar Fredericus. Ultimo post haec depositus de scala, tamquam vesanus ejectus de civitate, venit Nussiam (a), ibique denuo coepit dominari. Oppidani autem loci illius receperunt eum benigne, eidem largas expensas administrantes; et in tantum ibidem exaltatus est, ut nonnulli nobiles et barones terrae, quibus ipse literas suas, suo sigillo facto ad instar sigilli Frederici imperatoris sigillatas, destinavit, haesitando putarent eum esse veraciter caesarem Fredericum. Nam opinio fuit multorum, quod (b) per artem magicam (c) cognosceret illa, quae militibus quondam sub Frederico imperatore militantibus clam vel palam acciderant, et haec suis literis inserere consuevit, cognito intersigno. Unde multi declinaverunt ad illum, et venerabantur eum tanquam regem Fredericum. Cum iste rumor validus nullum orbis angelum lateret, et in tantum elevatus esset, ut quodam modo in eo regalis majestas appareret, misit literas suas Rodolpho Romanorum regi, ut ipsum tanquam dominum suum cognosceret tali intersigno, et quod ipse rex quondam sub ipso militasset. Dictus pacificus rex respondisse creditur: Domine Deus rex coeli et terrae, fiat voluntas tua, si hunc regnare velis, in omnibus parere cupio tuae voluntati; nec etiam tibi resistere valeo in ictu oculi, aut (d) tuam justitiam transmutare. Dumque praefatus rusticus ad tantam vesaniam devenisset, ut extra sensum raptus, in (e) semetipso rex putaretur, sui immemor et oblitus, adire festinavit cum sibi adhaerentibus Vrankinvort (f), ut ibidem principibus Alemanniae convocatis, generale concilium celebraret, et in pristinum honorem restitueretur et sublimaretur in regem. Quem Syfridus, archiepiscopus Coloniensis, persecutus est armata manu praepotenti usque ad Wetflair (g), illumque ibidem in campo extra oppidum (h), ligatis manibus

---

(a) Novesium. Neuss. (b) ut: edit. Honth.

(c) Joan. Aventinus eum dicit Archimystam; Chron. magn. Belg. Nigromanticum. — Haec periodus in editionibus Mart. et Honth. minus clare legitur.

(d) Ap. Honth. minus accurate: nec etiam tibi resistere valeo, in ictu oculi autem tuam justitiam transmutare.

(e) a semetipso: ibid. (f) Franckfort: cod. Eberh. Clus.

(g) Al.: Wetflar (Wetzlar). (h) civitatem: edit. Mart.

et pedibus, in curru fecerat horribiliter concremari (a); triste praebens exemplum universis, qui, spreta Dei gratia quae datur humilibus (b), contendunt ardua scandere, propriae conditionis immemores, quaecunque putant licita, et cum altius scandere non possunt, deorsum praecipitantur ad ima, digna recipientes praemia meritorum (c).

Nec est omittendum, quod praedictus dominus Henricus archiepiscopus duas conventuales a fundamentis erexit et dedicavit ecclesias, videlicet Kyleburch, Trevirensis diocesis, et monasterium, Metensis diocesis, quas suo largissimo dotavit patrimonio, in quibus cantores instituit, qui die noctuque Domino famulantur, et pro suis delictis Domini misericordiam exorant, quam sibi Dominus Jhesus Christus tribuere dignetur (d).

CAPUT CLXXXXIII. (e)

Incipiunt gesta domini Boemundi Trevirorum archiepiscopi (f).

Invectio contra aemulos.

Admiranda Salvatoris voce testante, non potest civitas abscondi supra montem posita, si etiam ipsa voluerit; mons enim qui eam

---

(a) Anno 1284. Nomen hujus Pseudo-Friderici Tile-Kolup fuisse dicitur. Conf., quae de hac re fusius et egregie disputat S. Ch. Schirlitz s. t.: Der deutsche Afterkaiser Tile-Kolup gegen Ende des dreizehnten Jahrhunderts (Neues allg. Archiv für die Geschichtskunde des Preuß. Staates. 1r Bd. 4s Heft, 1836.)

(b) quam dat: edit. Honth. — hominibus: edit. Mart.

(c) digna recipientes &c.: non legitur ap. Mart. — In edd. hocce loco sequitur narratio de praelio apud Worringen; sed in Mss. nostris haec historia refertur, ut justum est, ad tempus Boemundi. Vid. cap. 196.

(d) Periodus ultima: Nec est omittendum &c. non legitur in edd. et plerisque codd. In Ms. Paris. sequitur iterum Henrici Archiep. epitaphium, et tunc leguntur quaedam superaddita carmina. Vid. Prolegomena nostra, pag. XXXIV.

(e) Hic desinit cod. St Paulini. Continuamus nunc textum ex codice Trev. S. Agnetis, comparantes eum cum Mss. Paris. et Eberh. Clus., et cum textu, quem ediderunt Mart. et Honth. ex cod. S. Maximini. Capita 193. et 194., quae continent auctoris invectionem contra aemulos, et prologum materiae, non leguntur ap. Honth.

(f) Idem Ordolphus Scholerius, de quo supra ad cap. 187., sine dubio et haec gesta Boemundi I., electi post mortem Henrici, collegit.

Kyriander (Comment. de Aug. Trev. ed. Bip. 1604. p. 145.) laudat Boemundi rerum gestarum scriptorem, eum dicens diligentem et eruditum. Idem Anna-

portat, ut dicit (a) Chrysostomus, facit eam omnibus manifestam. Sic virtuosi viri, qui fundati sunt in Christo, etiamsi noluerint (b), tamen (c) Christus eos manifestat. Et si infinita lingua aemulorum obmutescat loris invidiae laqueata, clara tamen praeconia clamare non cessant (d) bene gesta, et ambulant in cacumine, sicut coeli luminaria lumen emittentia in hunc mundum caliginosum in maligno positum, quoniam iniquitatis diluvium abundat super terram. Sed justus, ut ait Salomon (e), quasi leo confidens absque pavore erit; et idem: Non contristabit justum, quicquid ei acciderit. Reproborum mentes, ait Gregorius, perversis cogitationibus semper invigilant, sed plerumque eis superna dispensatio obviat; et quamvis pravitatem consilii nec fracti adversitatibus corrigant, tamen ne contra bonos praevaleant, eorum vires refraenat (f). Unde Job: Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, et consilia pravorum dissipat. Unde Gregorius ibidem: Saepe nonnulli sapientia humana inflati, dum desideriis suis divina judicia contra ire (g) conspiciunt, astutis eis (h) reluctare machinationibus conantur, quos Dominus in ipsa eorum astutia deprehendit (i), quod melius exemplo monstramus. Ideo Joseph venditus fuerat, ne adoraretur (k); sed ideo est adoratus, quia venditus. In Egyptum ductus servituti subditur, sed in tota Egypto dominatur; luxuriae accusatione (l) male damnatur, sed prophetiae dono illuminatur: sic divinum consilium, dum devitatur, impletur; sic humana sapientia, dum reluctatur, apprehenditur. Moyses in Nilo projectus in filium adoptatur a Thermuth, filia (m) Pharaonis. Saul David persequitur, et inde plus sublimatus. Sic Yonas (n) fugiens obedire renititur, et ad locum

---

lista et Honthemius scriptorem vitae Boemundi, si non coaevum, certe supparem reputant.

Lectio nominis in diversis codd. variat: Bohemundus, Beomundus, Beremundus.

(a) Mart. addit: dicit ibidem. (b) voluerint: cod. Paris., omnino male.
(c) quia Christus: ibid. (d) cessat: ibid. (e) Solomon: ibid.
(f) reforment: ibid male. (g) Ibid.: contrarie. (h) Ibid.: ei.
(i) Ib.: comprehendit. (k) Ib.: adoretur. (l) Ed. Mart.: acclamatione.
(m) Ibid.: adoptatur Athermuth filiae., omnino corrupte.
(n) Jonas.

quo missus fuerat reus, suo carcere portatur, scilicet in ventre ceti. Unde miro modo fit, ut et quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum in bonum usum male facta (a) vertuntur, ejus consilio militant, etiam quae (b) ejus consilio repugnant. Unde Salomon: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum; verumtamen sicut honorificum est, gloriam Dei revelare, sic scelus immensum est, bene gestis livoris acumen (c) derogare. Ast omne quod arguitur, ut ait Apostolus, a lumine manifestatur. Sed, ut dicit Galterus de Castellione, mirum est humanum genus a prima sui natura, secundum quam cuncta, quae Deus fecit, valde bona creata sunt, ita esse depravatum, ut promtius (d) sit ad condemnandum, quam ad indulgendum, et facilius sit ambiguum depravare, quam in partem interpretari meliorem. Ideoque beatus Ieronimus (e) in singulis suis praefationibus consuevit suis aemulis respondere, qui venenosis stimulis opera gloriosa conabantur ausu temerario multipliciter offuscare, quorum spinosum semen adhuc pungens in orbe terrarum latius est diffusum. Saepe enim sagittant in occultis immaculatum dolosa labia detractorum; saepe venenum aspidum damnabili calliditate diffundunt, ut laedant calumniosis flatibus innocentem. Hi sunt, quos propria vexat iniquitas, ut in agro bonarum mentium semina detractionis effundant. Merito secundum Paulum detractores Deo odibiles describuntur (f). Haec videt Christus et silet, ut (g) dicit Bernardus; haec Salvator patitur et dissimulat. Propterea dissimulemus et nos quoque necesse est et sileamus. Interim, maximeque de praelatis nostris, magistris ecclesiarum, benignos semper et mites exhibeamus nos, invicem supportantes in omni patientia, scientes quod aquae Siloë (h) vadunt cum silentio et quiete. Nam, sicut ait Gregorius, qui zelo Dei utitur, a pravis hominibus dehonestatur; et deteriores ex praedicatione Dei facti sunt Judaei, quibus manna pluit Deus in deserto; tanti beneficii ingrati murmurabant contra Dominum et electos ejus Moysen

---

(a) Cod. Paris.: mala facta.
(b) Mart.: quod, male.
(c) Cod. Paris.: acumine.
(d) Ibid.: primitius.
(e) Hieronymus.
(f) Cod. Paris.: describunt, sed male.
(g) Edit. Mart. omisit: ut.
(h) Syboe: cod. Paris.

et Aaron, quos lapidibus obruere festinabant, nisi gloria Domini fugientes ad tabernaculum praeveniendo protexisset insontes. Ob hoc non immerito et transgressores subito secuta est a Domino plaga terribilis et horrenda. Unde saepe accidit, dum ingratitudo subditorum meretur inscia iram summi Judicis, cujus judicia sunt abyssus multa; hanc obstinati multifarie multisque modis impingere ferociter et mendose non expavent in noxiis actibus praelatorum. Nam ingratitudo, ut dicit Bernardus, est ventus urens exsiccans fontem pietatis, venas misericordiae, fluenta gratiae: sicque fit, ut perversi et ingrati suis laqueis magis innodentur, dum hos dolo cupiunt studiosius evitare. Mendacium quippe stare non potest; veritas autem manet in aeternum.

CAPUT CLXXXXIV.

Prologus materiae.

Non obstante ergo aemulantis aculeo procedant ad lucem et notitiam futurorum, inclyta gesta super montem elevatum posita reverendi patris et felicis recordationis domini Boemundi, Trevirensis (a) archiepiscopi, de Warnesberch (b) geniti, qui velut solaris radius emicans inter reges et principes hujus (c) saeculi, fuit vir alti consilii et profundae sapientiae. In ornatu, apparatu et epulis, prae cunctis Germaniae et Alemanniae principibus apparuit gloriosus; inter domesticos et privatos valde benignus extitit (d) et jocondus, exemplum beati Annonis Coloniensis archiepiscopi in se colligens, qui fratribus de monte Syberch (e) dixisse legitur: Quamvis pomposus (f) appaream militibus meis, tamen inter haec ante con-

(a) Trevirorum: cod. Paris. (b) Al.: Warinsberch, Wansberg. Ex equestri Warnesbergiorum gente, quae etiamnum sub nomine Baronum de Warsberg floret. Habet ea nomen et originem (animadvertit Honthemius) a castro Warensberg in Lotharingia.

(c) hujus: deest in edit. Honth. (d) existit: cod. Paris., male.

(e) S. Anno (Hanno), Archiepiscopus Coloniensis, ab anno 1055. ad an. 1075., Comes de Sonnenberg, fundaverat ecclesias B. Mariae ad gradus, et S. Georgii in Colonia, et monasterium Sigebergense, in quo et sepeliri voluit.

(f) Quam pretiosus: cod. Paris.

spectum aeterni Judicis pavidus atque dejectus intus incedo (a), et magis quam ulli patescat. Sed sunt nonnulli, qui dum eximia virtutum dona percipiunt, ab alto corruunt; dum magis muneribus exaltantur, semetipsum ignorant: sed pastor bonus per dignitatis altitudinem semetipsum gloriam appetendo non transcendit, nec alta petens proximorum infima (b) despicit elevatus. Unde Paulus coelum contemplatione transcendit, nec tamen statum carnalium sollicitudine deseruit. Unde idem ait: Factus sum Judaeis tamquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer &c., non imitando fidem, sed extendendo pietatem. Et iterum: Omnibus omnia factus sum, ut omnes (c) facerem salvos; condescendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo (d). Quis ignorat, qualis et quantus idem pater et dominus Boemundus Trevirensis archiepiscopus habebatur apud serenissimos dominos Rodolphum, Adolphum et Albertum, tres inclytos Romanorum reges successive? Primum venerabatur ut patrem, secundum amplectebatur ut filium, tertium instruit et praemonuit ut amicum. Qualiter autem post (e) obitum reverendi patris dignae memoriae domini Henrici Trevirensis archiepiscopi, dictus dominus Boemundus, tunc praepositus et archidiaconus ecclesiae Trevirensis, ac primicerius ecclesiae Metensis, electus fuerit; in archiepiscopum confirmatus; quot annis rexerit sui praesulatus officium; quantum augmentaverit ecclesiae suae statum; et quomodo migraverit ab hoc saeculo: annuente Domino, compendiosius explanabo. Quaedam etiam de incidentiis temporum admiranda non modica annotabo, quae tempore sui praesulatus evenerunt, prout haec inferius plenius (f) continentur, quae nos saepius ab assumta materia digressionem facere compellunt.

CAPUT CLXXXXV.

Qualiter fuerat electus.

Anno Domini MCCLXXXVI. venerando patre domino Henrico Trevirensi archiepiscopo viam universae carnis ingresso, et die as-

---

(a) incendor: ibid. (b) infirma: edit. Mart. (c) ut homines: cod. Paris. (d) tacendo: ibid. (e) per obitum: ed. Mart. (f) plenius: deest ap. Mart.

signata ad eligendum pastorem ecclesiae Trevirensi (a), vocatis et convenientibus praelatis et canonicis omnibus ejusdem ecclesiae, qui debuerunt de jure, et potuerunt commode interesse; placuit omnibus et singulis fratribus capituli, per viam scrutinii, dictae ecclesiae de pastore digno providere (b). Sed impii seminator consilii, corda perturbans pacifica, in opaca (c) nocte, zizania superjecta, suffocavit triticum pastorale, sciens quia scriptum est: Omne regnum in se divisum desolabitur, livoreque livescente exterminatoris, suggestio praevaluit corrosiva.

Fratres igitur dicti capituli, die statuto ad eligendum congregati, vota sua divisim direxerant in tres personas (d); quorum major et sanior pars vota sua direxit in virum laudabilem dominum Boemundum superius nominatum (e); reliqua vero parte divisa in duas partes, altera (f) elegit dominum Ebertum cantorem ejusdem ecclesiae, et altera dominum Johannem de Syrkis (g), in dicta ecclesia archidiaconum, qui statim supersedit, et electioni suae abrenuntiavit. Dictis autem Boemundo archidiacono et Eberto cantore electis, ad sedem apostolicam celeriter properantibus, lite et causa diutius in curia Romana durantibus, dictus Ebertus cantor ibidem obiit, sede apostolica etiam tunc vacante. Fratres cardinales, licet de sua sollicitudine forent non modicum occupati, nobilem filiam Trevirensem ecclesiam, nuper suo sponso et pastore viduatam, fideliter consolari cupientes, communi consilio et unanimi voluntate dictam electionem ad sedem apostolicam legitime devolutam, cunctis ammirantibus, de specialissima

---

(a) Trevirensis: edd. Mart. et Honth.

(b) provideri: cod. Paris. — Quae jam sequitur periodus, in variis Mss^tis omissa est.

(c) optata: ibid.

(d) Editiones Mart. et Honth. hanc periodum legunt: „Fratres capituli vota sua divi-„sim diraxerunt in tres personas"; cetera desunt.

(e) superius nominatum: deest in ceteris codd. et edd.

(f) quarum altera: edd. praefatae.

(g) Sirck. — Johannem: deest in codd. ceteris et edd. Hunc locum cod. Trev. N°. 1462. refert tali modo: „Quam electionem, sede vacante, cardinales remiserunt ca-„pitulo, ubi vota sua in duos, videlicet dñm. Boemundum et Gerhardum de Eppen-„stein diviserunt. Qui postea Moguncie electus." Mss^tum nostrum, quo in textu usi sumus, accuratius rem prosequitur.

gratia remiserunt fratribus dicti capituli denuo (a) celebrandam. Quo facto (b), hostis noster, qui non dormit, sed ambulans per loca ardua (c) non habet requiem, assumptis septem spiritibus nequioribus, se reversus est ad dictum capitulum, sua vasa recognoscens. Periculosior dissensio iterum orta est inter fratres electores (d). Pars enim illa capituli (e), quae prius dominum Boemundum elegerat, permansit (f) immobilis, et plures de capitulo adjuncti sunt eidem; reliqui vero vota sua direxerunt in dominum Gerardum de Eppensteyn (g), archidiaconum in ecclesia Trevirensi, domino Boemundo adhuc existente in curia Romana. Gerardus archidiaconus non statim iter arripiens, solempnes nuntios pro se misit ad curiam. Medio autem tempore frater Henricus, ordinis fratrum Minorum, Maguntinae sedis archiepiscopus, migravit e saeculo (h); cujus ecclesiae fratres in se divisi, vota sua direxerunt in dominum Gerardum praedictum ex una parte, et in scholasticum (i) ejusdem ecclesiae ex altera. Hisque peractis, dicti electi festinanter ad sedem apostolicam (k) pervenerunt. Causa et negotio hinc inde ventilatis coram domino Nicholao papa quarto nuper creato (l), post varias altercationes, electio dicti scholastici cassata extitit et annullata: electionibus dicti domini Gerardi tam ecclesiae Trevirensis, quam Maguntinae pendentibus adhuc, et judicio domini papae reservatis.

Summus autem pontifex dolens nobilem sponsam Treviricam

(a) de uno: cod. Paris.

(b) Quo viso: cod. Paris., et edd. Mart. et Honth. Cod. ms. Lind. haec brevius refert: „Quo facto iterum dissensio periculosior &c."

(c) Ed. Mart. legit: per loca sua arida. (d) electores: omittitur in impressis.

(e) Ibid. legitur: Pars autem fratrum capituli. (f) mansit: ibid.

(g) Al.: Eppynsten, Epstein.

(h) Anno 1288. Iste Henricus ex Algowia, pistoris filius, vel fabri erat. (Serarii Mogunt. rerum, edit. Joannis, vol. I. p. 622.) Solebat hic Henricus II., Archiepisc. Moguntinus (sic auctores hujus temporis referunt), plus Nobilibus (stylo vetere Militibus), honoris habere, quam Clericis. Unde aculeatum illud clerici cujusdam distichon:

„Nudipes Antistes! non curat clerus, ubi stes.
„Si non in coelis, stes ubicumque velis."

(i) Emericum de Schoeneck. (k) Ed. Mart.: ad apostolicam pervenerunt.

(l) 2. Febr. 1288.; successore Honorii IV.

ecclesiam, quam in Christo genuit princeps apostolici coetus, sanctus Petrus Apostolus, adhuc vivens in carne, ex longa jam vacatione diversis subjacere periculis, et per diutinam pastoris absentiam omni solatio destitutam, in speculo considerationis suae considerans dictum dominum Boemundum virum esse magnarum virtutum, ut postea patuit, sanguine clarum, sapientiae, eloquentiae, et morum venustate praeditum, in spiritualibus et temporalibus subtili indagatione circumspectum; sicut etiam fere (a) omnes Trevirensis, Metensis, Tullensis et Virdunensis dioceseon praelati, et civitas Trevirensis suis literis domino papae directis publice testabantur. De quo etiam dominus Henricus Trevirorum archiepiscopus (b), praedecessor suus, in extremis constitutus, sibi sentiens horam mortis inevasibilem imminere, cum magno desiderio cupiens Trevirensi ecclesiae de idoneo successori provideri, sub periculo animae suae, ac in verbo sacerdotii (c) testabatur, et publice lacrymabiliter (d) exclamavit, quod post ejus obitum non relinqueret virum in rerum natura, quem tantum ecclesiae crederet et provinciae Trevirensi pro metropolitano expedire, sicut dominum Boemundum archidiaconum memoratum, et juramento affirmans, quod praemissa non astruxit, ut per ea dicto archidiacono provideretur (e), sed ob honorem et amorem ecclesiae Trevirensis, quam ipsum relinquere oportuit desolatam. Verum cum ipsum nulla attingeret linea consanguinitatis, ac quondam in curia Romana suus extiterit adversarius principalis, merito laudandus est et omni honore dignus, in quem concurrunt (f) tot virtutum insignia testimoniis idoneis approbata. Idemque summus pontifex de persona dicti domini Boemundi, scientis et valentis in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Trevirensis gubernacula gubernare et jura defensare, et de persona dicti domini Gerardi archidiaconi providit ecclesiae Maguntinae.

(a) vere: cod. Paris., sed minus accurate.
(b) Trevirensis archiep.: edd. Mart. et Honth.
(c) Edit. Honth.: sacerdotali. (d) Mart. et Honth: lamentabiliter.
(e) Edd. praefatae habent: ut per ea dictus archidiaconus promoveretur.
(f) Mart. et Honth. legunt: in quo; occurrunt: cod. Paris.

De confirmatione et consecratione Dni Boemundi.

Anno Domini MCCLXXXVIII. (a) Dominica Reminiscere, utriusque electio confirmata est a domino papa, et proximis statutis temporibus promoti sunt ad gradum (b) sacerdotii, simul una die solempniter consecrati (c), et in sequenti Dominica Palmarum pallio, nobili signaculo, singulariter insigniti, et cum benedictione apostolica dominus Boemundus, primas Galliae et Germaniae, et metropolitanus Trevirensis ecclesiae, Arelatensisque archicancellarius (d), reversus est ad patriam; a populo et clero diu desideratus, et dominus Gerardus adiit sedem Moguntinam.

CAPUT CLXXXXVI. (e)

De bono Wernhero.

Anno Domini MCCLXXXVII., domino Boemundo adhuc in Romana curia existente, puer quidam christianus et mendicus, Wernhe-

---

(a) Utriusque Archiepiscopi confirmationem anno, non 1288., sed 1289. fuisse factam, dilucide probatur in Act. Sanctor. (April. Tom. II. p. 703. Antverp.)

(b) gradus: edd.

(c) sacerdotii simul una die, et solemniter &c.: ibid.

(d) Ibid.: Galliae, Arelatensisque &c.

(e) Post narratam electionem ac consecrationem Boemundi sequitur in quibusdam codd. nimis longa et plane inutilis digressio, seu epitome, qua suscipit scriptor illa antiquissima perstringere, quae jam in primis Gestorum paginis a primis historiae nostrae scriptoribus prolixius dicta erant. Sunt autem hujus argumenti: Quare archiep. Trev. dicatur Primas — De nobilitate Trevirorum — De ortu et dignitate Trevir. ecclesiae — Trevirenses redeunt ad errorem — Agricius mittitur a beato Sylvestro papa — Privilegium Primatus — De S. Maximino — Quot pontifices Trevirensem ecclesiam rexerint a tempore S. Eucharii usque ad tempora Boemundi I. — — Finis hujus epitomes est his verbis: „Cui (Arnoldo) successit Henricus, qui metas „suae jurisdictionis mirabiliter dilatavit. Huic successit Boemundus, de quo jam „agitur in praesenti. Horum omnium gesta, et incidentiae temporum per longas „narrationes in suis locis plenius declarantur, quae tamen hoc in loco sub quadam „brevitate perstrinxi, maxime propter illos, qui continua studia non exercent."

Scriptor cod. Trev., N°. 1278. sign., ad marginem denotat hanc digressionem his verbis: Recapitulatio omnium praecedentium compendiosa. Revera nimis longa, et nimis compendiosa. Haec superflua in nostra editione merito omisimus. Secundum Wilthemii opinionem haec digressio, hoc loco interposita, est

rus nomine, cum apud Wesaliam, villam Trevirensis diocesis, de cellario cujusdam Judaei cum cophina terram exportaret, (a) hora quadam dum facultas se obtulit opportuna, inito consilio, perfidi Judaei, christiani nominis inimici, irruerunt in eum, qui diversis plagis innocentem puerum afficientes membratim laniabant, et tandem crudeli morte peremerunt, corpusque exanime et exsangue longius a villa in dumis et vepribus absconderunt. Deus autem corpus sui martyris a bestiis et avibus conservans intactum, quod (b) inventum est a quodam rustico, qui ibi juxta terram arabat. Et ad hoc spectaculum vicinis convocatis, exortum est murmur in populo, quod impii Judaei hoc facinus perpetrassent (c); sicut etiam ancilla quaedam christiana, Judaeis serviens, testabatur, quae asseruit, se per rimam parietis praemissa conspexisse. Quam ob rem homines illius terrae, longe vel prope positi, furore repleti (d), in miseros Judaeos crudeliter exarserunt, quosdam suffocantes, alios cum uxoribus et parvulis concremantes, alios submergentes, ac plures gladio perimentes. Tantum illi, qui se in castris et munitionibus nobilium recipere poterant, ab hujusmodi plaga (e) vix tuebantur.

Corpusque venerabilis (f) martyris translatum est Bacharacum (g), et statim ibi ad honorem Dei et sui martyris capella construitur opere sumptuoso. Cujus mortem pretiosam in conspectu suo Dominus pie creditur multis miraculis declarasse. Ad cujus tumulum, spe veniae, peregrinorum turbae de propinquis et longinquis regionibus catervatim concurrunt (h).

Cunonis Archiep. Trev. Chronicon, seu Epitome, qui praefuit ab anno 1362. ad an. 1388.; sed animadvertendum est, scriptorem quoque codicis S. Agn., antiquissimi ratione temporis Boemundi (scriptus enim est initio saeculi XIV.) hanc digressionem non praetermisisse; adtribuenda ergo est Ordolpho supra nominato.

(a) et hora: additur in edd. (b) quod: omittitur ibid.

(c) Cod. Eberh. Clus.: Judaeos hoc malum perpetrasse.

(d) Ap. Mart. et Honth. desideratur: furore repleti.

(e) peste: ibid. — In Rudolphi etiam Caesaris tutelam Judaei confugerant, et secundum Colmariense Chronicon Archiepiscopus Moguntinus palam pro concione Judaeorum suscepit partes, testatusque, injuriam eis illatam a Christianis maximam.

(f) venerabile: ap. Mart. et Honth. (g) Bachariacum: ibid.

(h) cucurrerunt: edd. Mart. et Honth.

Versus de morte ejus.

„Anno milleno, centum bis, et octuageno
„Septeno, Christo nobis de Virgine nato,
„Est puer occisus Wernerus, postea visus.“ (a)

De bello apud Wurunch.

Anno Domini MCC octuagesimo VIII. Non. Junii commissum est terribile bellum (b) prope Coloniam apud villam, quae Wurunch (c) dicitur, inter magnanimum principem Johannem, ducem Brabantiae, comitem de Monte, de Vianna et Juliacensem comites, et cives Colonienses, ex una parte, et bellicosum dominum Syfridum, archiepiscopum Coloniensem, Gelriae et de Luzzillenburg comites, et comitem de Valkinburg, ex altera (d). Ex quo proelio congregati sunt hinc inde electae juventutis excellentiores milites Franciae, Brabantiae, et undique circa Rhenum atque Mosam, et viri pedites bellicosi nimis, usque ad centena millia hominum, qui suffecisse creduntur una die ad tenendum campale (e) praelium cum Saracenis universis. In quo conflictu miserabili ceciderunt in ore gladii, proch (f)! miles clarissimus Henricus (g), comes Luzzelinburgensis, inclytus Walramnus, frater ejus, ac mille et quadringenti viri bellatores, tam (h) equites quam pedites, nobiles et ignobiles indifferenter, archiepiscopus et comes Gelriae, ac multi alii (i) capiuntur: duce Brabantiae in omnibus victoriose triumphante (k).

(a) Conf. Acta Sanctor. (Antv. T. 2. April. de S. Wernhero puero, p. 697. sqq.) Possidet bibl. Trev. codicem ms. saec. XV. membran., picturis elegantissimis ornatum, sub titulo: S. Wernheri antiqua historia pyndarice, heroyce, prosayce et musice composita!! — —

(b) Edd. et varii codd. mss. habent: praelium horrendum, et omittunt: Non. Junii.

(c) Worringen, Woeringen. — Conf. quae refert de hoc bello atroci Wernerus Titianus (scriptor saeculi XVI.) in suis Annalibus Novesiensibus (Martene Coll. ampliss. IV. p. 576. sq.).

(d) Conf. praeter nominatos Annales Novesienses: Die Cronica van der hilliger Stat van Coellen, fol. CCXL. — et Chronicon auctoris Van Helu, lingua Flandrica verbis homoeotelevticis exaratum, et proelium apud Woeringen tractans (editore Willems Gandavensi primum impressum Bruxellis, 1836.).

(e) campanale: Honth. (f) proh dolor: Mart. (g) Henricus III.

(h) omnes tam: edd. (i) et plures: ib. archiep. et Comes Gelriae: deest ib.

(k) Et haec: duce Brab. &c., ibid. hoc loco omissa sunt.

Dictus dominus archiepiscopus ductus est captivus in terram comitis de Monte (a), et comes Gelriae (b) ducitur in terram ducis Brabantiae.

Causa autem hujus belli fuit haec: Comes Gelriae duxit in uxorem natam ducis Limburgensis, unicam (c) haeredem ipsius ducatus, quae (d) decessit sine prole. Comes de Monte, proximus haeres, ut dicebatur, vendidit omne jus suum haereditarium, quod habuit in ipso ducatu, duci Brabantiae pro XXXII millibus marcis, comite Gelrensi assentiente, qui ipse dictam terram tenere deberet quoad vitam suam, ratione dotis seu sponsalitio jure; comite Luzzelinburgensi etiam dicente, dictam terram ad se esse jure haereditario devolutam; ac domino archiepiscopo Coloniensi allegante, quod ipsa venditio non valeret, quoniam jure homagii esset astricta ecclesiae S. Petri Coloniensis.

CAPUT CLXXXXVII.

De reditu domini Boemundi, et qualiter receptus fuerat.

Anno Domini MCCLXXXIX. (e), in die nativitatis beatae Mariae Virginis, dominus Boemundus, Trevirensis archiepiscopus, a domino Nicholao papa IV. missus cum pallio et ceteris pontificalibus ornamentis, ut decuit tantum virum; diu desideratus et exspectatus a clero et populo universo, vallatus maximo comitatu, gloriose susceptus est in urbe Treverica cum gaudio magno valde, in patrem et pastorem ec-

---

(a) Adolphi. — Sifridus, Archiep. Colon., vix e captivitate post septennium, multo tamen pretio, dimissus, bellum renovavit, et meliore fortuna certavit; Adolphum enim, antea victorem, nunc per insidias victum, in captivitatem duxit, illumque talionis poenam, modo plane barbaro, subire coegit; Comes enim duro carceri usque ad mortem mancipatur. Conf. Trith. Chron. Hirs. p. 64. sq., et Annal. Noves. p. 578.

(b) „Comes Gelriae graviter vulneratus mansit debilis capitis ad vitam suam": sic Chron. Tielense, p. 258.

(c) Male legit Honth.: vicinam. (d) qui: ibid., omnino male.

(e) Ad hunc annum alia folia mss. Trev. notant, Dominicanorum capitulum generale, mille circiter fratrum, Trevirim convocatum esse, et sub Boemundo Patres Carmelitas sedem Treviris impetrasse. — Notant porro, Boemundum anno 1289. IV. Cal. Decemb. et anno 1290. feria tertia post octav. SS. Trinitatis, Concilia synodalia celebrasse.

clesiae Trevirensis. Resonabat terra plausibus in adventu tanti principis. Aderant etiam Syfridus, Coloniensis archiepiscopus, ac Fredericus dux Lothoringiae, comites, barones et nobiles plurimi (a), et secundum consuetudinem ecclesiae Trevirensis, a clero et religiosis, longa vulgi circumstante corona, cum solempnitate magna introductus est et inthronisatus; statimque missarum solempnia in honore intemeratae Virginis, in ecclesia beati Petri, devotissime celebravit. Quibus finitis, omnes invitantur ad epulas; palatium nulli clauditur, sed omnibus aperitur, qui laetiores facti, post convivium largius jocundantur; plebs ruit ad spectacula novi praesulis ac reliquorum principum et baronum, totaque civitas gavisa tali principe, congratulabatur eidem.

Causa, quare divina suspensa fuerint in ecclesia Trevirensi.

Eodem anno suspensa sunt divina in ecclesia sancti Petri Trevirensi (b), et sic suspensa continue permanserunt (c) cunctis diebus domini Boemundi jam dicti. Causa suspensionis fuit haec: Tempore consecrationis domini Boemundi praetacti (d), praepositura ecclesiae sancti Petri per assumptionem ipsius in archiepiscopum, nec non et cantoria ejusdem ecclesiae per mortem domini Eberti praenominati in curia Romana, tunc (e) vacabant. Magistro Petro (f), physico Rudolphi regis Alemanniae, et magistro Johanne, officiali curiae Trevirensis, in curia Romana existentibus, dominus papa prudentiam, scientiam et honestatem dictarum personarum attendens, ob (g) honorem regis Alemanniae, providit dicto magistro Petro physico (h) de prae-

---

(a) Edit. Mart.: nobiles infiniti. Ap. Honth. deest: infiniti aut plurimi.

(b) Al.: Trevirensis vel Treviris.

(c) Male legitur in impressis: remansit.

(d) Mart. et Honth. habent: praefati.

(e) Deest in edd.: tunc.

(f) Aichspalter — Asspelt — Achtzpalt. Addit cod. ms. Eberh. Clus.: Petro de Lutzelenburch oriundo. Alius quoque cod. ms. Trevir. (Series episcopor. Trevir.) vult Petrum Aichspalter esse Luxemburgensem. Alia vero folia mss. dicunt: Petrus Aichspalter civis Trev. Sic et Browerus. Vide plura in notis ad hoc caput in fine.

(g) ad honorem: cod. ms. Trev. N°. 1344.

(h) dicto domino physico: Mart. et Honth.

positura ecclesiae Trevirensis, ac ob amicitiam specialem, quam habebat ad dominum Boemundum, dicto magistro Johanni providit de cantoria ecclesiae praedictae cum canonicatu et praebenda. Qui cum gratiis hujusmodi Trevirim pervenerunt; et his lectis et publicatis coram canonicis et praelatis dictae ecclesiae, et supplicantibus sibi fieri, quae circa praemissa dinoscuntur pertinere; magna pars capituli opposuit se graviter eisdem, et cum sibi adhaerentibus sedem apostolicam appellavit. Asserebant enim canonici dictae ecclesiae, se juramento astrictos esse, et super hoc publicum confirmationis instrumentum sedis apostotlicae impetrasse, quod personas, quantumcunque (a) literatas, humilis nationis, nisi de clara stirpe genitas, admittere vel recipere non debeant in canonicos et in fratres. Cum tamen personarum acceptor non est Deus, et sola est nobilitas animi, quae moribus et virtutibus hominem ornat (b); homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cordis interiora (c). Quibus pactionibus dominus papa se fore contempsit obligatum; sed super his et omnibus consimilibus (d) quae excogitari possent, ac legum edictis ipsum absolutum et liberrimum esse non dubitamus.

Cum autem (e) fama dictae provisionis domini papae ad dictos canonicos celeriter pervenisset, priusquam literae et gratiae publicarentur, de (f) dictis dignitatibus suis concanonicis providerunt: videlicet fratrem comitis Gemini-pontis in praepositum, et fratrem domini

---

(a) quascunque: cod. Paris.

(b) Memorabilis hic auctoris nostri locus est. Ap. Mart. et Honth. vero relatus est his verbis: et sola sit nobilitas, quae animum moribus et virtutibus ornat. — Haec editionum lectio clarae scriptoris nostri sententiae aperte contraria est ideoque falsa. Optimi codd. mss. consonant lectioni nostrae; illi vero codices, quibus Martene et Honthemius usi sunt, aliquam hocce loco depravationem certe passi sunt. Verba enim textus nostri, quibus scriptor suam sententiam, minime vero Canonicorum opponentium opinionem, exprimere volebat, adeo clara sunt in optimis Msstis, et adeo lectu facilia, ut satis mirari non possimus, quomodo in praefatas editiones irrepserit penitus transformata haec periodus. — Claudicat historia, si fontes optimi non consulantur. — Alia folia mss. Trev. habent: „Anno 1289. „metropolitanum capitulum facit statutum de non admittendis ignobilibus, „quod ne quidem per sententiam excommunicationis corrigi potuit."

(c) Cod. Paris.: in corde interiori. (d) Mart. et Honth.: similibus.

(e) Ibid.: cum enim. (f) Honth.: et dictis.

de Befort in cantorem eligentes. Hinc orta est dissensio maxima inter fratres capituli praedicti. Nam dominus Boemundus, ac decanus et archidiaconi, et magna pars fratrum (a) dicti capituli, parebant mandatis apostolicis (b), reliquis suspensis et excommunicatis; et dicta ecclesia supposita extitit interdicto, ex quo divini nominis cultus, religionis observantia, nec non et ecclesiastica disciplina penitus dissipantur.

De destructione castri Nigri-Montis.

His etiam temporibus (c) dominus Boemundus archiepiscopus obsedit castrum Nigri-montis, vulgo Schwartzenberch dictum, ab octava Laurentii usque ad exaltationem sanctae Crucis, cum magno exercitu, ac una cum illustri viro Frederico, duce Lothoringiae, coadjutore suo (d), qui etiam ipsum castrum fundis et machinis horribiliter impetierunt et tandem penitus everterunt, ne de cetero ibi latescant vispiliones (e).

De vacatione dignitatum.

Item nota, quod in diebus domini Boemundi archiepiscopi omnes dignitates archidiaconatuum et abbatuum (f), praelaturae diocesis Trevirensis, atque sedes scabinorum Trevirensium vacabant; sicut etiam idem legitur evenisse temporibus Hillini et Arnoldi, archiepiscoporum Trevirensium: quas benigne et honeste disposuit, quod nulla postmodum de eis quaestio fuit. In diebus quoque (g) suis a bellis et incendiis terra quievit.

(a) fratrum: deest in edd.

(b) Scilicet Nicolai IV. Pontificis, qui in electione Metropolitani cleri virtutis scientiaeque potius, quam nobilitatis, ut necessario ad hunc ordinem requisitae, rationem esse habendam, more olim recepto, decreverat. Ideo Nicolaus, ut supra in textu legimus, vacans in summa aede Praepositi beneficium Petro Aichspalter, viro doctissimo; Cantoris vero locum Joanni, Trevirensis curiae Officiali, eruditionis quoque virtutisque laude celebrato, contulit. Pars vero Capituli hos viros ceu novos homines, quantumvis literatos, humili tamen ortos loco, recipere noluit.

(c) Anno 1290. (d) adjutore: cod. ms. Trev. N°. 1344.

(e) Turbulentissimus erat his temporibus horum castrorum status, in quibus pleraque contra leges per vim furoremque gerebantur.

(f) Mart. et Honth.: abbatiarum. (g) quoque: deest in edd.

CAPUT CLXXXXVIII.

De modo se habendi, et de prudentia ejus.

Reverendus idem pater et dominus Boemundus, qui cum summa pace diebus suis diocesim Trevirensem salubriter gubernaret, quotidianis missarum solempniis, ordinum sacrorum celebrationibus (a), ac horis canonicis extitit mirabiliter intentus; in rebus mundanis acutissimus indagator, et consultus procerum ac consultor prudentissimus, discordiarum sedator, pacis reformator, et totius honestatis exemplar et informator. Jurium et consuetudinum patriae subtilissimus et honestissimus recitator, et ob ejus miram et profundam sapientiam apud principes et barones saeculi habebatur venerandus; civesque Trevirícos paterna amplectebatur sollicitudine, eorum pervigili cura procurans libenter pacem et honorem, sicque eos reddidit cunctis suis beneplacitis benivolos et intentos. Habuit etiam idem pater consuetudinem valde laudabilem, nam cottidie missa et horis suis canonicis dictis, laeto vultu processit in publicum; portis et omnibus ostiis apertis, intrabant divites et pauperes qui volebant, ac patuit ad eum omnibus facilis accessus. Alii graves querimonias super injuriis sibi illatis coram eo deponebant, alii jus et justitiam requirebant, alii super arduis et perplexis negotiis consilium et auxilium postulabant; quorum strepitum et tumultum non vitans, molem oneris et honoris pastoralis officii trementer attendens, gregem sibi commissum in cunctis suis allisionibus relevare satagebat: (b) nec enim minus est meritum, indigentibus et errantibus pio subvenire, quam haec, contemplationi inhaerendo, clausis oculis praeterire. Isaias (c) quaerenti domino quem mitteret, ultro se obtulit dicens: Ecce ego! mitte me. Iheremias autem mittitur, et tamen, ne mitti debeat, humiliter reluctatur dicens: Ah, ah, ah, (d) Domine Deus meus! ecce nescio loqui, quia puer ego sum. En ab utrisque exterius vox diversa procedit, sed non diverso fonte dilectionis emanavit. Duo

---

(a) Ap. Honth. omissa sunt: ordinum sacrorum celebrationibus.

(b) Sequentia usque ad finem capitis desiderantur ap. Honth.

(c) Mart. addit: enim. (d) Mart.: A, a, a.

quippe sunt praecepta Dei, videlicet amor Dei et proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium praedicationis appetit; per contemplationem vero Iheremias amori Conditoris sedulo inhaerere desiderans, ne mitti ad praedicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetit, hoc humiliter alter expavet. Iste ne contemplationis lucra perderet loquendo; ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Quod Moyses utrumque miro modo (a) explevit, quod praeesse tantae multitudini etiam noluit et obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumerae sine trepidatione susciperet; et rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret. Moyses suadente Domino trepidat, et infirmus jam, quisque ut honoris onus percipiat, anhelat; et qui ad casum valde urgetur, ex propriis humerum libenter opprimendus ponderibus (b) submittit alienis.

Reverendus pater Boemundus haec veritus, sui gregis se petitionibus exponens, super diversis quaestionibus suos subditos benignissime expedivit, et ob ejus mellifluam eloquentiam omnes eum libenter auscultabant.

CAPUT CLXXXXIX.

Quanta bona fecerit diocesi Trev. in vita sua.

Item munitiones et castra totius diocesis plurimum emendavit: inferius castrum de Numagio (c), Alben, et domum quae Baptismus dicitur, erexit a fundo (d). Monthabor (e), Harduvels (f), Pyllich (g), Meyene, et alia castra plurima, et praecipue Berenkastel (h) aulis, cameris, muris, turribus et propugnaculis, ac diversis aedificiis copiose decoravit. Praeterea in expeditionibus, conciliis et parlamentis regum et principum, inter quos semper apparuit prae ceteris gloriosus, magnum thesaurum largissime expendebat. Unde saepius ab ec-

(a) miro opere: edit. Mart. (b) ponderibus: deest in cod. Paris.

(c) Noviomagum ad Mosellam, antiquissimum Romani nominis vicum, in Constantinianis ruinis arce condita, firmavit.

(d) fundamento: edd. Mart. et Honth. (e) Al.: Montabur, Muntabur.

(f) Al.: Hardinvels, Hardivels, Hardenvels.

(g) Al.: Billiche, Billichum. (h) Al.: Berinkastel, Berrenkestel.

clesiis subsidia postulabat. Corpori suo, rebus et amicis nunquam parcens, sed cuncta liberaliter exponens pro jure et honore imperii conservandis, ac diocesis suae sublimatione et commodo (a) promovendis. Cujus fidem inclytus dominus Adulphus, rex piissimus, alto corde considerans et attendens, et quod jam in promotione sui et imperii multa millia marcarum expendisset: regale castrum dictum Cocheme (b) cum oppido adjacente, et cum omnibus suis pertinentiis et castris, videlicet Clottene (c) et Kemplun (d) cum suis attinentiis, de (e) consensu et voluntate omnium principum regni Alemanniae, irrevocabiliter contulit eidem et (f) ecclesiae Trevirensi in perpetuum, pleno jure, sine calumnia qualibet possidenda libere et quiete; nec non regale hoc (g) donum suo et regni principum sigillorum munimine roboravit. Melius et nobilius membrum, ac utilius pro defensione terrae suae, nullus praedecessorum suorum unquam comparavit.

Item idem pater diversa bona comparavit ecclesiae Trevirensi, videlicet bona de Pisporth ab ecclesia Trevirensi diu alienata reemit (h) pro octingentis marcis. Item advocatiam de Meyene emit pro trecentis et quinquaginta marcis. Item quartam partem advocatiae de Ediger (i) emit pro centum marcis, et bona de Coverna pro

---

(a) commodis: edd. Mart. et Honth.

(b) Cochem, Cocheim. — Vid. diplomata Adolfi Regis ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. I. p. 828.) et ap. Günth. (Cod. dipl. II. N°. 344. et 354.). Conf. etiam Tolneri Hist. Palat. p. 246. et 293.

Hoc castrum et oppidum ad Mosellam spectabat antiquitus ad Erenfridum Palatinum Rheni (saeculo X.). A Conrado III. Imp. obsidetur et capitur anno 1150., et postea, ut Gesta et diplomata habent, ex donatione Adolfi Imp. in jus ecclesiae Trevirensis venit anno 1294.

Propter Boemundi Adolfo, auri inopi, novas semper factas pecuniarum suppetias, cessit Rex haec castra (Cochemium, Clottenum, Kemplum) Archiepiscopo ecclesiaeque Trevirensi. Adolfi decretum confirmavit Alberti Regis diploma de anno 1298.; idem actum est per alios Imperatores saeculo XIV. Anno tandem 1398. repetitum consensum Imperii Electorum hujus donationis Boemundo factae legimus in chartis Gerardi Archiep. Moguntini, Wicholdi Archiep. Coloniensis, Hermanni et Ottonis Marchionum Brandenburgensium, et Alberti Ducis Saxoniae (Cod. mstus diplom. Trevericus, Vol. I., N°. 42. sign.)

(c) Al.: Clotten. (d) Al.: Kemplum, Kemplon (Kempt).

(e) et consensu &c.: Mart. et Honth. (f) Edd. legunt: eidem ecclesiae, omisso et.

(g) hoc: deest in impressis. (h) redemit: Mart. et Honth.

(i) Al.: Edegrin, Edegrey.

totidem marcis. Item bona de Isenach et de Gyldesheim (a) emit pro quadringentis libris. Item bona de Ludinsdorff (b) pro quingentis marcis, et multa alia, quae longum esset omnia per ordinem enarrare.

CAPUT CC.

De homagiis.

Item feoda et homagia multa comparavit ecclesiae Trevirensi. Domino de Dudelindorff (c) contulit ducentas libras Trevirensium denariorum pro feodo comparando, ut esset homo et fidelis ecclesiae Trevirensis. Item domino Johanni advocato de Hunolsteyn ducentas libras. Item domino Frederico de Novo-castro ducentas libras. Item Wernero Ryngravio ducentas libras. Item domino de Blanckynhem (d) ducentas et quinquaginta libras. Item Johanni domicello de Mailberch (e) ducentas libras. Item domino Reyzoni (f) de Bruberch ducentas marcas. Item comiti de Vienna (g) quingentas libras. Item domino de Breburch (h) centum et quinquaginta libras. Item domino Symoni de Keyle quadringentas libras Turonenses. Item domino Gottfrido de Meysenburch trecentas libras. Item domino Joffrido de Bolliche et domino Coponi mille libras Turonenses (i). Item domino Conrado et Werino (k) de Warinsberch (l) fratribus (m) trecentas libras Turonenses. Item Isenbardo de Warinsberch trecentas libras (n). Item Isenbardo de Heyss trecentas libras Turonenses. Item domino Frederico de Tettingen (o) ducentas libras. Item domino Bohemundo de Saraponte (p) quadringentas libras, ut castrum Dagestoul (q) li-

---

(a) Al.: Isenbach. — Gildinsheym, Gildenshem, Geylsheym.
(b) Al.: Ludindorff, Ludensdorff, Ludisdorff, Luidinsdorff.
(c) Al.: Dudenlendorff, Dudelendorff. — Vicus hujus nominis, olim territorii Luxemburgensis, 2 leucas a Bedaburgo situs est.
(d) Al.: Blankenheim. (e) Al.: Mailburch. (f) Al.: Reysoni.
(g) Al.: Vianna (Vianden). (h) Al.: Berreper, Berperch.
(i) Item Gottfrido de Meysenburch &c. usque ad hunc locum desideratur in edd. Mart. et Honth.
(k) Wernero: ibid. (l) Al.: Warnisberch, Warnesberch.
(m) fratribus: omittitur in impressis. (n) Non legitur ibid.
(o) Al.: Teltingen, Tetlingem. (p) Mart. male legit: Sarapente.
(q) Al.: Dagesteyn, Dagesteyor, Daginstul, Dagsthul.

gium (a) esset ecclesiae Trevirensi. Item comiti Gemini-pontis et domino de Kirckele mille libras. Item domino Godilmanno de Dorswilre (b) ducentas libras. Item domino de Manderscheit centum et quinquaginta libras. Item domicello de Brandenburch (c) centum et quadraginta (d) libras. Item domino Henrico de Helffensteyn (e) ducentas marcas. Item comiti de Ditze ducentas marcas.

Item comparavit homagia alia multo plura, pro quibus centum libras, aut paulo plus vel minus, singulis contulit, pro redditibus comparandis vel assignandis, seu pro homagiis antiquis emendandis et augendis, quae propter taedium et narrationem prolixam breviter praeterivi. Verum cum haec plenius alibi annotata et registrata fore dinoscantur, quorum summa expensarum omnium, propter diversam pluralitatem, sub mera certitudine faciliter (f) comprehendi non posset (g).

CAPUT CCI.

De ornamentis, quae comparavit.

Comparavit idem dominus Boemundus ornamenta ecclesiastica pretiosissima, qualia nunquam a suis praedecessoribus Trevirorum (h) archiepiscopis fuerant comparata; et praecipue ornamenta pontificalia, infulas, casulas, cappas, dalmaticas et subtilia, quorum (i) quinquaginta petiae (k) fuisse dinoscuntur. Calices aureos et argenteos, cruces gemmatas, et utensilia et clenodia aurea et argentea pretiosa nimis, et gemmas electas, ac libros ecclesiasticos multos, et ordinarios pro officiis pontificalibus et sacris ordinibus canonice peragendis; quae

---

(a) Ligeitas, fidelitas: ligius (ligeus) miles, homo ligius, castrum ligium — juratus ligeus noster — homines sub fide et ligeancia existentes: sic legimus in opere diplomatico s. t.: Rotuli Normanniae in turri Londinensi asservati, accurante Th. Duffus Hardy (Vol. I. p. 353. Lond. 1835.)

(b) Al.: Dorssweiler.

(c) Al.: Brandinberch. Haec desunt ap. Honth.

(d) quinquaginta: Mart.

(e) Helginsteyn: Mart. et Honth.

(f) facile: ibid.

(g) potest: ibid.

(h) Trevirensibus: ibid.

(i) quarum: ibid.

(k) Per petias intelligimus, quod Galli per pièces, Germani per Stücke. Medio aevo haec vox (pecia aut petia) de vestitu intelligebatur, aeque ac, tempore subsequente, de actis processuum.

clenodia et ornamenta capellae suae specialiter ad summam et valorem trium millium librarum ascendere dinoscebantur.

Unde ob admirandam constantiam et fidem ipsius approbatam, famosus et praeclarus habebatur apud dominum papam Bonifacium octavum, et apud omnes cardinales: nam de ejus experta sapientia et fidelitate virtuosa in omnes fines terrae jam fama pervolebat; licet tamen in vita sua multos habuerit aemulos et (a) detractores, qui suis felicibus actibus invidebant. Quod idem legitur de Alberone Trevirorum archiepiscopo, viro magnifico et in cunctis suis actibus glorioso. Hos stimulos saepe sentiunt adhuc viri virtuosi; sed de his omnibus liberat eos Dominus, dissipans consilium Achitophel, et David fidelem erigit elisum: velit, nolit Saul aemulus, David prosperatur.

CAPUT CCII. (b)

Qualiter Tripolis destructa est.

Anno Domini MCCXC. Tripolis, civitas nobilissima terrae sanctae, multo sanguine et sudore Christianorum conquisita et conservata, in medio perversae nationis sita, suis (c) peccatis exigentibus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum, et in universali ecclesia non modicum refriguit caritas plurimorum, capitur et deletur funditus a Saracenis; loca sancta polluuntur, virgines deflorantur, et Christianus populus infinitus occiditur, et quibus pepercit gladius, in servitutem rediguntur. Et quare hoc? Quia dereliquerunt fontem sapientiae: nam si in via Dei ambulassent, habitassent utique in pace sempiterna (d). Heu! caecitas umbrosa rationalis creaturae, quae sic in te lumen aeternae sapientiae concupiscentiarum tenebris offundis, ut totum quod

(a) et: deest in impressis.

(b) Hoc caput et plura sequentia desiderantur in edit. Honthemii, qui ea e serie Gestorum Trevirensium eliminanda putabat, quasi impertinentia ad historiam Boemundi. Nos vero ea in nostra Gestorum editione, etsi sint res peregrinae, praetermittenda nequaquam censuimus.

(c) suis: deest ap. Mart.

(d) Mart. legit: hereditassent utique &c. Cod. ms. Lind. habet: utique in pace semp. permansissent.

in te factum est per misericordiam, revertatur in vindictam. Facile enim est concludi multos in manu paucorum, dixit Machabaeus; et non est differentia in conspectu Dei coeli, liberare in multis aut in paucis; quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est. Sed scimus, quia peccatores nos exaudit Deus, ut caecus natus testatur in Evangelio; et hoc Dominus per Isaiam manifeste declarat dicens: Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis; quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius meus devorabit vos, et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam vos: manus vestrae sanguine plenae sunt. Moyses enim vicit Amalech prece, non armis: quamdiu autem filii Israhel steterunt in praeceptis Domini, victores extiterunt; transgressores vero facti, ab inimicis prostrati doluerunt.

CAPUT CCIII. (a)

De destructione Achon.

Anno sequenti (b), post dolorosam eversionem Tripolis, soror ejus Achon (c) habens oculos et non videns, aures et non audiens, velut aspis surda, nec tot et tantis sororis prostratae flagitiis emendata, diadema regni, sola adhuc, erecta cervice portavit indigne, peccatorum multitudine miserabiliter excaecata. Quod Dominus praevidens conqueritur, per prophetam dicens: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Et per Ezechielem clamando minatur: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terrae. Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas (d).

Cum autem Achon, civitas plena populo, rebus, armis et militia, divitiis et deliciis mundi supereminens gloriosa, summa (e) pace frueretur, et adhuc firma radice persisteret, et incolae ejus dicerent: pax

---

(a) Deest in edit. Honthemii. (b) 1291. (c) Ptolemais. Accon. Acre.
(d) Mart.: extra vias tuas. (e) firma: ibid.

et securitas! ecce repentinus supervenit eis interitus; nam flagellum suum misit Dominus, ut flagellaretur urbs scelerata. Soldanus enim Babyloniae cum ingenti barbarorum multitudine circumvallavit civitatem undique, machinis et tormentis variis muros impetens, et suffodiens per vias subterraneas. Per dies paucos eam expugnavit, et delevit usque ad internecionem, nec lapidem super lapidem dereliquit. Post haec omnia castra et munitiones terrae sanctae Soldani dominio subito subjugantur. Proch dolor! sanctum datur canibus, et margaritae mittuntur ante porcos, ut conculcent eas pedibus. Quis marmore durior, adamante solidior, qui non defleat desolationem terrae sanctae, virginum deflorationes, matronarum illusiones, raptarum deductarumque suspiria, christiani sanguinis effusionem in circuitu, cum non esset qui sepeliret (a).

Et, ut ait Isaias: Facta sunt morticinia (b) eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta; quod utique dolor est audire; sed dolorosius multum, quod exigit iniquitas perversorum. Plangite et ululate, filii Effrem! male tendentes arcum, et sagittas pejus emittentes, turpiter in die belli conversi retrorsum. Superbia vestra magna, et insatiabilis avaritia sunt causa perditionis terrae sanctae. Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni, regionem vestram coram vobis devorant alieni; et adhuc, Domine! superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Quiescere ergo faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo, dicit Dominus. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Ad vos est (c) hoc verbum filii Beal (d), dispersionis oves. Ad vos est hoc verbum, pro quibus totus mundus prorumpens in verba obloquitur. Sathanas princeps aquilonarius, qui in se divisus est, habitat in medio vestrum, tanquam qui ministrat, persuasor discordiae, spiritus tenebrosus, qui posuit linguas vestras in divisiones, et in pluralitatis articulos vestram disgregare compulit unitatem.

(a) Mart.: et non erat qui &c.
(b) morticina: ibid.
(c) est: omittitur ap. Mart.
(d) Belial: ibid.

CAPUT CCIIII. (a)

De morte Rodulphi regis.

Eodem anno (b) obiit serenissimus princeps Rodulphus, Romanorum rex, qui multa castra praedonum dejecit, multa praelia commisit, regem Bohemiae in bello prostravit, ac regnum Alemanniae in diebus suis strenue gubernavit. Qui etiam ad petitionem domini Boemundi, Trevirensis archiepiscopi, quem sincere dilexit, quinque oppida in diocesi Trevirensi sita, videlicet Montabur, Berencastel, Witlich, Pilliche et Sarburch, regali auctoritate libera esse statuit (c), et hoc sigilli sui munimine confirmavit pleno jure, prout regalis magnificentia civitates et oppida liberare consuevit; quam libertatem inclyti domini Adulphus et Albertus, Romani reges, publice confirmarunt.

CAPUT CCV. (d)

De electione Adulphi regis, et morte ejus.

Anno praedicto domino Rodulpho, Romanorum rege, defuncto, Adulphus, comes de Nassowe (e), vir magnanimus et princeps clementissimus, bellorum titulis et militia praeclarus, ab universis Alemanniae principibus electoribus in Romanum regem concorditer eligitur; tunc (f) cunctis admirantibus et laudantibus occulta judicia Salvatoris. Quos tamen electores, qui sibi graviter adversabantur in principio, solus dominus Boemundus, archiepiscopus Trevirensis, inclinavit ad electionem praedictam, et cum summa prudentia consensum

---

(a) Non legitur in edit. Honthemii.

(b) Anno 1291. XVIII. Cal. Augusti in oppido Germersheim ad Rhenum: sic cod. ms. bibl. nostrae sub titulo: Annales ministrorum ordinis Minorum provinciae Colon. (N°. 1351. sign.)

(c) Mons thabor, Berncastel, Witlich, Sarburg et Welschbillig oppidorum jure dotavit: sic habent alia folia mss. ad annum 1291.

(d) Deest ap. Honth.

(e) Nassauwe: cod. Paris. — In praefatis Annal. mss. ord. Min. notatur: Anno 1292. Cal. Maji Francofurti Adolphus Nassovius imperator eligitur.

(f) tunc: deest in edit. Mart.

omnium obtinuit, et eosdem sibi reddidit benivolos et pacatos. Qui sic electus celeriter cum magna solempnitate extitit consecratus, et regali diademate insignitus (a). Qui cum regni sui anno secundo marchionatum Missenensem (b), ac plures urbes et castra, armis et militia debellasset victoriose; crescenteque ejus gloria in omnes fines terrae, inimica et odiosa detractio, quae ex invidia diaboli in mundum introivit, contra inclytum Adulphum crudeliter exarsit. Collegerunt pontifices et pharisaei consilium (c) in unum, et adversus principem, unctum Domini, convenerunt. Quid facimus, inquiunt, quia (d) hic homo de hostibus sic triumphat? Si sic ipsum dimittimus, omnem subjicere sibi gloriam Alemannorum, et more Caesareo veniens, non tardabit (e). Obstemus ergo principiis (f), ne forte scintilla tenuis in flammam transeat destructivam; nec sagitta nostra plus lateat, sed procedat: sic procedat, quod feriat; sic laedat, ut jaceat; sic jaceat, ut prosternat (g); sic ipse prosternatur, quod amplius non resurgat. Sic moti sunt contra Romanum principem oberrantes, quod auctores malitiae facti sunt, simul et judices aperte judicium perverterunt.

Dominus Gerardus, Maguntinensis archiepiscopus, consanguineus ipsius dicti regis, cum regni inimicis sibi adjunctis, jam occulte affectabat, Albertum ducem Austriae in regem sublimare (h). Dux autem

(a) Aquisgrani: addit cod. ms. Trev., N°. 1162. sign. — Haec periodus omissa est in ed. Mart.
(b) Misenensium: edit. Mart. (c) concilium: ibid.
(d) quia: deest ibid. (e) omnem sibi subjiciet glor. Alem., et &c.: ibid.
(f) Cod. Paris.: principibus, omnino male.
(g) Ap. Mart. non legitur: sic jaceat, ut prosternat.
(h) Cod. ms. Trev., N°. 1434. sign., Gestor. Trevir. compendium continens, addit: Moguntinus dicitur dixisse: se alium regem suae perae inclusum habere. — Hac de re Serarius (Mogunt. rer. I. edit. Joannis p. 629. sq.) in hunc modum disputat: „Initio quidem ex consilio Archiepiscopi (Gerhardi) faciebat, quod „officii sui erat, diligenter novus Rex (Adolphus), semperque bene monenti morem „gerebat, adeo ut vulgo der Pfaffen-König diceretur. Sed rerum abundantia (†) „imperiique magnitudine paullatim efferri, Principes contemnere, tenuiores opprime-„re, fidem datam licenter frangere, publice adulteria patrare cum virginibus, viduis, „ac monialibus vi etiam subactis, in omne libidinum genus sese ingurgitare coepit; „adeo ut coactus fuerit Archiepiscopus (Gerhardus) de alio, qui justius et sapientius „Imperio praeficeretur, cogitare.“ — Conf. Chron. Colmariense, et Magnum Chron. Belg. ad an. 1292. — Scriptor Gestorum Trev. Adolpho, Boemundi nostri amico, omnimodo favebat.

(†) Adolphus Anglis adversus Gallos operam addixerat, accepta ingenti pecuniae summa.

juramentis peractis, et promissionibus allectus, cum ingenti militia festinanter Maguntiam veniens, quod clam (a) conceperat, palam aperuit, et regnum invadens, opposuit se jam regi manifeste. Ex quo bella campestria, strages hominum, ac incendia quamplurima sunt subsecuta. Rex enim cum strenua militia armatorum properanter occurrit eidem. Exercitibus hinc inde consertis, et nihil aliud praeter bellum sperantibus (b); rege vero suorum amicorum adventum expectante, numerus suorum augebatur cottidie, ac multa millia hominum ad ejus subsidium venire festinabant. Quod dux (c) studiose considerans, et suorum ingens periculum imminere, dolose fugam simulans, longius retrocessit. Quo cognito rex insecutus eum nimis incaute, quos fuga lapsos et desperatos jam sperabat, armatos et ordinatos ad bellum reperit acriores (d). Commissum est e vestigio campale praelium dolorosum, ibique rex clementissimus, famosus et praeclarus, cum magna strage suorum prostratus in sua propria, pro jure et honore regni occubuit, innocens sine causa, anno Domini MCCXCVIII. (e).

Super cujus morte dominus Boemundus, Trevirorum archiepiscosus, consolari non potuit cunctis diebus vitae suae: quia sicut mater unicum amat filium, ita eum tenere diligebat.

His diebus (f) Florentius, comes Hollandiae, a quibusdam suis armigeris occiditur, et post paucos dies filius suus, unicus haeres superstes, intoxicatus veneno interiit. Johannes autem, comes Hannoniae, terram occupavit, tanquam jure haereditario ad se devolutam.

(a) quod jam: edit. Mart., sed male. (b) spirantibus: ibid.

(c) dum: ibid., sed male. — Cod. ms. Trev. praefatus habet: dux simulata fuga retrocessit.

(d) Id. cod. ms.: invenit eum (ducem) cum suis pausantem et ad bellandum acriorem.

(e) IV. Id. Julii, haud procul ab Augusta Vangionum, ut communiter asseritur; in cod. praefato vero legitur: VI. Non. Julii, apud monasterium Dreyse Praemonstratensis ordinis, et ibidem sepultus. — Supra nominati Annales mss. habent: VI. Non. Jul. in praelio prope Wormatiam Adolphus occiditur. — In loco, quo cecidit Adolphus, extat adhuc monumentum simplex (renovatum sub Ludovico Comite de Nassau an. 1611.), cum hac inscriptione jam vix satis perspicua:

Adolphus a Nassau Rex interficitur ad Gellinheim — Non — Julii. Conf. Rheinische Geschichten und Sagen von Niklas Vogt. III. S. 17.

(f) temporibus: Mart.

CAPUT CCVI. (a)

De Coelestino papa, et Bonifacio papa.

Hoc tempore dominus Coelestinus (b) papa, postquam ad summi pontificatus apicem assumptus fuerat, curas et tumultus saeculi contra eum insultantes, quae corda dulcis contemplationis rore perfusa sauciant et enervant, quieto pectore ferre non valens; nam idem elegerat ab olim, postquam ad hoc (c) ei Dominus tribuit intellectum, abjectus esse in domo Domini, et sanctae contemplationi vacando, sedere ad pedes ipsius, auditurus verba coelica cum Maria, et cum illa partem, testimonio ipsius Domini, optimam eligens, ne implicitus mundi turbinibus cum Martha erga plurima turbaretur. Propter quod a suae juventutis auspiciis religionem intravit, ut in humilitate spiritus Deo spirituum (d) deserviret. Sed dum per haec ad Rachelis obtinenda consortia solido inhiaret proposito, Liam lippis oculis est expertus ei expositam pro Rachele. Nec mora retraxit pedem, quem in ingressu mundi levi motu et non fixum posuerat, molemque injuncti operis trementer attendens et timens, ne sic premat et opprimat, quod portantis debilitas molis ejus immensitati succombat: convocatis fratribus cardinalibus, et decreto super hoc edito, summi praesulatus honorem in manus fratrum cardinalium libere resignavit. Quem Bonifacius papa VIII., successor ejus, tenuit sub privata custodia quoad vixit, et hoc ex industria, ne forte error oriretur in populo, et verteretur in scandalum et conculcationem ecclesiasticae libertatis (e).

(a) Deest ap. Honth.

(b) Fundator congregationis Coelestinorum, secundum regulam S. Benedicti.

(c) adhuc: cod. Paris. (d) spiritui: id. cod.

(e) Postquam ab obitu Nicolai IV. sedes Apostolica vacaverat annos 2, menses 3, dies 2, Perusii 5. Julii an. 1294. tandem Coelestinus, dictus de Monte Murrone, octogenarius in Papam electus, suo eremitorio reluctans exire persuasus, prope Aquilam coronatus, post menses circiter 5. (13a Decemb.) Neapoli, ubi resederat, abdicavit pontificatum, victurus ut prius; sed a Bonifacio VIII., successore, angustae turri in castro Fumonis per decem menses inclusus, obiit in eo 19. Maji 1296. Inter Sanctos relatus est a Clemente V. Avenione 5. Maji an. 1313. — Cod. ms. Trev., N°. 1462. sign., addit haec: „Hic etiam Bonifacius anno dni MCCXCVII. scm Ludovicum

Iste est Bonifacius papa, qui sextum librum decretalium compilavit. Item idem dominus papa condemnavit et deposuit per definitivam sententiam dominum Jacobum de Columpna (a), et dominum Petrum cognatum suum, qui se fecit caput Gebellinorum (b), cardinales, nobiles Romanos prae ceteris potentiores; ac nobile castrum eorum, dictum Columpna, duodecim milliaria ab urbe situm, potenter aggressus in manu forti, expugnavit et delevit funditus; nec non et in contemtum et perpetuam memoriam, ut nunquam resurgat, vel fructus utiles ibi crescant, infra et in circuitu multa salis (c) onera spargi fecit: dictique cardinales facti profugi, vix invenerunt locum tutum in toto orbe. Sic condempnati usque in quartam generationem.

CAPUT CCVII. (d)

Haec est sententia depositionis dominorum Jacobi et Petri de Columpna cardinalium, lata a domino papa Bonifacio octavo anno Domini MCCXCVII., decima mensis Maji, in palatio juxta sanctum Petrum (e).

„Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus. Postmodum proposuit loco prothematis hanc auctoritatem: exurgat impius, exurgat „justus, exurgat Deus! Cujus auctoritatis talis expeditio fuit. Ex-

---

„regem francorum cathalogo scorm confessorum annotavit. — Hic sequenti ano dni „V. nons Martii sextum decretalium publicavit et per orbem observari demandavit. — „Hic regem francorum excommunicavit, et contra eum Romae concilium celebravit, „et ipsum ad quartam generationem condempnavit. — Hic Bonifacius Anagine a „domesticis proditus fuerat, captus et Romam adductus, ubi XV. die a captione mor„tuus fuit, anno dni MCCCIII.“ —

(a) Columna.

(b) Factiones, quae jam a tempore Conradi III. Imperatoris Italiam repleverunt, in duas erant divisae partes, quarum uni, quae Pontifici studebat, Guelforum nomen inditum; Gibellinorum alteri, quae Imperatorem sequebatur.

(c) saliginis: mala lectio codicis Paris. — „Et ut nunquam fructus ibi crescant, „spergi sale procuravit“: cod. Trev. supra nominatus.

(d) Et hoc caput non legitur in Honthemii editione.

(e) Plures aliae latae sunt sententiae contra Columnenses. Vid. Rainaldum (Annal. eccles. ad annum 1297.).

„urgat impius ad dissipandum, ut intelligamus active, et sic loquitur „primum thema propositum. Exurgat Deus (a) et dissipentur inimici „ejus. Secundo, exurgat justus ad judicandum et ad condemnandum, „et sic in psalmo legitur: Exurge Domine, et (b) judica cau„sam meam. Tertio, exurgat Deus ad miserandum, et sic Psalmista „loquitur: Tu exurgens misereberis Sion. Deinde assump„sit haec verba: Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt „te, extulerunt caput, malignaverunt concilium, et cogi„taverunt adversus sanctos tuos. Deus! si haec faciunt, quis „similis erit tibi? Ne taceas, neque compescaris ab eis, sed in „chamo et fraeno maxillas eorum constringe. Duobus ultimis illius „auctoritatis articulis omissis, exsurgat justus. Resumo primum mem„brum: exurgat impius &c. (ut supra).

„Et ut breviter descendamus ad factum; scire debetis aut scitis, „quod olim Johannes (c) de Columpna, damnatae memoriae cardina„lis existens tempore domini Gregorii papae noni, fuit notorius (d) „persecutor ecclesiae Romanae, et Romanum populum excitavit in „tantum, quod contra dominum Gregorium clamabat (e): Moriatur, „moriatur papa. Nihilominus Fredericum imperatorem prope por„tas urbis adduxit, qui obsedit Romanum populum, cardinales et pa„pam tunc in urbe manentes. Idem vero Gregorius in S. Johanne „de Laterano existens, quadam die assumpsit capita beatorum Apos„tolorum Petri et Pauli, et tunc coepit proponere verba ista: Ro„mani filii, ego peccator vilis et inutilis pastor; hic „sunt vestrae fidei Petrus et Paulus nostri pastores: „defendamus eos per crucem. Et tunc audito sermone Romanus „populus devotione accensus, crucem assumpsit, et tanta fuit multi„tudo crucem assumentium, quod chlamys domini papae cum multis „aliis ornamentis, in ejus confinio positis, fuerit propter crucis as„sumptionem consumta. Quo audito imperator retrocessit ab obsi-

(a) justus: cod. Paris. — Lectio hujus sententiae papalis, tam in codd. mss., quam in edit. Mart., nonnullis in locis corrupta esse videtur.

(b) et: deest in cod. Paris.

(c) dominus Johannes: additur ap. Mart.

(d) notus: ibid.

(e) clamabant: ibid.

„dione. Demum idem Gregorius cogitavit et deliberavit circa puni-„endum excessum dicti cardinalis de Columpna; et deliberatione ha-„bita cum peritis, et maxime cum domino Hainbaldo de Hainbaldis, „ac domino Matthaeo de filiis Ursi, voluit et deliberavit, dictum de-„ponere cardinalem. Sed morte praeventus, quod conceperat non „potuit consummare. Ecce initium Columpnensium, quomodo coepe-„runt ecclesiae Romanae esse devoti: et si non vidistis haec quae „dicta sunt (a), vos filii Romani, patres vestri (b) haec annuntiaverunt „vobis; deinde Johannes de Columpna miles, qualis fuit et unde pro-„cesserit, notum est vobis Romanis. Gaudebat dum fabulando po-„terat, inter vicinos et proximos, et a medio tempore cum coepit „habitare urbem, et postmodum propter favorem et honorem Roma-„nae ecclesiae, coepit opprimere consanguineos, suppeditare vicinos, „et alios sibi notos.

„Haec prodiverunt ex adipe Romanae ecclesiae: nam dum Ja-„cobus de Columpna fuit ad cardinalatus honorem assumptus, coepit „in eis superbia exaltare fimbrias suas, quia a domibus quas inhabi-„tabant, usque ad capitolium, ut videtis, posuerunt columpnas suas. „Nam antea dictus Jacobus fuit unus canonicellus in ecclesia S. Petri, „et dominus Nicholaus papa tertius de domo Ursinorum fecit eum „cardinalem, et credidit eum fidelem (c) amicum domus suae, et con-„stituit majorem persecutionem, quam unquam habuerat (d) domus „Ursinorum. Et qualis idem Jacobus, et in quo statu erat, sciunt „illi qui viderunt. Postmodum venit Petrus de Columpna, caput su-„perbiae. Nam pater suus pluries dixit nobis, quod esset ruina et „destructio domus suae, per superbiam quam habebat, et qualis fue-„rit, annuntiamus vobis. Ipse (e) fuit caput Gibellinorum et persecu-„torum ecclesiae, recollegit omnes rebelles dictae ecclesiae Romanae; „et plus constat nobis, tam per praelatos, reges et magnates, ac per „literas, quas ipse mittebat et recipiebat, quod Jacobum Arragonum, „tunc ecclesiae rebellem, nunc fidelem et amicum ipsius ecclesiae,

---

(a) haec praedicta: cod. Paris. (b) patres etiam: edit. Mart.
(c) esse fidelem: cod. Paris. (d) habuit: edit. Mart. (e) Item: ibid.

„ac Fredericum, nunc hostem ipsius ecclesiae (a), concitavit, ut se-„ditionem facerent et moverent contra ecclesiam Romanam. Ecce „quae merita reddidit filius matri suae, cujus ubera suxit, ex (b) cu-„jus adipe satiatus fuit. Sed alia multa tacemus, propter decentiam „status nostri. Ipsi vero non contenti praeteritis, voluerunt delicta „praeterita recensere modernis. Quia vos audistis, quod cras erunt „octo dies, quod nos spoliaverunt thesauro, quem acquisieramus tem-„pore nostri cardinalatus; quanta fuerit haec injuria, necdum dici „potest atrox, sed atrocissima. Nam injuria dicitur atrox ratione loci „et personae; quod ratione loci sit apparet, quia in januis urbis Ro-„manum nostrum thesaurum invasit. Haec injuria nedum facta est „nobis, sed etiam populo Romano. Quis enim auderet, summum „pontificem requirere, quod in urbe faceret mansionem, ex qua (c) „sibi a tam vilibus hominibus fieret injuria? Certe si Romanus po-„pulus haec sub dissimulatione transiret, magnam partem suae inten-„tionis perdidisset, quia huc curia de cetero non veniret. Consideret „etiam unusquisque nobis inferior, quod si Romano pontifici violentia „facta fuit, quomodo fieri non poterit multo magis uni de cardinali-„bus, vel alii inferioris status? Si haec fiunt in viridi, in ari-„do quid fiet? Hoc est, si fiat papae, qui est lignum viride, multo „fortius quomodo non fiet in arido, hoc est, uni inferiori?

„Unde quia facta sunt nobis inusitata, rem novam (d) aggredimur; „quia facta sunt insolita, faciemus inusitata. Quare nos consideran-„tes tantae temeritatis excessum, et exemplo perniciosum; non quod „ex ablata pecunia doleamus, sed si sineremus ex patientia, sive „ex negligentia, tam grave scandalum impunitum conniventibus oculis „praeterire, nobis posset improperari. Quomodo praesumimus judi-„care reges et principes terrarum, et vermiculum aggredi „non audemus? Ideo more boni medici volumus tollere morbum, per „quem impeditur causa salutis. Quia scimus, quod coronae Ebron „et Ephrem inebriant; hae sunt coronae cardinalium, qui ex adipe „Romanae ecclesiae sunt saturati et impinguati, et nunc recalcitrare

---

(a) Verba: ac Fredericum &c., omissa sunt ap. Mart. (b) ex: omittitur ibid. (c) ex quo: Mart. (d) rem non novam: cod. Paris., sed false.

„coeperunt. Vosque videntes, quod hi qui nobiscum dulces capie„bant cibos in ecclesia Dei et nobiscum ambulaverunt cum consensu, „ponebant scandala contra nos et ipsam ecclesiam, quae usque nunc „tacuimus et sustinuimus patienter. Sed urgente conscientia et zelo „domus Dei, cogimur ponere securim ad radicem, ut illa evulsa, ra„musculi pestiferi de cetero non virescant. Licet quae dicta sunt „cum cordis amaritudine postulemus; et cum magno dolore referimus „quae sequuntur.

„Ipsum quidem Jacobum de Columpna, quondam diaconum cardi„nalem tituli sanctae Mariae in Via lata (a), et Petrum de Columpna, „quondam cardinalem sancti Eustasii (b), omni commodo perpetuo ac „aeternaliter privamus cardinalatus honore, et omnibus ecclesiis urbis „commissis eisdem: cetera beneficia ecclesiastica, quae tenebant, dis„positioni nostrae reservamus, ut si viderimus eos in humilitatis spi„ritu persistere, agamus super illis misericorditer cum eisdem. Et „si, quod absit, in spiritu rebellionis seu inobedientiae prosilirent, „ipsos ex nunc schismaticos judicamus. Et haec facimus de fratrum „nostrorum consilio, et ampliori qua fungimur et possumus plenitudine „potestatis. Clericos vero beneficiatos, per masculinam vel femineam „lineam descendentes, usque ad quartum gradum privamus omnibus „ecclesiasticis beneficiis, sive praebendae, personatus, sive dignitates „existant, vel quocumque nomine censeantur, et quod de cetero ad„mitti (c) non possint ad cardinalatus honorem; quin immo ipsos su„perius nominatos, sive ex linea masculina, sive feminina descenden„tes, quantum ad hunc gradum cardinalatus, judicamus et definimus „perpetuo et aeternaliter inhabiles et indignos. Et ideo caveant Ro„mani, ne cum ipsis matrimonia contrahant in futurum.

„Obsecrantes vos fratres cardinales, praesentes et posteros ad„jurantes per sanguinem Jesu-Christi, ut hanc nostram sententiam „aeternaliter teneatis. Praedicimus, quod se per nos de cetero resti-

---

(a) Cod. Paris. habet: inviolata; male. Hoc loco in codd. nostris mss. clare legitur: in Via lata.

(b) Eustatii: cod. Paris.

(c) admittere: sic in quibusdam Mstis et ap. Mart.

„tui non confidant, quia illa hora qua haec faciemus, nedum perdamus vitam temporalem, sed careamus aeterna. Et si qui eis auxilium, consilium vel favorem praebuerint, clam vel palam; si laici „fuerint, ipso jure sententiam excommunicationis incurrant, et omnibus bonis, quae tenent a Romana ecclesia sub titulo fidei sive nomine censuali, vel alio quocumque titulo, volumus esse privatos; „et illa bona Romanae ecclesiae confiscamus. Si vero clerici fuerint „in beneficiis vel dignitatibus constituti, illis ipso facto et in perpetuum sint privati. Decernentes ipsos omnes fore in vitium schismatis incidisse, qui praedictos quondam cardinales in eorum errore, „quo vellent contra nostram sententiam persistere, ausi fuerint defendere (a) quoquomodo. Agapitum autem et Stephanum de Columpna „citamus peremptorie, et pro citatis haberi volumus, ut infra decem „dies veniant mandatis Romanae ecclesiae parituri; alioquin excommunicationis sententiae subjaceant, et omnia, quae tenent a Romana „ecclesia vel quibuslibet aliis, sint ipso facto privati. Ipse vero Agapitus scripsit hominibus de Columpna, quod sibi darent contra Romanum pontificem auxilium et succursum, at nos contra proponentes „facere quod in psalmo legitur: Disperdamus eos, et non memoretur nomen eorum ultra. Posset aliquis dicere, quod haec „nostra sententia contra quosdam cardinales lata videretur injusta, „pro eo quia qui deliquerint puniri (b) mererentur, et non alii; et „hoc videntur dicere multa jura. Et alibi dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris. Haec jura et similia intelliguntur, quae „spiritualiter infiguntur (c). Sed aliter est in his, quae temporaliter „imponuntur: et licet spiritualiter ab aliquibus intelligeretur; nos tamen volumus, quod integraliter (d) intelligatur in causa praesenti, „propter enormitatem ipsius. Praeterea videntur nobis ostendere jura „dicentia, quod aliquis non est puniendus sine culpa; sunt autem alia „jura evidenter ostendentia, quod aliquis non puniatur sine culpa (e),

(a) defendere: deest ap. Mart.

(b) poenitere mererentur: cod. Paris.

(c) infliguntur: ibid.

(d) generaliter: ed. Mart.

(e) Ibid. omissa sunt: sunt autem alia jura evidenter ostendentia, quod aliquis non puniatur sine culpa.

„punitur tamen ex causa; et cum (a) ipsi cardinales sint causa per-„petrati delicti, quia propter eorum superbiam et malitiam ac poten-„tiam, qua abutebantur, excessus multiplices sunt commissi, sicut „apparuit in vacatione Romani pontificis ultima, quae fuit Perusii. „Nam idem Jacobus vacationem tam diutinam procuravit, et quod ho-„micidia et dispendia sunt secuta ex vacatione praedicta, novit ille „qui nihil ignorat. Occupaverunt insuper, et occupari fecerunt, et a „subjectione Romanae ecclesiae subtraxerunt civitates et castra, et „loca quamplurima Romanae ecclesiae pleno jure subjecta; et castra „quae tenebat dictus Jacobus de Columpna in manu sua, sibi et fra-„tribus suis et nepotibus, ejus dolo desiit possidere, et ea tradidit „illis, et fidelitatis juramentum et homagium ipsis fieri procuravit. „Et vos Romani vidistis, quod hoc anno haec transivimus negligen-„ter: unde propter causas hujusmodi, et propter scelera praeterita, „ut multis grassantibus opus sit exemplum, ne in futurum similia fiant „per eosdem, eradicare volumus illam stirpem maledictam, et illum „sanguinem pestiferum, quia semper habuerunt erecta capita et su-„perbiam et contemtum. Poterit aliquis dicere, quod cardinales sta-„tum non habeant. Habent et non habent, cum ex eorum electione „canonica eligatur is et procedat, qui est super omnes in potestatis „plenitudinem (b) constitutus, et qui habet solvere et ligare sicut vi-„carius Jesu-Christi. Et certe non est aliquis post Romanum pon-„tificem, tam nobilem statum habens. Constat, quod ipsi sunt mem-„bra capitis nostri. Etenim non habent statum ut summus pontifex „enitentem, cum non sit, nisi solus papa, aliquis alius habens statum, „quia ipse non est sub statu alicujus inferioris eo. Sed cardinales, „statum habentes, sunt sub statu Romani pontificis, qui habet eos cor-„rigere et punire: unde propter superbiam et alios excessus graves, „papa potest animadvertere contra eos; nec miretur aliquis, si cardi-„nalis in tanto statu positus, propter superbiam deponatur: nam su-„pernus artifex disposuit hierarchiam in ecclesia, ad modum eccle-„siae triumphantis; sicut legitur de Lucifero (c), qui digniorem statum

(a) et tamen ipsi: edit. Mart. (b) plenitudine: cod. Paris.
(c) Vehemot: ibid. — Alii habent: Behemot.

„habuit in angelica hierarchia, propter superbiam corruit in profun-„dum, et caruit coelestis beatitudinis visione: sic isti a statu felici, „quem habebant in ecclesia militanti, propter superbiam ceciderunt; „et dignum est, ut induantur confusione, qui maligna loquebantur, et „super me faciebant malum, et cogitabant dolum adversus patrem suum; „propter quod eorum facies ignominia repleantur et erubescant, et „conturbentur, confundantur et pereant in saeculum saeculi, ut cog-„noscant, quod nomen Romani pontificis est notum in omni terra, et „est solus altissimus super omnes."

CAPUT CCVIII.

Incidentiae temporum.

Item per ordinem praeposterum revertar ad incidentias temporum.

Anno Domini MCCXCV. per totam diocesim Trevirensem vineae congelantur, et vindemiis cessantibus, non pauci ad vindemiandum vineas intrare dedignabantur. Sicut Isaias praedixit: Decem jugera vinearum facient laguneulam unam. Et paulo post sequitur: Vinum in torculari (a) non calcabit (b), qui calcare consueverat; vocem calcantium (c) abstuli, dicit Dominus.

Anno sequenti (d) inundaverunt aquae Treviris (e), et flumen Mosellae elevatum est super muros Trevirenses in ripa Mosellae sitos, ita quod cellaria in medio civitatis sita aquis replerentur, quod etiam prius nunquam visum est a diebus antiquis (f).

His diebus iterum orti sunt Vapulatores, qui se scuticis et flagellis rigide (g) percusserunt, per civitates, oppida et villas

---

(a) torcular: Mart. et Honth., male.
(b) calcabat: ibid., male.
(c) cantantium: ibid., male.
(d) Anno Domini MCCXCVI.: ibid.
(e) Treviros: ibid.
(f) Chronicon Tielense (edit. van Leeuwen, p. 265.) habet: „Anno Domini millesimo „ducentesimo nonagesimo sexto in partibus superioribus fuit tanta inundatio aquarum, „quod Mosela (sic) muros Treverorum transcendebat." — Alia folia Trevir. mss. addunt: „Hanc inundantiam et superioris anni sterilitatem secuta est foecundissima „vindemia."
(g) nudi: addit cod. Trev. ms., N°. 1462. sign.

decurrentes, sub quadam specie (a) sanctitatis quaedam nova cantica decantabant.

CAPUT CCIX. (b)

De electione regis Alberti.

Post occasum pacifici Romani regis Adulphi, convenientibus principibus Alemanniae apud Franckenfort, die assignata ad eligendum regem, concorditer elegerunt virum strenuum et bellicosum, Albertum, ducem Austriae praedictum, Rudolphi regis filium: nam literis, juramentis et pactis omnes electores regales, excepto domino Boemundo Trevirorum archiepiscopo, astricti fore dicebantur eidem, ut nullum alium in regem eligerent, praeter eum. Ad quam diem dominus Boemundus, praesul Trevirensis, perveniens, et se fraudibus cernens undique circumventum, timens etiam discrimen corporis et rerum, nec declinare valens a dextris vel sinistris, ad se reversus vir mirae providentiae (c), ac sano usus consilio, ad cautelam, sicut alii, dictum ducem Austriae elegit (d). Deinde in proximo festo beati Bartholomaei Apostoli Aquisgrani inthronisatus consecratur, inungitur et coronatur cum solempnitate debita et consueta.

Et eodem anno (e) sanctus Ludowicus, Francorum rex, vir totus misericordiae operibus deditus (f), per sedem apostolicam canonizatus, catalogo Sanctorum adscriptus est, et prima dies natalis ejus in crastino (g) beati Bartholomaei Apostoli ab universis principibus et

---

(a) spc sanctitatis: edd., male. — sub quadam penitentiali specie: cod. Trev. praefatus.

(b) Capita quinque subsequentia iterato desiderantur in edit. Honth.

(c) prudentiae: edit. Mart.

(d) consilio, omnibus promissionibus, pactis et juramentis dict. duc. Aust. ad cautelam fecerat abrenuntiare: ibid. — Addit ead. edit.: „Quo facto dicti „principes ad electionem regiam libere processerunt, dictum ducem, ut praetactum „est, concorditer eligentes.“ Deinde &c.

(e) Edit. Mart. male addit in textu: Domini MCCLXXXVIII.; sed in margine corrigit: 1298.

(f) Mart. legit: vir totus misericordiae operibus deditus Francorum rex benignissimus sanctus Ludovicus &c.

(g) in proximo: ibid.

praelatis regni Franciae ad hoc convocatis, reverentissime celebrata est in ecclesia beatorum Dyonisii et sociorum ejus, in qua ecclesia ejus (a) sacratissimum corpus ante multos annos extitit tumulatum.

CAPUT CCX.

De occisione Judaeorum.

Eodem anno clamor validus pene omnium Suevorum nobilium, plenus quidem furore et querimoniis, quae gravem injuriam indicabant, contra Judaeos invaluit; et satis dirae perturbationis jaculo Christi fidelium mentium interiora transivit, dum ex eorum clamore concordi etiam querula voce cognoverant, perfidos Judaeos puerum cujusdam nobilis et potentis viri, in contemptum Christiani nominis impie (b) jugulasse. Quod scelus immensum diu latere non potuit, sed prodiit in publicum; nam justus Judex hoc transire noluit impunitum. Surrexerunt Suevi velut lupi rapaces (c), dum irrumpunt caulas ovium, quas omnes strangulant: cum tamen cuilibet sufficere posset una ad suam ingluviem refrenandam (d). Arma sumunt Suevi, et virum quendam nobilem, dictum Reyntfleiss (e), eligentes in principem et ductorem, congregatoque exercitu maximo, Judaeos ferociter invaserunt, nulli parcentes, elevatis signis et vexillis bellicis, per diversas terras transeuntes violenter, civitates, munitiones et castra, in quibus Judaeos esse cognoverant, potenter infringentes, per loca diversa multa millia Judaeorum occiderunt.

CAPUT CCXI.

De rege Franciae, et comite Flandriae.

His temporibus (f) Philippus, rex Francorum, totius Franciae viros et vires exponens, contra Guidonem comitem Flandriae movit

(a) Mart. omittit: ejus. (b) Deest: impie, ibid. (c) rabidi: ibid.
(d) Al.: referendam. — cod. ms. Lind.: replendam.
(e) Rintfleis: edit. Mart. — Cod. ms. Trev., N°. 1462. sign.: Ryntfleisch.
(f) 1295 — 1298.

castra, et cum potenti exercitu intravit fines Flandriae, castra, villas et oppida destruens, nulli parcens. Ipse enim comes paucos ex suis fideles invenit; nam cives omnium oppidorum Flandriae, per promissiones et munera dolose corrupti, fautores regis extiterunt; occulte vero domino eorum comiti (a) malum pro bono reddentes, captabant in animam justi. Valida jam conspiratione facta, recalcitrantes sub suavi jugo comitis, qui semper suos subditos cum magna pietate regere et defensare consuevit. Deinde post strages hominum et incendia multa, comes Flandriae una cum filio suo Roberto (b) comite de Nyvers (c), cui pater etiam jam comitatum Flandriae tradidit pleno jure, et se ipsum devestivit; de communi consilio duodecim principum Franciae, qui Pares nuncupantur, ad sententiam et ordinationem quorum omnia jura, judicia et consilia totius Franciae dependent, dicti comites, pater et filius, se committentes gratiae regis sub spe pacis et veniae, prisionem intraverunt (d), interimque tota Flandria potestati regiae subjugatur; quorum fines rex Franciae aggredi nunquam ausus fuisset, si homines eorum stabiles et fideles invenisset.

Origo dissensionis et causa praecipua fuit haec. Comes Flandriae filiam suam desponsavit primogenito filio regis Angliae (e), quem longa guerrarum dispendia Francis reddiderant odiosum, et quod Francigenis ex dictis nuptiis oriri posset in posterum non modicum periculum et discrimen. Nobilis vero comes Flandriae Guido, et Robertus inclytus filius ejus, cujus hasta nunquam rediit (f) retrorsum, proch dolor! male decepti, et sine causa legitima vinculis mancipantur, ruptoque foedere male pertractantur, velut flores marcidi bestiarum pedibus ferocium conculcantur. Hinc dolor et timor viris nobilibus, quod sanguis generosus (g) ex alta prosapia, magnipotens prudentia, honor, opes et famosa militia nihil possunt neque valent adversus detractores (h): militia prostrata dolet, et odiosa detractio jam regnat coronata.

(a) comiti: deest ap. Mart. (b) Nonnulli codd. legunt: Huberto.
(d) Anno 1300. — prisionem, i. e. carcerem. — Edit. Mart. addit: servaturi.
(c) Nevers.
(e) Eduardi I. (f) abiit: edit. Mart.
(g) gloriosus et alta &c.: cod. Paris.
(h) nihil possunt &c.: non legitur ap. Mart.

Regnum, quod (a) stabilivit ab olim justitia et rectitudo, jam repletur spinis et sentibus, et radix Hugonis, quondam ducis Aurelianensis (b), in ramos pestiferos repullulat (c) pungitivos.

CAPUT CXII. (d)

De rege Tartarorum.

Anno Domini MCCXCIX. post lamentabilem terrae sanctae depopulationem, placatus Dominus super malitia populi sui, recordatus est desolationis terrae sanctae, ac solita misericordia de coelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Volens vindicare sanguinem servorum suorum qui effusus est, non invenit virum idoneum inter filios ecclesiae, qui pugnare velit bella Domini; omnium enim (e) oculos dextros eruit Naas Ammonites, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quapropter iratus Dominus ait: Ecce nationem filiorum reprobavi, testante Psalmista, sicut praedixit Isaias: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduae non ingreditur ad eos; ipsi regnaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et non cognovi, dicit Dominus. Quos tamen, ut ait Gregorius, internus judex provehit et non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat, sicut ipse ait: Recedite a me operarii iniquitatis, nescio qui estis. Vae regibus et principibus solo nomine Christianis, qui tenentes legem nesciunt auctorem legis; qui vero ea quae Domini sunt

---

(a) Regnum quoque: habent quidam codd. mss. (b) Aurelianensium: Mart.

(c) pullulat: ibid.

(d) In hoc capite sermo est de Ghasan, potentissimo Principe Tatarico, Persiae Rege (Chan), ex progenie Dschingis, famosissimi terrarum expugnatoris.

Chronicon excerptum, seu Chronica compendiosa (ap. Pistorium pag. 705.) habet annum 1300. Conf. Raynaldi Annal. eccles. ad annum 1299., et Mémoires sur les relations des princes chrétiens &c. avec les empereurs Mongols, par Abel-Remusat (Mém. de l'academ. des inscript. &c. T. VI. Paris, 1822. — T. VII. 1824.)

(e) enim: deest ap. Mart.

nesciunt, a Domino nesciuntur. Unde Paulus: Ignorans ignorabitur, quia noluit intelligere ut bene ageret; sed propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus. Prope est ut veniat tempus ejus: miserebitur enim Dominus terrae populi sui, et eliget adhuc de Israelitis veris (a), et quiescere eos faciet super humum suam, et erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos, ut ait Zacharias; possidebit Dominus partem suam in terra sanctificata, eliget adhuc Iherusalem.

Verecundentur (b) principes nostri impinguati, dilatati, qui pascunt semetipsos. Quod crassum est, devorant, quod aegrotum projiciunt, fractum non alligant, erroneum non reducunt, nec perditum requirunt. Ergo per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Proch dolor! inter mille millia Christianorum sub coeli cardine militantium, non est inventus homo qui ascendat ex adverso, et opponat se murum defensionis pro domo Israel, ut stet in praelio in die Domini, qui descendens ab arce poli factus homo, se totum nobis dedit in pretium, ut nos de manibus inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Nec est qui recogitet vel vicem rependat: ut quid enim Christus, ait Apostolus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est; vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Propterea haec dicit Dominus Deus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dextram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam.

Dominus, qui tartara confregit, et Tartaricum principem debellavit, nunc elegit ex universis principibus (c) regem Tartarorum, prophetica voce clamante, qui dixit: Nonne de multis quaesivit Deus virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra

(a) viris: cod. Paris., male. (b) Verecundantur: edit. Mart.
(c) gentibus: ibid.

se pro terra, ne disperderet eam, et te reperit? Quem mittam, dicit Dominus, et quis ibit nobis? Et dixit rex alienigena: Ecce ego sum, mitte me; nam Christiani reges steterunt omnes. Et dixit Dominus: Vade et ulciscere sanguinem servorum meorum, quia vindictam retribuam in hostes eorum, et propitius ero terrae populi mei. Subito surrexit rex fidelis, alienus a fide, fidei pugil egregius, cum ingenti armorum strepitu et horribili turbine bellatorum; quasi pestis ab originalibus sedibus Tartarea clade depulsa, et velut moles ingens per abrupta montium et declivium fluminis jactibus et fulminis ictibus devoluta, in sanctam civitatem Iherusalem irruisse crudeliter nuntiatur, fremens et frendens cuncta prostravit; terror ejus jam invaserat totam Asiam ac omnes regiones Sarracenorum. Soldanus autem Babyloniae, et Soldanus Atticus, et Soldanus Damasci, cum regibus et satrapis multis, magno collecto exercitu barbarorum occurrentes eidem, commissum est campale praelium nimis horridum a mane usque ad vesperam. In quo bello ceciderunt hinc inde, ut creditur, centum millia hominum (a). Interque micantes gladios fumabant arva tepido sanguinis profluvio rubricata. Soldanus vero Babyloniae, angustiatus nimis, videns stragem suorum, et Tartarorum audaciam, et quod parati sunt stare aut mori, sine mora fugam iniit cum his, quos fortuna belli non oppressit; quos Tartarorum dominus clangentibus tubis grassanter insecutus est, vulnerando, sternendo, quos attingere poterat, gladiis et sagittis, donec superveniente noctis caligine, infra munitionem fir-

(a) In praefata compilatione chronologica (ap. Pistor.) legimus haec pauca: „An. Dom. „MCCC., dum civitas Accon et tota terra sancta in potestate gentilium steterit VIII. „annis, rex Tartarorum nomine Gazan potenter cum suis, rege Armeniae ipsum ad„juvante, terram sanctam usque Damascum hostiliter acquisierunt, in duobus conflic„tibus LXX. millia hominum gentilium ad arma valentium occiderunt, praeter reli„quum populum, cujus numerus non poterat determinari."

Irrepsit, opinatur Raynaldus l. c., in annorum numerum error ex scriptorum incuria. Erat autem an. 1300. Quidam enim codex ms. saeculi XIV. (bibl. Trev., N°. 105. sign.), sub titulo: Historia de variis gentium regnis et bellis, praecipue de dominio Tartarorum, refert: „Actum fuerat hoc per Casanum anno M. CCC. die Mercurii ante festum „Nativitatis Domini." — Auctor hujus historiae et testis oculatus, Ayconus, dominus Curchi, frater Ordinis beatae Mariae Praemonstratensis, scribit: „Ego vero, qui his„toriam hanc narravi, interfui omnibus negotiis, quae Tartari habuerunt."

mam dicti Sarraceni se reciperent tremebundi. Deinde noctis beneficio tutiores, a magno usque ad minimum, migraverunt hinc viribus destituti. Mane autem facto rex Tartarorum insultum faciens, et locum desertum inveniens, turres, muros et munitiones solo coaequavit. Deinde montes et valles ac ampla deserta veloci cursu transiliens, cuncta vastabat. Item collecto Soldanus exercitu (a) eidem occurrere festinavit. Acie hinc inde (b) ordinata, et turmis congredientibus, cum horrendo strepitu fundibularii et balistarii (c), velut tonitruum fragore terribili, exercitus provocabant ad praelium, belloque conserto, rex Tartarorum magnificus, ruptis hostium cuneis, velut leo famelicus dissipans et conculcans gregem armentorum, et (d) arcu et gladio Babylonicam potentiam victoriose dejecit; Soldanusque cum suis qui supererant, declinavit a praelio desperatus. Quos rex praepotens potenter insecutus est, nulli parcens, donec superveniente noctis umbra, in locum munitum hostes se reciperent fugitivi. Deinde vice tertia Soldanus Babylonicus resumtis viribus, et evocatis regibus et satrapis, ab extremis terrae ac maris insulis gentibus infinitis, et quidquid virium habere poterant barbarorum exterae nationes, mirabiles acies ordinavit. Rex vero Tartaricus suos recolligens, properavit ad pugnam velut aper indomitus spumosis labris, dum volucri gyro, radenti dente catellos transverberat insequentes. Deinde bellicis turmis dispositis, in congressu valido tubarum clangor, ingens clamor et collisiones armorum terrifico sonitu replebant aëra pulvere turbulentum, subitoque commissum est praelium abhorrendum, volitantque per inania mortes. In quo bello pene omnes viri bellatores et vires Sarracenorum in ore gladii sine numero ceciderunt. Sed Soldanus cum paucis vix evasit, fugiens Babylonem, in qua se cum

---

(a) Ap. Mart. additur: Soldanus Babyloniae. (b) hinc: deest ibid.

(c) Fundibularii et balistarii dicebantur, qui ex fundibulis trajectoriis, sive ex machinis expugnatoriis jactabant lapides et sagittas, sive tela igni in aëre concipiendo apta. Apud Romanos ejusmodi telum dicebatur Phalarica.

— — Magnum stridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo.

(Virg. Aen. IX.)

(d) in arcu: Mart.

suis inclusit. Rex autem Tartarorum cum triumphali victoria potiretur, Iherosolymorumque regno suae ditioni subacto, omnia regna adjacentia per potestatem lustrando perdomuit (a). Deinde Jordanem, Eufratem et Nilum transiens, omnes gentes longe et prope sitas virtute martia subjugavit.

A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Vere de vultu Domini judicium prodiit, et a summo coelo sententia justa egressa est, ut placuit Regi regum altissimo, cujus occulta judicia nemo colligere potest, eo quod, admirante voce prophetica, sint abyssus multa. Ab ore regis (b) Tartarici mirabile verbum prodiit, quod et juramento firmavit, videlicet se nunquam retrocessurum (c), sed omnia mortis pericula se cum suis potius subiturum, quam declinaret a dextris vel sinistris, donec Babyloniam et omnes fines paganorum suae subjiceret potestati.

Deinde victoriosi triumphi gloriam celeriter et cum solemnitate magna nuntiavit domino Bonifacio papae VIII., cum pleno gaudiorum corde, et desiderio magno supplicavit attente, quatenus Christiani a terra sancta expulsi, libere reverterentur, et inhabitarent terram desolatam, civitatesque destructas reaedificarent (d).

Insuper publice notificavit, quod bellatores acres et vernaculos expeditos ad praelia sufficientes haberet, nec etiam indigeret auxilio Christianorum. Item mandavit domus hospitalis sancti Johannis Jero-

---

(a) Confer Chron. de Saint-Denys, livre du roy Philippe, du fils de S. Loys, chap. XXV. ms. (Mémoires des inscriptions &c. T. VII. Paris, 1824. pag. 385. sq.) — Hayton Hist. Orient. cap. 43. — Codex supra laudatus (saec. XIV.) refert praelia subsequentia ad annos 1301. et 1303.

(b) ab ore gladii: edit. Mart. (c) recessurum: ibid.

(d) Idem narratur in dicta compilatione chronologica his verbis: „Rex Tartarorum a „Nativitate Domini usque ad Majum permanens in Damasco, potenter mittens suos „solemnes nuncios summo pontifici Bonifacio, petens et desiderans, ut omnes Chris„tiani advenirent, terram sanctam accipiendo et possidendo, quam ipsis animo libenti „vellet dare; et vocavit principaliter III. ordines, templarios, hospitalarios, et fra„tres Alemannos in ipsis suis literis, domino apostolico ad Romanam curiam destinatis."
In cod. ms. Trev., N°. 1362. sign., legitur: „Anno Domini MCCXCIX." (false) „imperator Tartarorum, fere toto paganismo tribus praeliis cruentissime devicto, „scripsit papae Bonifacio cum hospitalomorum Iherosolimorum magistro, ut Christia„nos destinaret, qui aedificantes terram sanctam libere inhabitarent."

solymitani et militiae templi, ac aliarum domorum magistris universis, ut ad loca sua depopulata transirent, et ea possiderent siné tributo, libere et quiete. Dictarumque domorum magistri, repleti gaudio magno valde, in omnes fines terrae hilariter literas ad suos subditos transmiserunt, mandantes ut fratres habiles et robusti ad quaeque pericula toleranda infra certum terminum transfretarent. Summus autem pontifex, receptis literis de tanta regis victoria, publicam stationem indixit in Urbe; et ordinata processione laudabili, cum devotione magna universus populus visitavit limina Sanctorum. Summo Patri luminum, a quo profluxit hoc donum munificum, in cordis et oris jubilo dignas laudes ac gratiarum immensas satagebant impendere actiones. Haec aspiciens a longe Isaias, clara voce praedixit: **Domine excelsum brachium tuum, Deus Sabaoth, corona spei, quae ornata est gloria, exultet desertum, et exultent solitudines Jordanis, et populus videbit altitudinem Domini; notas facite in populis virtutes ejus; cantate Domino, quia mirabilia fecit; annuntiate haec in universa terra.**

Ecce Christianae fidei principibus scandalum universis, quod fidem ignorans est fidei robustissimus propugnator, vigilique cura sudores bellicos et aestivos pulveres non vitans, et populus Christianus dormit in lecto, id est, in securitate, audacia et opportunitate peccandi, sicut dicit Haymo, non ut quiescat, sed ut febre languescat et phrenesim sustineat. Nonne jam omnes languescunt principes nostri? Vere sic. Si praeteritorum temporum gesta percurras, videbis quot et quanta pericula Romani principes quondam pro defensione reipublicae sustinuerunt; quot reges et regna magnus Alexander Macedo celeri victoria transvolavit; qualiter Titus cum Vespasiano Iherosolymorum urbem visitationis suae temporis ignaram delevit cum populo, ut in ipsa vastitate hostili nobiles et tenerae mulieres prae famis angustia ventris sui fructum avide devorarent. Et haec egerunt bellatores inclyti pro vana mundi gloria, idolis servientes! Nunc Christiani milites inter se mutuo praeliantur, Christianos spoliant, devorant, rapiunt et occidunt; religiosos, viduas et orphanos opprimunt, nec Deum timent, nec hominem verentur! Sanguis Christi, qui pro eis effusus est, ab eis non curatur, et inimici crucis occupant terram

sanctam. Ploret et ululet omnis Christianitas, quod in amplo matris ecclesiae gremio non est inventus homo dignus et idoneus, peccatis exigentibus, ad expugnandum inimicos Christi; sed honorem nostrum Dominus dedit alieno, et elegit ad hoc virum, secundum cor suum, hominem ignotum, dominum Tartarorum. Nec mirum, ut dicit Hieronymus, si radicis amaritudinem dulcedo fructuum recompensat, et viles virgulae balsama pretiosa desudant: hinc pudor ingens militibus Christianis, si pudor esset in terris (a)!

Tartaros quidam autumant Tarsenses et Hismahelitas, de quibus scribit Methodius, quod ingressuri sint ante finem mundi, et obtenturi orbem terrae octo ebdomadibus annorum, id est, quinquaginta sex annorum, et multa mala facturi.

CAPUT CCXIII.

De demembratione imperii propter nuptias.

Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono exorsus est sermo inter principes Alemanniae super matrimonio contrahendo inter primogenitum filium Romani regis Alberti, et sororem (*) Philippi regis Franciae, hac conditione adjecta, quod regnum de Arelat (b), dotalitio jure propter nuptias, cedere deberet dicto filio regis Alemanniae, et suis heredibus in perpetuum pleno jure. Quod regnum Arelatense (c) reges Franciae jam dudum occupaverant violenter, a tempore depositionis Frederici imperatoris: nam ad ipsum imperium immediate (d) spectare dinoscitur pleno jure, et archicancellatus (e) dignitas ad archiepiscopum Trevirensem dinoscitur pertinere. Convocatis autem principibus Alemanniae, et baronibus

(a) in terris: deest ap. Mart.

(*) Blancam. Auctor hist. Austral. ad an. 1299. bis errat, dum dicit: Albertum nupsisse Blancae, Philippi filiae.

(b) Arleblant: edit. Mart. — Arcleblant: nonnulli codd. mss.

(c) Arelateneti: edit. Mart. — Al.: Arelatenense.

(d) immediate: deest ap. Mart.

(e) archicancellaria: ibid. — Jam titulus Archicancellarii per regnum Arelatense (Burgundiam et Lothariensem Ducatum) ab Archiepiscopo Trevir. usurpari coepit.

Franciae, ad diem certum apud villam, quae Fois (a) dicitur, juxta Tullum; dictisque regibus ibidem convenientibus cum maximo apparatu, ex parte dictorum regum factum est verbum ad principes memoratos, quod ipsi super his sponsalitiis donis consensum liberum adhiberent, et haec suis literis et sigillis communirent publice; asserentes quod ex hoc posset universo orbi pax et utilitas provenire.

Sed heu! maxime quaerentes quae sua sunt, non quae Jesu Christi, ad demembrationem imperii avide aspirabant, et sub mente tacita latebat anguis habens aconita. Quod vir mirae providentiae (b) Boemundus archiepiscopus audiens (c), dolore tactus intrinsecus, acumine aquilini intuitus, solis radium transverberans, et praedam (d) aspiciens a longe, non obstante longi spatii intervallo, super laesione et demembratione imperii doluit et ingemuit vehementer, ab imo pectoris ducens suspiria; dolum praevenire visus est, ne morbus fistulare (e) incipiens, non abscissus usquequo (f) perveniat in medullas.

Sed heu! res mutata est in contrarium, mortis angustia praecurrente. Cumque sic angustiaretur pro augusti imperii dignitate angustianda, cum maximo apparatu adire concilium principum princeps egregius egregie anhelabat; et his constanter intentus, coepit irruente infirmitatis molestia graviter aegrotare, et non post multos dies vitam finivit. Cum autem sentiret se debilitatum nimis, reverendo viro Wickeboldo (g) archiepiscopo Coloniensi, fideli amico suo, qui tunc praesens aderat, arcana cordis sui cum magna fiducia fideliter reseravit, indicans ei (h) per omnia suam voluntatem. Deinde valefacto, idem dominus Coloniensis archiepiscopus ad dictum concilium celeriter properavit. Quo perveniente, ex parte dictorum regum adauctae felicitatis auspiciis allegatis hinc inde, quae possent ex his imperio et regno Franciae, et per consequens universo orbi, sta-

---

(a) Sic nostri codd. — In ipso textu edit. Mart. legitur: Foris, et in nota marginali: Foulziar.

(b) prudentiae: edit. Mart. (c) audiens: deest ap. Mart.

(d) et praedicta: cod. Paris. (e) fistilare: edit. Mart.

(f) Addit ead. edit.: serpat usquequo.

(g) Quem Colonienses nominant Wicholdum Nobilem de Holte in Westphalia.

(h) Edit. Mart. legit: inculcans sibi, minus bene.

tuta (a) pace, utiliter pervenire, si principes electores praemissis consensum legitimum adhiberent; cunctisque principibus applaudentibus et consentientibus, dominus archiepiscopus Coloniensis, vir constans et imperii sublimitatis zelator fidelis, solus surrexit in medium imperterritus, ac voce libera proclamavit, quod ipse una cum domino Boemundo, Trevirorum archiepiscopo, cui idem in hac parte vices suas commiserat, in detruncationem honoris et status imperrii minime consentirent, et donationi factae propter nuptias publice contradixit; ceteris electoribus donationem hujusmodi confirmantibus suorum munimine sigillorum. Hi vero duo archiepiscopi fideles nec in his (b) consentiebant, nec sigilla sua apponebant.

Totus orbis non immerito in admirationem ducitur, quod ubi promovendus est honor, et injuria propulsanda, apud eos qui tenerentur et deberent (c) pro culmine imperii se murum defensionis opponere, ab insurgentibus ex adverso, ipsis scientibus et procurantibus, contrarium patiatur.

CAPUT CCXIV.

De obitu domini Boemundi Trevir. archiepiscopi.

Post multos vero labores et sollicitudines saeculi, respiciens Dominus militem suum emeritum, et servum suum bonum et fidelem, sicut ei placuit, in requiem et gaudium Domini sui vocare dignatus est; videlicet (d) praenotato anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, feria quarta post festum beati Nicholai episcopi (e), hora sexta, pontificatus sui anno undecimo, reverendus pater et dominus Boemundus, Trevirorum archiepiscopus, princeps fidelissimus, decumbens in palatio Treviris, ab hoc carnis ergastulo evocatus, plenus dierum in senectute bona feliciter (f) migravit ad Dominum: de labore tendens ad requiem, coelum penetravit empyreum, ut

---

(a) Ibid.: stabilita. (b) Ibid.: nec iis.
(c) Ibid.: tenentur et debent. (d) videlicet: omittitur ap. Mart. et Honth.
(e) Codd. Eberh. Clus. et Lind. habent: die nona Decembris; cod. Trev., N°. 1362. sign., habet: die nona Novembris, sed false.
(f) Edd. Mart. et Honth.: fideliter.

speramus; terrenis terrena relinquens, et sepultus est in claustro, quod Hymmelrode (a) dicitur, Cisterciensis ordinis, quem locum semper speciali veneratione dilexit in vita et in morte; quem etiam singulis annis, in die Palmarum, quoad vixit, devotissime visitare (b) consuevit (c). Si qua vero in eo remansit peccati macula, quam post contritionem et confessionem veram poenitentiae lima plenarie non purgavit, deleat eam Dominus, qui misericors est et multus (d) ad ignoscendum. Qui manu benignissima et plena gratiarum absterget (e) omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, et colligat animam ejus, qui verae sophiae philosophantium animas ad se colligit, quas jam solutas corporibus ex toto credimus immenso illi pelago aeterni luminis et luminosae aeternitatis immersas. Felix homo ille, qui ex toto corde suo et ex tota anima sua diligit dulcissimum Dominum Jesum Christum. Unde Bernardus: O amor sanctus et castus! O dulcis et suavis affectio! O pura et defaecata intentio voluntatis! eo certe defaecatior et purior, quo in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur; eo suavior et dulcior, quo totum divinum est quod sentitur: quomodo stilla aquae modica, multo infusa vino, deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit et calorem (f); sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa liquescere, atque in Dei (g) penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo Deus erit omnia in omnibus, si in homine de homine quidquam supererit; manet quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria aliaque potentia. O quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Ad quam nos pervenire concedas, qui es benedictus in saecula. Amen.

(a) Al.: Hymmenroit, Hymmenrot, Hymmelrot. — Cod. ms. Trev. Abbatis Bootz (Series Abbatum in Himmenrode) continet sequentia: „Tumulus ei saxeus, rara mo- „destia, neque ullo insigni elogio tituloque, cum hac inscriptione contigit:

„Hic jacet venerabilis Dominus Boemundus Trevirorum Archie- „piscopus, qui obiit anno Domini MCCXCIX.

Conf. etiam Heesii Manipul. rer. memorab. Claustri Himmerod. pag. 67.

(b) devotissime: deest ap. Mart. et Honth.

(c) Quae porro sequuntur in hoc capite, omissa sunt in edit. Honth.

(d) mitis: legit cod. Trev., N°. 1344. sign. (e) abstergat: Mart.

(f) colorem: edit. Mart.

(g) atque videri penitus &c., omissis verbis: in Dei: ibid.

CAPUT CCXV.

De cometis, qui apparuerunt.

Ante obitum reverendi patris domini Boemundi praedicti, anno eodem praecedente, apparuit cometa circa horam noctis tertiam, duodecim noctibus continuis, radium aculei sui directum (a) habens a plaga septentrionali versus urbem Trevirlcam; quasi capitales dissensiones indicans, sicut etiam rei exitus comprobavit. Nam multae tribulationes post mortem domini Boemundi hanc urbem invaserunt. Defuncto autem dicto patre, in instanti tunc (b) nocte Natalis Domini (c), paulo post noctem mediam, tenebrarum (d) densitas insolita caligine cuncta poli (e) sidera obfuscabat, ac pruina nebulosa nimis superficiem terrae mirabiliter obumbrabat. In ipsis tenebris apparuit cometa, in modum phoebes (f) distenta, quasi dependens in aëre, ardenti rubore perfusa, quae post momentum horae disparuit, et iterum interjecto modico intervallo, duae cometae apparuerunt simul ab invicem modicum disjunctae, quantitatem et ardorem prioris repraesentantes; sed illico disparuerunt. Tertia vice post horam brevissimam apparuit una per se praetendens per omnia formam et colorem priorum, quae etiam illico evanuit: cujus rei conjectura non latuit efficaciter intuentem.

CAPUT CCXVI.

Comes Luzzelenburgensis obsedit urbem Treviremsem.

Post obitum domini Boemundi praescripti, aestate proxima sequente, videlicet (g) anno Domini MCCC., incommoda plurima Trevirensibus incumbebant. In vigilia (h) enim beatae Mariae Magdalenae Henricus (i), comes Lutzelenburgensis (k), cum electa militia et ingenti

---

(a) Mart. et Honth. omiserunt: directum. (b) Ibid.: in instanti tamen &c.
(c) Ibid.: Christi. (d) Ibid.: tenebrarumque. (e) Ibid.: coeli.
(f) phebis: cod. Trev., N°. 1344. sign.
(g) Ap. Mart. et Honth.: sequenti, scilicet. (h) Nonnulli codd.: in profesto.
(i) Henricus IV., Blondelli filius.
(k) Al.: Lutzellinburgensis, Luczenburgensis, de Luczellinburch.

multitudine armatorum, vallem Trevericam intravit, seductus in opinionem, quod civitatem Trevirensem vi vel dolo posset subjugare. Castra fixit juxta villam, quae Urium (a) nuncupatur, non longe a civitate Trevirensi sita (b), domos et curtes incendens, cuncta subvertens, fructus terrae conculcans et depascens, ligna fructifera et vineas abscidens.

Populus vero Trevericus non exiens ad campale praelium, transitus viarum ultra pontem potenter observabat. Comes autem, quia ultra procedere non valebat, cum diebus aliquot stetisset in eodem loco, retrocessit, et juxta villam, quae Merzelich dicitur, flumen Mosellae transvadavit, aliquibus de suis submersis ibidem; hinc (c) secessit juxta villam, quae Kunz (d) nominatur, omnia in circuitu depopulans et devastans, turremque supra pontem ad terram projiciens (e). Deinde appropians civitati castra sua locavit in campo spatioso, juxta villam sanctae Crucis (f), et iterum in abscisiones arborum et vinearum crudeliter exarsit, ipsam villam sanctae Crucis, et omnia torcularia in circuitu et in ripa Olevie (g), juxta Montem-novum sita, incendio devastavit.

Die autem duodecima adventus sui, scilicet in die sancti Petri ad vincula, cum ulterius progredi proponeret ad exterminationes innocentum; Dominus, qui cuncta disponit, Sanctorum conculcationem amplius non ferens, in sequentis noctis tenebris, dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, suborta est in exercitu comitis gravis dissensio. Omnes repente ruerunt in arma, et acriter praeliantes mutuo se occiderunt, non paucis prostratis et vulneratis; unde ceteri (h) territi et stupefacti statim (i) moverunt castra. Terruerat enim eos Dominus, qui terruit Benedab (k) regem Syriae, dum Samariam obsedit, dissensionem magnam mittens

(a) Hodie Euren prope urbem Trev.
(b) sita, i. e. castra. Mart. et Honth.: sitam.
(c) hinc: deest in impressis.
(d) Hodie Conz prope ostium Saravi in Mosellam.
(e) Ap. Mart. et Honth. haec verba desiderantur: turremque supra pontem &c.
(f) Ubi tempore Romanorum Circus extiterat, quem Eumenius dicit Romano aemulum (in orat. paneg. ad Constantinum M. cap. XXII. anno 310. dicta.).
(g) Male legit Mart.: Cleviae.
(h) In edd. non legitur: unde ceteri.
(i) Ibid. deest: statim.
(k) Al.: Benadap.

super eos. Nam beatus Mathias Apostolus et sancti Martyres Trevirenses bellaverunt invisibiliter contra eos, et, ut Debbora (a) cecinit, stellae pugnaverunt contra Sysaram (b); et sicut legitur secundo Machabaeorum (c): quinque viri apparuerunt de coelo in equis albis, qui in adversarios tela et fulmina jaciebant.

Deinde sine mora unusquisque rediit ad propria, mente consternata: nusquam tamen post se virtuosae militiae vestigia reliquerunt, nisi tantum, quod cum arboribus, vineis et plantis ac rebus insensibilibus cottidianum bellum (d) inierunt. Quid enim mali egerunt pauperes Christi, religiosi, remoti et vicini monachi et moniales, quorum victum et vestitum abstulit saeva manus, bona eorum crudeliter invadendo.

Non est honor, neque decus armatae militiae, inermes invadere, et elemosynas eorum discerpere, quas Christi fideles quondam pro suis delictis redimendis (e), religiosis pro Christi nomine humiliter obtulerunt. Cives Treviriei hanc laesionem vix sentiunt; sed Christi pauperes et ecclesiastici viri haec (f) flagella graviter (g) pertulerunt. Sed heu! ut dicit Augustinus, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Inhumanum est enim valde, quod filius tam adultus nequaquam recognoscit ubera suae matris, cujus lacte pascitur abundanter, et sub cujus umbra vivit, pausat dulciter et quiescit; sed sanguinem eliciens eam nititur suffocare. Non est verisimile, quod tanta vesania ex nobili corde radicem produxerit; sed favor populi et adulatorum detractio trahit locum a potentia vel a voluntate: nam urbs vel gens Trevirica non est adeo debilitata in viris et viribus, quod se gratis permittat cujuscumque (h) calcaribus perurgeri. Sed dolet prostrata nobilis et sancta Treviris ecclesia metropolitana, quae septuaginta et duas matrices ecclesias cum suis appendiciis advocatiae filii sui comitis subdidit, ut se pro jure suae matris defendendo se murum defensionis opponeret ex adverso. Nunc autem erectus

(a) Al.: Delbora, Delbera. (b) Al.: Cysaram, Cyriam.
(c) Mart. et Honth.: in epistola Machabaei. (d) Ibid.: certamen.
(e) Ibid. deest: redimendis. (f) Ibid. deest: haec.
(g) Ibid. additur: pariter graviter. (h) In edd.: cujusque.

adversus eam, tanti beneficii ingratus, honorem debitum non rependit eidem. Revertere! revertere! et attendens cogita, quod ad radicem arboris posita sit securis (a). Ecce judex ante januam stat, judicans et quaerens judicium, et velociter reddens quod justum est; et quid de te sit futurum, penitus ignoras.

Causa hujus dissensionis ipsius comitis contra cives Trevirenses (b) fuit haec. Comes aedificare coepit quoddam castrum in quadam insula fluminis Mosellae, juxta villam dictam Machram (c), ponens ibi thelonarios et praedones, qui indifferenter religiosos et peregrinos, mercatores et alios quoscunque per alveum Mosellae navigantes, timore Dei postposito, sine misericordia spoliabant. Quam injuriam cives Trevirenses sustinere diutius non valentes (d), inchoatum castrum et opus diabolicum in manu forti flamma et igne aggressi sunt, nec lapidem super lapidem, nec lignum super lignum reliquerunt. Haec causa dictum comitem ad tantum flagitium exercendum medullitus incitavit (e). Sed quod in his omnibus laudabile et mirabile, ac donum Dei praecipue fore creditur, manus Trevirorum ab effusione sanguinis inimicorum Dominus conservavit innoxias; tamen (f) curtes, villas et domos plurimas in comitatu Lutzelenburgensi potenter incendiis devastarunt, et praedam multam abigerunt, captivosque plures in Treviris vinculis detinebant (g).

(a) In edd. haec verborum constructio minus bona legitur: quod ad radicem posita sit arboris securis.

(b) Ibid. omittitur: ipsius comitis contra cives Trevirenses.

(c) Etiam dicta: Comitis-Machera, idiomate vulgari Grevenmachren, in territorio Luxemburgensi ad sinistram Mosellae ripam.

(d) In edd.: diutius ferre.

(e) Ibid. legitur: medullitus exercendum excitavit.

(f) Ibid.: tantum.

(g) Cod. ms. Trev., N°. 1291. sign., s. t. Collecta ex historiis Luxemburgensibus, notat: Anno 1302., 2. Aprilis, inter Comitem et cives Trevirenses pacem esse initam, et Henricum, Luxemburgi Comitem, Treviris civitate donatum esse. Diploma hujus conventionis legitur Gallica lingua scriptum ap. Bertholet (Histoire de Luxemb. V. p. LXXXV.) et in Honthemii Hist. Trev. dipl. (II. p. 15. sq.), latine, sed minus accurate translatum in Kyriandri Commentario, et ap. Lunig (Spicil. eccles. Cont. I. p. 831.). — Bertholet authenticam conventionem e Luxemburgensi archivo extraxit.

Utitur et hoc argumento Kyriander ad probandam urbis ab Archiepiscopi potestate

CAPUT CCXVII.

De anno Jubilaeo.

Eodem videlicet anno Domini MCCC. fuit annus Jubilaeus, et a cunctis orbis angulis utriusque sexus homines infiniti Romam catervatim pro suorum absolutione peccaminum (a) devotissime properabant. Quorum devotionis affectum et laborum pericula dominus Bonifacius (b) papa intuens, paterna pietate omnes sanctorum Petri et Pauli Apostolorum limina visitantes, et vere confessos et contritos, misericorditer absolvit a poena et a culpa, secundum formam infra scriptam.

Rescriptum domini papae de anno Jubilaeo.

„Bonifacius episcopus, servus servorum Dei. Ad certitudinem „praesentium, et memoriam futurorum.

„Antiquorum habet fida relatio &c. &c. (*)

Declaratio dicti rescripti.

„Universis Christi fidelibus, praesentibus et futuris, Silvester do-

---

libertatem. Alii vero scriptores (Conf. Honthemii notas l. c.) hac de re disputant in hunc modum: Magerus (de Advocatia arm. c. V. n. 522.) ad clientelare foedus hanc nostram conventionem refert. Boeclerus (Notit. Imp. Lib. XV. c. 3. n. 4.) ad jus advocatiae cum Pfalburgeratu conjunctum. Tandem Datt (De pace publ. Lib. I. c. 14.) Henricum Luxemburgicum in numero civium forensium, qui Usbürger dicuntur, recenset. Discrimen inter Pfalburgeros et Usburgeros explicat Wencker (Dissert. de Pfalburgeris §. 7., 13. &c. —

Vid. additamenta ad hoc cap. ad calcem voluminis.

Alia folia Trev. mss. hoc factum breviter sic exhibent: „Henricus Comes Luxel-„burgensis conatur obsidere Treviros; sed cum clade suorum repulsus paciscitur foe-„dus perpetuum, et annuam pensionem quadringentorum aureorum ci-„vitati imponit (†). Archiep. Dietherus contra illud foedus excipit; civitas au-„tem se illi opponit, propugnando suam democratiam, donec, per certa pacta et con-„venta vitalitia Principis, tumultus componitur — indulto civibus magistratu „proconsulum et scabinorum.“ — Conf. quae referimus ad cap. 228. in fine.

(†) „Trois cens livres de Trevisiens en la monnoie de Treves“: sic in charta authentica.

(a) Mart. et Honth.: peccatorum. (b) Ibid. deest: Bonifacius.

(*) Vide Corpus Juris Canonici (Extravag. commun. Lib. V. tit. 9. de poenitentiis et remissionibus, cap. 1.).

„mini papae scriptor veram pacem corporum et salutem perpetuam „animarum.

„Miranda &c. &c. (*)

CAPUT CCXVIII.

[Hic sequi deberent Gesta Dietheri (ab anno 1300. ad annum 1307.), Trevirensis Archiepiscopi; sed hujus res gestae peculialiter scriptis traditae non extant. Eas strictius refert auctor coaevus in capite primo vitae Balduini.]

Incipiunt Gesta venerabilis domini Baldewini (a) *de Luczenburch, Trevirensis archiepiscopi* (b).

BEATA (c) consideratione considerans (d), dies antiquos gloriosorum gestorum magnificorum virorum in curiositate scriptorum immemorabiliter (e), proh dolor! praeteriri (f):

ANIMADVERSIONE disceptavi, annos aeternos retributionis praemiorum laborum singulorum hic operatorum, post hanc vitam unumquemque pro mercede reperire.

(*) In hoc edicto (Dat. Romae ad S. Petrum, VIII. Cal. Martii) Bonifacius Pontifex Jubileum annum saecularem primum instituit, veteris Jubilei a Judaeis instituti recordatione, et edicit, ut anno quoque centesimo celebritas ea reparetur.

Conf. Raynaldum (Annal. eccles. ad annum 1300.).

(a) Balduini.

(b) In cod. Paris. additur: „et Henrici imperatoris, germani sui de Luczenburch."

(c) Auctor sic singulas (undecim) mirae praefationis suae periodos, et capitula trium librorum disposuit, ut ex primis cujusque verbi literis acrostichen componat hujusmodi:

Baldewinus de Luzzelinburch Archiepiscopus Trevirorum.

Nonnulli codd. mss., et edd. Baluzii, Reuberi nostrique Honthemii hanc acrostichen repraesentare neglexerunt.

Haec gesta scripta sunt ab auctore sane nobis ignoto, sed coaetaneo, adeoque plurimi faciendo, quem e familiaribus hujus celeberrimi Archiepiscopi fuisse, haud ambigimus, eo quod in proloquio operis testetur, se multorum, quae de Balduino scribit, oculatum testem fuisse.

Sequimur prae aliis lectionem codicum mss. Trev., Eberh. Clus. et St.-Maximini.

(d) cogitavi: cod. Paris. cum edd. Baluz. et Reub.

(e) immemorialiter: ibid. (f) praeterire: ibid.

AUDES igitur rerum gestarum digne recolendarum sub modio non ponantur, nec offuscato ignorantiae nubilo aliqualiter involvantur.

ICENDO (a) cum Propheta, m e m o r e r o m i r a b i l i u m t u o r u m, et sub lingua mea exultabo, et mire miranda mirabilia tua, prout potero, narrabo.

I ergo, qui est fons et origo omnium bonorum, ad honorem, ut ipse in suis creaturis glorificetur, sunt temporum gesta vivae memoriae jugiter commendanda.

IVAE quia (b) memoriae res gestae tunc aliqualiter donantur, cum literali descriptioni commendantur, ut in eis posteri emendentur, et gloriosa antecessorum gesta provide imitentur.

OCIS enim viva locutio velut umbra dinoscitur more defluentis aquae pertransire, et sicut fumus in aërem dispersus evanescens non solet revenire;

UBILOQUE sicut cum armonico quotienscumque chordae tanguntur (c), totiens auscultantium corda jocundantur: sic gloriosa magnatorum gesta, literali descriptioni tradita, quotienscumque recitantur, totiens probi et discreti virtutum hauriendo exemplaria laetificati meliorantur.

UNC sicut videmus, quod (d) omnipotens Deus non solum verbo tenus Moysi legem tradere, sed digito suo tabulae insculptam lapideae, ut semper ejus jugis et viva perseveret memoria, dignatus est ministrare.

OLO igitur, prout se facultas offert meae parvitatis (e), non tumescentis laudis adulatione, sed humilis mentis imo (f) audacissima praesumtione magnifica gesta gloriosi principis, almi Galliae et Germaniae primatis venerabilisque patris et domini B a l d e w i n i d e L u z z e l i n b u r c h, Trevirorum archiepiscopi, scriptis commendare; sed cum non sufficiam, scriptorum vernula fiam (g).

(a) Ibid. haec verba sunt omissa: D i c e n d o &c. (b) Ibid.: q u i a, deest.

(c) Ibid.: „cum a r o m a t o quotienscumque c o r d e tanguntur", quae verba nullum referunt sensum, et male concordant cum sequentibus.

(d) Ibid. deest: q u o d. (e) Ibid.: o f f e r e t m e a e p a r v i t a t i.

(f) Ibid.: i n i m o. (g) Ibid.: sed quod &c. — Edit. Mart.: s c r i p t o r i s.

SCRIBERE igitur incipiam, inprimis capitulorum ponendo distinctiones, et postea eorum prosecutiones, quae per eum gesta sunt, et quae eorum temporibus evenerunt, quae vidi, et quae veridica proborum et discretorum relatione famaque generali voluntate audivi, ponere non omittam. Invoco ergo adjutorium patris luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendens est in corde hominum, ut mihi Spiritum sanctum mittat in adjutorium, et hoc opusculum, immo mihi opus permaximum, Domino nostro Jesu-Christo ad honorem, et reverendo domino Baldewino archiepiscopo ad favorem, omnibusque posteris ad exemplar utilitatis valeam inchoare, pertractare et fine optimo consummare. Hoc mihi dignetur praestare Deus Trinus et Unus.

Incipiunt Capitula.

Liber primus.

Liber secundus.

CONSTANTIAE — De Henrici regis consecratione et coronatione.

HONORANDAE. De Coloniae secunda visitatione (a).

DUCTOR — De nundinis per dominum Baldewinum a rege impetratis, et ejus recessu.

REGUM. De Johanne Henrici regis nato in regem Bohemiae creato.

CUSTODIA — De Adulphi et Alberti Romanorum regum, suorum antecessorum, per Henricum regem facta translatione.

HUMILIUM. De domini de Wirtinberch expugnatione (b).

JUSTITIA — De viae Lumbardiae arreptione (c).

EPISCOPORUM. De obitu comitis de Sarwerden, et Alpium transcensione.

PERSECUTOR — De triumpho, et Mediolano obtento, et ejus ibidem secundae coronae receptione.

IMPIORUM. De privilegio Trevirensis ecclesiae per Baldewinum ibidem impetrato, et subcancellarii concrematione.

SOLLICITUDO — De justitia domini Theobaldi Brusach (d) facta, et Brixiensis civitatis expugnatione.

CAUSARUM — De obitu reginae, introitu Romae, et cellae quatuor coronatorum per Baldewinum facta inhabitatione.

OMNIUM. De Capitolii, triginta turrium, et monasterii Minorum violenta expugnatione.

PASTOR — De multorum castellorum et castrorum expugnatione et praelio in Lantsise (e), et Florentinorum obsidione.

VERUS — De castelli S. Mariae Novellae per dominum Baldewinum facta violenta expugnatione, et repatriatione.

SUBDITORUM. De imperatoris obdormitione (f).

(a) Hic titulus desideratur in cod. Paris., et in edd. Baluzii et Reuberi.

(b) Edit. Mart. male habet: *expurgatione*.

(c) Cod. Paris. et edd. Baluzii et Reuberi legunt: de *Lombardiae itineris*.

(d) Ibid.: de *Theolaldis*. — Al.: *Thebaldi de Brusiacis*.

(e) Al.: *Lantsisi*, *Lantfyse*.

(f) Ap. Baluz. et Reub. hic titulus omittitur.

Liber tertius.

EMPERANTIA — Prologus libri tertii.

ANCORIS — De Ludovici (a) regis per Baldewinum procurata electione et coronatione.

ORUM — De Johannis regis obsessi per Baldewinum facta liberatione.

ITAE — De pacis terrae conspiratione, Bruel prope Coloniam (b) obsidione, et in manus domini Baldewini donatione.

TERNAE — De Moguntinensis ecclesiae prima vice domino Baldewino facta commissione; Crucenache, Kestelun obsidione, et Baldensteyn fundatione.

ECIPERE — De Friderico duce capto per Johannem regem Bohemiae, et Furstenberch obsidione.

MEN. De Boppardiae expugnatione, S. Wendelini emtione, et ecclesiae Moguntinensis domino Baldewino facta secunda commissione.

OGATUR — De fundo Carthusiensium emto et Baldenelez fundatione (c).

OCE — De monasterii Carthusiensium consecratione, castri montis (d) S. Johannis constructione, dominii in Limpurch emtione.

UTORUM — De Vermich et dominii de Coverna emtione, et de Solmecze (e) destructione.

MEN. De Monckeler, Lyesheym (f), Hosolmecze (g), Elkerusen destructione (h), et domini Baldewini obdormitione.

(a) Ibid. male: Ludolfi.
(b) Ibid.: Brul; deest: prope Coloniam.
(c) Hic titulus desideratur ibid.
(d) Ibid.: monasterii S. Johannis.
(e) Ibid.: Solinze.
(f) Ibid.: Leysheim.
(g) Ibid.: Hoselebach, Sasroch.
(h) Ibid.: Elkershusen. — Additur hic: Dune in Syflia (Eiflia) et Triis acquisitione.

CAPUT CCXIX.

Gesta Baldewini.

Liber primus.

Cap. 1. De vita et morte antecessoris.

Dignus a dignis dignissime laudatur, licet ab invidis laudis generositate inaniter destituatur. Dicendae ergo laudis gratia libet (a) parumper ad superiora ascendere, ut hujus materiae valeam intellectum exprimere planiorem (b).

Anno Dominicae incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, in die beatorum Processi et Martiniani (c) martyrum, prope monasterium dictum Monsterdreyse (d) ordinis Praemonstratensis, Albertus dux Austriae Adolphum de Nassawe (e), Romanorum regem, saeviter occidit congressione praeliali, seseque in regno intromisit, quod firmiter credidit gladio obtinuisse triumphali. Verumtamen procuravit ab electoribus se in Romanorum regem electionis jure sublimari, et Aquisgrani solemniter coronari. Contra quem summus tunc pontifex dominus Bonifacius VIII., eo quod uxor ejus esset de viperali (f) genimine seminis Frederici, aliisque multis de causis, rigidas exercendo sententias publicissime fulminavit (g), et defuncto tunc venerabili patre, domino Bohemundo (h), dominum Dytherum, defuncti regis Adolphi germanum, causa Alberti vesaniae (i) resistendi, in Trevirorum archiepiscopum, non postulatum, nec ab aliqua parte capituli electum, celeriter sublimavit. Capitulum tamen

---

(a) Edit. Mart. et aliae legunt: licet.

(b) Tota haec periodus desideratur ap. Honth.

(c) Edd. Mart. et Honth.: Martiani. Notat ad marginem scriptor cod. Eberh. Clus.: „quae nunc agitur in festo visitationis beatae Mariae Virginis."

(d) Munster Dreyse: cod. Lind. — Conf. cap. 205. et not. e.

(e) Al.: Nassava.

(f) Edit. Mart. et aliae legunt: viperiali.

(g) Ibid.: rigidas exercere sententias publicissime sublimavit &c., sed omnino male.

(h) Ibid. omissa sunt: et defuncto venerabili patre &c.

(i) Ibid.: causa ejus vesaniae &c. — „In odium Regis Alberti a Bonifacio Papa „VIII. fuit substitutus, ordinatus, et ad Trevirim missus." (Trith. Chron. Sponh.)

elegerat Henricum de Virnenburch, cui major pars subditorum ecclesiae jam obediebat. Dytherus igitur, a summo pontifice archiepiscopus Treverensis ordinatus (a), statim ecclesiae suae terras plurimas et redditus pignorali cautione et literali obligatione, constangiis gravibus damnisque datas impignoratasque, permaxima debita contraxit (*), de quibus parum dicitur persolvisse; et cum in honore esset, non intellexit, viriliterque contra Albertum regem Romanorum restitit, et etiam contra Confluentinos (b) sibi rebellantes: universum etiam suae diocesis clerum contra se ipsum in inimicitias tumide provocavit (c). Unde concors caterva clericalis ipsum ad praesentiam domini Clementis (d), tunc summi pontificis, dura de eo querimonia facta, vocari propria in persona provide (e) procuravit. Qui, citationis termino imminente, de carnis ergastulo quantocius migravit anno Domini MCCCVII. vicesima tertia die mensis Novembris (f), ecclesiam suam non modice disturbatam debitisque gravatam, dilapidatam, impignoratam dissipatamque relinquendo: ita ut ipsa ab imo cordis suspiria

---

(a) Ibid. omissa sunt: Dytherus igitur &c.

(*) Ex codice quodam ms., cui titulus: Jura et institutiones Trevericae civitatis &c., cujus scriptor erat Henr. Leyn... h (anno 1460.), hocce loco sequentia adjicimus: „Nota quod tempore Dietheri archiepiscopi Trev., qui construxit „castrum Ruymstein“ (Ramstein?), „quaestio suborta fuit inter eundem archiep. „ex una, et dominum de Pittingen ex altera parte — quod idem dom. de Pittin„gen dictum castrum super bonis suis Advocatiae, praeter suum assensum, construc„tum asseruit — domino archiepiscopo respondente: quod ipsum castrum aedificatum „foret in bonis pertinentibus ad archiepiscopum Trev., liberum et speciale dominium, „dictum vulgariter des Bißthumbs fryefelgut.“ —

(b) Ibid.: Confluentes. Vid. instrumentum reconciliationis inter Dietherum et Confluentinos signatum 20. Junii 1304. (Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 25.) Adde chartas 24. Maji 1281. et 1. Oct. 1283. (Ibid. I. p. 814. et 819.)

(c) Edd. Mart. et Honth.: ad inimicitias; edd. Bal. et Reub. omittunt ad vel in.

(d) Clementis V., qui anno 1305. sedem Pontificiam Avenionem transtulit.

(e) provide: deest ap. Mart. et Honth.

(f) In codd. Trev., N°. 1434. et 1462. sign., additur ad marginem: „quem Praedicato„res, quia frater ordinis erat, juxta suum summum altare tumulaverunt.“ — Conf. cod. dipl. Rheno-Mosell. III. p. 121.

Brow. (l. c. p. 184.) Dietheri epitaphium refert in hunc modum: „Hic jacet do„minus Dietherus de Nassovia, germanus domini Adolphi regis Romanorum, quon„dam archiepiscopus Trevirensis, ordinis fratrum Praedicatorum, Magister in Theo„logia, qui obiit anno M. CCC. VII. in crastino beati Clementis papae et martyris.“

trahens (a) possit cum Propheta flebiliter clamare: Dedisti me tanquam oves escarum, et sine pretio vendidisti, et obligando me multipliciter dispersisti (b).

CAPUT CCXX.

Cap. 2. De Baldewini postulatione.

Ecclesiae ergo suae Trevericae Deus totius consolationis gemitus et suspiria, parva mora protracta, brevissime terminavit divino munere bonitatis. Nam anno Domini MCCCVII. die septima mensis Decembris, capitulo Trevirensi coadunato, et ad futurum praesulem eligendum, vocatis omnibus vocandis, congregato, a majori et saniori parte capituli venerabilis dominus Baldewinus de Lutzelinburch, praepositus et canonicus majoris ecclesiae Trevirensis (c), adhuc ipso Parisiensi studio fideliter mancipato, anno aetatis suae (d) XXII. (e), in gaudium et laetitiam totius cleri et populi, divina cooperante gratia, in Trevirorum erat archiepiscopum solemniter postulatus. Hinc ovat clerus altisonis vocibus psallens: Te Deum laudamus. Hinc fit cunctarum compulsatio campanarum, concursus populorum catervatim congregatorum; sic ut ipsa ecclesia jocunde possit canere cum

---

(a) Ap. Mart. et Honth. omittitur: trahens.

(b) Cod. ms. Trev., N°. 1346. sign., sub titulo: Series episcop. Trevirensium, de Diethero haec profert: „Dietherus hoc habet laudis, quod etiam jam archiepis„copus non deposuerat memoriam religionis, quam professus semel fuerat; literis „enim a se datis ita scribit perpetuo: Nos frater Dietherus Dei gratia sanctae „Trevirensis ecclesiae archiepiscopus." — Interim Trithemii extat hoc de illo judicium: „hominem nimium inquietum fuisse et bellicosum."

(c) Edd. praefatae: dictae ecclesiae.

(d) Ibid.: nativitatis ejus.

(e) Ita fere omnes codices mss.; at ille, N°. 1462. sign., annos ei viginti tres tribuit, sic et Browerus. Cod. supra memoratus, continens seriem episc. Trevir., Baldewinum natum dicit anno 1286., et finaliter electum in Trevirorum archiepiscopum anno 1308., die septima Januarii. Retinenda ergo videtur lectio nostra. — Episcopatui Treverico Balduinum, jam ante obitum Dietheri, fuisse destinatum, satis innuit Joannes Hocsemius, qui tunc vixit: cum ad annum MCCCV. Henricum Lutzelburgensem, postmodum Imperatorem, in curia Clementis Papae se vidisse scribit, magnifice se gerentem, et fratri quidem tunc impetrasse futuram Archiepiscopatus dignitatem. (Brow. Annales ad annum 1308.)

Psalmista: **Saccum meum conscidisti, et me misericorditer circumdedisti multiplicata laetitia salutari.**

CAPUT CCXXI.

Cap. 3. De ejus confirmatione.

Lumen a luminis flamma incenditur. Sic a jure electionis, vel a postulatione electus confirmatur. Unde praedicta postulatio electionis (a) per solemnes nuntios procuratoresque eximios Pictavum (b) extitit delata, et sanctissimo patri et domino Clementi papae publice intimata. Quam quidem postulationem ipse summus pontifex, inquisitionem faciens condecentem, tam de persona postulata, quam de postulantum conversatione et vita, parte adversantium frivola appellata totaliterque cassata, benigne approbavit, et de minoritate annorum secum etiam dispensando, ipsum fore admittendum, suo cum cardinalibus praesidens consistorio, in propatulo publicavit, et more consueto ipsum admittendo sententialiter confirmavit.

CAPUT CCXXII.

Cap. 4. De ejus consecratione.

Veritatis igitur fama ejus approbationis Parisius sibi revelata, ipse Baldewinus confirmatus una cum domino Henrico (c) et fratribus ejus germanis Pictavum veniens, summo se pontifici laetanter praesentavit. Quem ipse (d) gratanter recepit amicabiliter (e) salutando. Et anno Domini millesimo trecentesimo octavo (f), sexto Idus Martii, ipse

---

(a) In cod. Paris., et in edd. Baluz. et Reub. desiderantur haec verba: „vel a postul. „elect. confir. Unde praed. post. elect.“

(b) Ibid. et ap. Mart. et Honth.: **Pictavium**. Pictavum, seu civitas Pictavorum vulgo **Poitiers** dicitur:

(c) In cod. Paris. et in edd. Baluz. et Reub.: Henrico **et vulgariter** fratribus &c., quod, ut Martene recte dicit, redundat.

(d) Ibid.: **quod** ipse; male.

(e) Ap. Mart. et Honth.: **et** amicabiliter &c.

(f) Ibid. et in ceteris edd. legitur MCCCVII., sed additur: „more Trevirico scribi con„sueto“; quo scilicet veteri more et instituto annus a die Martii 25. incipiebat. Hic

dominus Clemens papa V., per cardinalem in Pictaviensi ecclesia, dictum dominum Baldewinum in presbyterum ordinavit, et die sequenti, cum pluribus aliis archiepiscopis et episcopis, in Trevirorum archiepiscopum divinitus consecravit. Ipse vero dominus Baldewinus cum fratribus suis (a) multisque aliis, cardinalibus et amicis, diversis curiarum solemnitatibus habitis, papae (b) valedicens, cum suis ad propria est reversus. In qua tamen reversione, in litera sibi a domino Petro Moguntinensi archiepiscopo destinata (c), intellexit dominum Albertum Romanorum regem humanae conditionis debitum persolvisse. Nam ab ejus cognato, Johanne duce videlicet, fratris sui filio, cui quia ipse Albertus ad instinctum suae uxoris reginae, volentis hereditare filios suos ducatum Austriae, postquam dictus Albertus occiderat Adolphum regem, violenter suum patrimonium, videlicet ducatum Austriae, recepit et detinuit, esse dinoscitur interemtus. Et illud Evangelicum fuit adimpletum in hoc casu: **Mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.**

CAPUT CCXXIII.

Cap. 5. De ejus receptione.

Zona tranquillitatis, pacis et concordiae totius patriae aliquamdiu sub antecessore non modicum extitit dilaniata, et cleri caterva de nimia

---

mos, de quo jam in Gestorum volumine primo sermo erat, et quo Gestorum scriptores quandoque usi sunt, Trevirieis scribis et notariis in describendis chartis saeculo adhuc decimo septimo adhaerebat. Hinc in chartarum fine ordinarie notatum legimus: „more Trevirensi“ — aut „secundum stylum ecclesiae Trevirensis“ — „secundum „stylum scribendi in nostris civitate et diocesi Trevirensi“ — aut simpliciter, „se„cundum stylum.“ — — In charta quadam de 28. Febr. 1138. ap. Rymer (Foedera Angliae &c.) legimus: „Secundum stylum et consuetudinem Ecclesiae Anglicanae „et Provinciae Trevirensis.“

(a) Nonnullae edd.: „Ipse vero dominus cum fratribus &c.“; aliae: „Ipse vero dictis „cum fratribus.

(b) Ibid.: papam.

(c) In cod. ms. Trev., N°. 1462. sign., haec legimus: „Albertus Johanni fratris filio „saepius repetenti suum patrimonium, Austriae ducatum (†), quem diu jure tutorio „tenuerat, instinctu uxoris eo suos hereditare filios praemeditantis, reddere denega-

(†) Accuratius: Sueviae Ducatum

rancoris materia multipliciter perturbata. Sed misericors et miserator Dominus, de excelso throno suo prospiciens, ecclesiae suae durissimas et lacrymosas oppressiones servituti Babylonicae digne comparatas, per dictum Baldewinum, pacem et concordiam reformando, misericorditer relevavit. Nam dictus Baldewinus in primo suo adventu (a) laetissimo totam per diocesim cunctis suis officiatis et judicibus districte praecipiendo (b) mandavit, ut in cunctis suis territoriis, tam advenis quam incolis, non per tyrannicum rigorem, sed per incutiendum timorem, universos pacem servare unanimiter coarctarent, si ejus gratiam servare et indignationem (c) cuperent evitare. Et sic in amoenitate pacis et concordiae anno Domini millesimo tricentesimo octavo, in die sancto Pentecostes, cum multorum procerum proborum caterva non modica, velut zelotypus sponsam suam visitando, Trevirim est ingressus. Hic fit concursus populorum (d), coadunatio clericorum, voce tanquam praesaga canentium (e): Cives Apostolorum pacem portaverunt, patriamque illuminantes hodie advenerunt; et sic eum lactantissime receperunt, et suam in ecclesiam processionaliter adduxerunt, praesente matre sua, fratribus, sorore, et multis spectabilibus viris: ubi (f) eodem die missarum solemnia solemniter (g) celebravit; curiam solemnem faciens et sumtuosam, cunctos advenientes lautissime procuravit; a nobilibus et subditis huldas (h) et subjectiones debitas acceptavit, et feodalia feodalibus in feoda condonavit, cunctaque antecessoris sui debita persolvit; dissipata et obligata omnimode satisfaciens, ad jus et proprietatem suae ecclesiae viriliter revocavit.

„vit. Tandem cognatus cum rege avunculo cum paucis suis navigio transfretando, „aliis adhuc in alio littore existentibus, gladio perforando regem avunculum interfe„cit.“ (Kal. Maji 1308.)

(a) Edd.: ejus in primo adventu.

(b) Ibid. deest: praecipiendo. (c) Ibid.: indignationis rubiginem.

(d) Quidam codd.: plurimorum.

(e) Edd. et cod. Paris.: „voce tanquam praesaga cives Apostol. &c.“; deest: canentium. — Cod. Lind. habet: praestiga.

(f) Ap. Baluz. et Reub. deest: ubi.

(g) In cod. Lind. et ap. Mart. et Honth. deest: solemniter.

(h) Huldae, i. e. fidelis obsequii seu fidei sacramenta.

CAPUT CCXXIV.

Cap. 6. De ejus genealogia et obitu patris.

Zeli scribendae historiae est parumper ad superiora ascendere, ut ejus seriem clariori luce valeam pertractare.

Anno igitur Dominicae incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo quinto (a), nobilibus de parentibus, Henrico comite de Luczelinburch patre, et domina Beatrice de Bellomonte in Hannonia matre, dominus Baldewinus nobiliter (b) extitit natus. Avus ejus eodem nomine Henricus, dictus Blondel (c), gloriosi domini ducis Walrami, ducis Limburgensis, filius noscitur fuisse, qui domini Baldewini protavus scitur publice extitisse (d). Qui ducatus a Coloniensium (e) finibus longe lateque circa Rhenum extenditur, et multas habens munitiones et castra, ultra Mosam protenditur, et feodum Coloniensis archiepiscopi esse in parte perhibetur. Isto Walramo defuncto, Henricus dicti Baldewini avus in patrimonio succedere debuerat paterno; sed dux Brabantiae illum ducatum (f) sibi indebite hodierna die noscitur usurpasse. Isto vero Henrico per mortem (g) de medio facto, Henricus, pater domini Baldewini, in comitatu Luczelinburgensi successit. Eo tempore Colonienses (h) castrum Wornich (i) inter Coloniam et Nussiam situatum quondam, quod prius archiepiscopo (k) ad patriae tuitionem juvamenque (l) construxerant, de quo rapinae erumpebant, amore pacis pro aliqua pecuniae summa ab archiepiscopo, ut illud destrueret, comparaverunt (m). Qui hoc castrum, ad terram

---

(a) Vide notam chronologicam (e) ad cap. 220. Differentia calculi sine dubio solvitur per annum Trevirensem.

(b) Baluz. et Reub.: nobilis.

(c) Mart. et Honth.: Blodel. — Blondus, blundus, i. e. color capillorum flavus.

(d) Baluz., Reub. et cod. Paris. hanc periodum ita corrupte legunt: „Avus ejus eodem „nomine Henricus dictus Blondel Fuille, qui dominum Baldewinum protavus scitur „publice extitisse.“ — Vide animadversionem ad hoc cap.

(e) Edd.: Coloniensibus.

(f) Ibid. deest: ducatum.

(g) Ibid. deest: per mortem.

(h) Ap. Mart. et Honth. omittitur: Colonienses; ap. Baluz. et Reub. legitur: Coloniensis.

(i) Edd. praefatae: Vorinche.

(k) Mart. et Honth.: archiepiscopi.

(l) Ibid. et in ceteris edd.: juvamine.

(m) Ap. Baluz. et Reub. hic plura omissa sunt.

dejiciens, annihilavit, et aliud in fortiori loco ad littus Rheni reaedificavit. Quem cum officiatus suus interrogans, de quo castrum deberet retineri (a), cum annuis careret redditibus, dicitur respondisse: Quatuor viae sunt trans Rhenum situatae. Quod ille audiens, alveum Rheni transmeantes thelonicis exactionibus aggravavit; terra (b) vero transeuntes multipliciter rapinis molestavit. De quo cum archiepiscopus rogatus a Coloniensibus non desisteret, Colonienses dictum castrum obsidione circumsepserunt. Quam obsidionem archiepiscopus solvere cupiens, exercitum permaximum congregavit. Tunc Coloniensibus in adjutorium, quia cives sunt eorum, dux Brabantiae, et comes de Monte celeriter concurrerunt. Qui comes dicto duci partem ducatus Limburgensis se contingentem, pro quadam pecuniae summa, noscitur vendidisse. Econtra Henricus, comes Luczelebargensis, ducem Brabantiae pro dicto ducatu Limburgensi impetens, et ipsius partem a Coloniensi archiepiscopo in feodum recipiens, ducem diffidavit (*), et cum Walramo germano suo aliisque duobus fratribus militibus, obscure tamen natis, in archiepiscopi adjutorium properavit.

Hic discordia discordiae sociatur, et guerra guerrae rigide cumulatur.

Quodam ergo die sabbatino, archiepiscopo praelium inire voluntario, a Coloniensibus mandatur, eos sibi et omnibus ei (c) adhaerentibus per biduum victualia ministraturos, si ob honorem Dei sequentem dominicalem diem, ejusque Genitricis praesentem diem sabbatinum, a praeliis vacando, dignaretur celebrare, maxime cum sua turba dietenus (d) sumeret augmentum, eorum vero nullius speraret auxilii sumere incrementum (e). Quod archiepiscopus accepisset, si comes Henricus non dixisset: H e u! n o n d e b e m u s h o d i e p r o p t e r c l e r i c u m t i m o r o s u m p r a e l i u m i n i r e g l o r i o s u m? Hoc cum archiepiscopus intellexisset, dicitur respondisse: P r o b i o r (f) m e a c l e r i c a t u r a i n c a m p i s, q u a m e j u s m i l i t i a, n o s c i t u r f u i s s e;

(a) In edd.: retine r e. (b) Ibid.: terr a m.
(*) i. e. bellum denuntiavit. (c) In edd. deest: e i.
(d) d i e t e n u s: scribit cod. Lind.
(e) Ibid.: eorum vero n u l l u m s p e r a r e n t s u m e r e incrementum. Minus probata lectio.
(f) In edd. Baluz. et Reub.: P r o b r i o r.

mandans Coloniensibus, ut se praepararent, et inire praelium secum non tardarent.

Hic clangor auditur tubarum, resonantia fistularum, sonus tympanorum, clamor populorum in mortem se praeparantium. Heu, heu! cujuslibet partis acies in tres dividitur turmas (a). Primo, Colonienses, cum archiepiscopo praelium inchoantes, partem deteriorem habuerunt (b). Secundo, Henricus comes cum duce praelium commiscens, duce ad jactum lapidis retropresso, comes visus fuerat praevalere. Tertio, comes de Monte inermibus suis cum rusticis in vulgo Kempen appellatis, in Coloniensium et ducis adjutorium, praelium aggressus, archiepiscopi et Henrici partes infirmavit, separavit, dissipavit totaliter et prostravit.

Heu miserabile spectaculum! Hic captivatur, ille trucidatur, hic morti additus (c) spoliatur, ille in Rhenum fugiens suffocatur, in nemore vero paludinoso submerguntur plures, substantiae rapiuntur, fugae a multis capiuntur (d). Archiepiscopus vero a comite de Monte capitur, et custodiae in Brensbure (e) mancipatur (f). Proh dolor! ibi comes Henricus, miles imperterritus fugere nescius, cum Walramo germano proprio duobusque aliis (g) fratribus praedictis miserabiliter fuit interemtus, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, sabbato, die beati Bonifacii martyris.

Hic ploratus et ululatus de tam parvulis pupillis, Henrico, Walramo et Baldewino; qui Baldewinus tunc temporis nondum tertium aetatis suae annum complevit. Quibus sic patre orbatis (h), quid essent acturi, quoque diversuri, a nonnullis querulose in altum elevatur. Sed illud diffortunium eis in fortunam numen mutavit divinum. Nam Henricus in imperialis dignitatis apicem, ut infra patebit, fuit

---

(a) Edd Baluz. et Reub.: „cujuslibet partis acies ejus dividitur in turmas.“ Mala lectio.
(b) Edd.: habere. (c) Ibid.: addictus.
(d) Ibid.: „substantiae capiuntur, fugae a multis rapiuntur.“
(e) Al.: Breusbure, Bensbure.
(f) Vide quae supra (capite 196.) in textu et in notis dicta sunt. — Adde Teschenmacheri Annales Cliviae, Juliae &c. p. 268. sq.
(g) Edd.: duobus aliisque.
(h) Ibid.: „Baldewino vero nondum trimatus anno completo, patre orbatis.“ Lectio confusa.

elevatus; Baldewinus vero in Trevirorum archiepiscopatus dignitatem extitit sublimatus.

CAPUT CCXXV.

Cap. 7. De ejus physionomia.

Est etiam ejus physionomia ad posterorum utilitatem memoriae commendanda; ad utilitatem, inquam, quia animae sequuntur complexiones corporum, ut posteri ejus complexionem cognoscentes, probabiliter credant, morum et (a) virtutum ejus insignia, quae ponuntur postea, in eo omnimode extitisse.

Fuit enim staturae mediocris (b), caput, sicut sphaeram parumper impressam, formosum habuit et rotundum, capillos capitis et barbae subtiles, in colore citrinos, medios simplices, medios crispos, quae omnia subtilis cerebri subesse indicia (c) referuntur. Anticiput qualibet parte elevatum, quod est bonae apprehensivae (d) signum. Occiput elevatione amplatum, quod bonae memoriae signum esse determinatur. Nasum pulchrum, grossitudine mediocrem, auditum acutum, vocem dulcem habuit et acutam, oculos limpidissimos, a prope aliqualiter sursum videndo acutissimos, sed a remotis videndo Limburgensium more (*) obtusos, aures rotundas habens (e). Bona enim organorum (f) dispositio sensuum perfectionem noscitur denotare. Collum vero ejus in longitudine et brevitate mediocriter dispositum, forte tamen et nervosum. Scapulas largas, brachia et crura fortia (g) et nervosa cum musculis non multum carnosis; pectus amplum et elevatum, dorsum rectum et bene dispositum, cutem albam rubore

---

(a) Ibid.: morum ut.

(b) Baldewinus war ein klein man, thet doch grosse thaten oder werck. Ita Fasti Limpurgenses.

(c) Edd. Bal. et Reub. legunt: cerebri substantiae esse indicia &c.

(d) apprehensionis: Mstum Linden. — Haec pauca craniologiae lineamenta memoratu satis digna sunt.

(*) i. e. quod gentile fuisse putabatur in Comitum Limburgensium et Lutzemburgiorum stirpe.

(e) In edd. omittitur: habens.

(f) Ibid.: Haec bona organorum.

(g) Ibid.: fortiora.

aspersam, carnes molles ingenium bonum repraesentantes; corpus vero totum mediocre, agile et subtile noscitur habuisse: quae omnia prudentiae et fortitudinis signa esse a naturalibus allegantur. Unde si ejus virtutum insignia postea recitantur, nemo miretur, cum per subtilia (a) aurifabri instrumenta opus subtile fabricetur.

CAPUT CCXXVI.

Cap. 8. De ejus pueritia et adolescentia.

Lux irradiationis intellectualis morum et virtutum limpidissimum acquiritur per studium.

Baldewinus igitur, annis infantiae suae lapsis, scholasticae disciplinae magistris, moribus, virtutibus, atque artium literis imbuendus tradebatur: a quibus ipse usque ad annum nativitatis suae decimum tertium, in Hannonia cum matre sua in comitatu Luczelinburgensi existens, suis in puerilibus informabatur, et suos coaetaneos in literatura excellens, quia limpidiori pollebat ingenio, promtior habebatur. Fuit Parisius circa quinquennium, logicam et philosophiam audiendo. Deinde scholas per biennium dimisit, propter guerras inter Francigenas (b) et Flandrenses existentes; quando in Curtray flos Francigenarum occubuit per Flandrenses. Duobus solemnibus cum magistris magnae literaturae viris, camerariis, domicellis, nobilibus, ejus statum condecentibus, Parisiensi studio fuerat destinatus; ubi omnium artium principia terminosque substantiales, studio inhaerendo frequentissimo, memorialiter retinebat, arabicis arithmeticisque figuris scribebat, et astronomiae insudando sphaeram addiscebat. Specialiter tamen juris canonici studiis frequenter insistebat, et in iis usque ad adeptionem

---

(a) Ibid.: subtiliora.

(b) Al.: Francos. — Luipoldus de Babenberg, Baldewini coaevus et familiaris, in suo libro de juribus et translatione Romani Imperii scribit: „Proprie „loquendo Franci Gallici, Francigenae, et non Franci nuncupantur.“ Hujus libri codex ms. in bibl. Trev. asservatur; impressus legitur s. t.: de jure regni et imperii in Schardii collectione variorum authorum, Basileae, 1566. fol. — Scripsit idem Luipoldus librum de zelo christianae religionis veterum principum Germanorum, quem simul imprimi fecit Schardius.

archiepiscopatus (a) noscitur perdurasse, qui fuit annus Dominicae incarnationis millesimus tricentesimus septimus; quo etiam anno in archiepiscopum Trevirensem fuerat postulatus, ut superius sufficienter est expressum.

Nemo ergo existimet, me hic aliqua superflua, tumescentis animi ambitione, posuisse, cum sine eis meram historiae veritatem nequaquam potuissem expressisse. Nunc igitur revertar ad propositum, Deo Trino et Uno gratiarum referendo actiones.

CAPUT CCXXVII.

Cap. 9. De pacis et justitiae observatione.

Lucet ceteris clarius, qui est virtutum floribus moribusque adornatus. Sicut ergo lux solaris tenebrosis interpositis nebulis, quando diescit (b), nequit occultari: sic morum Baldewini (c) virtuosa vita, ut laticescat, a nullis poterit offuscari. Generali enim fama volitante (d) reformator et conservator pacis et justitiae fuisse perhibetur. Nam pacis terrae amicissimus conservator, raptorumque fuit horribilissimus extirpator, quos sua magna cum prudentia subjugavit. Nam plurima castra et fortiora (e), juxta praedonum fortalitia, per quae ipsi jugiter tanquam obsessi habebantur, malis eorum gratibus funditus aedificavit (f), et sic eos ad pacis observantiam, quantumcumque magnos, violenter coartavit. Rem memoriae (g) dignam hic duxi interserendam, ut hic enarratis testimonium adhibeam veritatis. Frederico de Numagen domicello, qui a mercatoribus Mosellae alveum descendentibus, non rapinam sed cautionem, ut asseruit (h), recepit pignoralem (i) sui castri, sub obtentu districtissimo (k) manda-

---

(a) Baluz. et Reub. habent hanc lectionem corruptam: usque adeptionem artus.

(b) Edd.: nubibus, quin diescat.

(c) Ibid.: ejus.

(d) Baluz. et Reub.: voluntante.

(e) Edd.: fortia.

(f) Cod. Trev., N°. 1462. sign., haec habet: „Pacem reformavit; castra fortia juxta „praedonum fortalitia, videlicet: Baldewinstein, Baldewinouwe, Baldewinecke, Ruszimberg, Baldewinelze aedificans."

(g) Mart. et Honth.: Et rem memoria.

(h) Edd.: ut ipse asserit.

(i) Ibid.: pigneralem. Cod. Trev., N°. 1344. sign.: pignora.

(k) Edd.: districtissime.

vit, ne Trevirensem exiret civitatem, in qua tunc erat, nisi conquerentibus cuncta ablata prius restituisset, quod praeceptum celerrimum (a) productum fuit ad effectum. Et sic defensor mercatorum, amator bonorum, exterminator iniquorum rigidissimus (b), in judicio justissimus habebatur. Nam proprium occultae nationis fratrem (c), qui propriam uxorem occulte interfecerat, spe solemnioris obtinendae (d), licet ab archiepiscopo pro fratre esset reputatus, supplicio rotali interimere permisit. Et sic nemini parcendo, cunctos maleficos timore perterritos suis procul a finibus compellebat fugere; unde sicut Salomon, sapiens et pacificus digne potuit (e) appellari.

CAPUT CCXXVIII.

Cap. 10. De ejus vita et conversatione.

Iustitiae pacisque iste conservator, vitae venerandae conversationisque fuerat gloriosae; nam in cibo potuque capiendo moderatissimus habebatur. Omnia statuta jejunia et quamplurima alia saepissime observando, horas canonicas multasque privatas orationes devote orando, castissime vivendo, omni fere (f) die missam celebrando, aliamque audiendo, solitarius otiositatis tempore existendo, studio frequentissime insistendo (g), suae ecclesiae privilegia saepius perlegendo, intelligens otia ministrare vitia, nunquam otio vacavit alieno (h). Cum magnatibus magnifice, cum mediocribus mediocriter, nulli subditorum nimis familiaris existendo, honorifice incessit, sciens nimiam familiaritatem contemtum generare; pauperum causas defendendo, vanis et mulierum spectaculis ludisque illicitis se rarissime immiscendo. Causas subditorum et discordias sedando, et prudenter terminando promtissimus est inventus. Nunquam etiam aliquod negotium dimisit indis-

---

(a) Baluz. et Reub.: celeberrimum, minus bene.
(b) Quidam codd.: rigidissimo. (c) Fratrem obscura matre natum.
(d) Ap. Bal. et Reub. omissa est vox: obtinendae.
(e) Edd.: ut sicut &c. potuerit.
(f) Ap. Mart. et Honth. omittitur: fere. Ap. Baluz. et Reub. legitur false: vero.
(g) In edd. Mart. et Honth. deest: „studio frequentissime insistendo."
(h) Baluz. et Reub. satis obscure habent: fugiendo vitia, nunquam &c.

cussum. In incessu, dictis et factis, veridicus, stabilis fuit, et semper seriosus. Tempore vero jocunditati opportuno suae juventutis, occulte cum suis militibus, capellanis, camerariis et domicellis, velut eorum minimus, dicens: Episcopalem dignitatem suspendimus ad parietem: nunc superior, nunc inferior, socius jocundissimus saltando, currendo levissimus (a), lapidem ceteris praejactando, eos viribus fortissimus (b) praecellere cernebatur. Nam tanta fortitudine pollebat, quod in domo Abbacensium in Pinguia famulum cursitanti equo insidentem cum equo ad terram velociter dejecit.

Aliquem quoque laudari nimium, aut ullo modo vitiari (c), noluit aliqualiter tolerare. Nam carminum recitatorem de inebriatione et verbositate (d) domini Henrici, tunc Coloniensis archiepiscopi, turpia proferentem, licet idem Henricus tunc sibi capitalis esset inimicus, viriliter reprehendit, dicens: Vade tu misserrime! non licet de dominis (e) turpia recitare. Etiam rancoris materia inter eum et cives Trevirenses fuerat exorta. Nam cives tempore Dietheri sibi aliqua ecclesiae jura illicite usurparunt, pro quo dominus Baldewinus nimium offensus, guerram cum eis habiturus, primo anno suae creationis Trevirim exivit: sed dominus Walramnus comes, germanus ejus (f), hoc intercipiens, concordiam ordinavit, jura archiepiscopi et ecclesiae (g) valide conservando, ut in literis hinc inde datis continetur (h). Suis etiam hostibus guerrarum tempore tyrannicus fuerat inimicus, quos tamen nunquam aliquo aggrediebatur odio: pace autem reformata, cunctis dimittens veniam postulantibus, ut ei Omnipotens dimittere dignaretur.

(a) Edd.: jocundissimus currendo, saltando levissimus; sed minus accurate.
(b) Ap. Mart. et Honth. deest: fortissimus.
(c) Ibid.: vituperari.
(d) Ibid. et in ceteris edd.: de inebriationis verbositate in dominum &c.
(e) Ap. Baluz. et Reub.: non licet te dominis turpia &c.
(f) In edd. praetermissa sunt: comes, germanus ejus.
(g) Ibid.: ecclesiarum.
(h) Vid. additamenta ad hoc cap. ad calcem voluminis.

CAPUT CCXXIX.

Cap. 11. De ejus provisione.

Nobis ejus facta insignia provisionis lucidissima dant exemplaria provide vivendi. Nam nunquam aliquid ad sua utensilia vel victualia comparavit tempore cariori. Omnia enim sua castra et domicilia vino, blado (a), pabulo, in annum de anno, velut Joseph in Egypto congregans, et fere (b) ultra numerum multiplicans, redundabant; quae tamen tempore caristiae suos per officiatos suis subditis indigentibus, et cautionem praestantibus, ut tantum in novis futuris persolverent fructibus, quantum de antiquis reciperent, nihil ultra requirendo, dispersit misericorditer; et sic suos subditos in suis possessionibus jugiter conservavit. Discreta etiam provisione omnia ecclesiae suae privilegia, primo papalia, secundo imperialia, tertio homagialia, et alia perpetua, timens amissionem (c), distractionem antiquorum cereorum fragilium sigillorum, propter diuturnalem revolutionem, privilegiorum fracturam dispendiosam multumque damnosam posse posteris imminere, in unum volumen congregando, et transcribi mandando, utiliter ordinavit, et illud triplicavit (d). Unum suae ecclesiae capitulo et capitulari loco, aliud suae et successorum suorum camerae Treverico in palatio, tertium vero suo (e) et successorum suorum

(a) i. e. frumento.

(b) Edd. legunt: congregatis &c. multiplicatis. — Edd. Baluz. et Reub. adhuc corrupte habent: et vere ultra &c. redundabat.

(c) Edd.; amissione.

(d) „Cujus libri" (ait Kyriander op. cit. in praefatione) „tres per omnia consimilis „continentiae libros fecit conscribi, quorum unus in armarium ecclesiae Trevirensis, „alter in magnitudine sibi consimili in Thesaurariam Trevirensis palatii reponendus, „tertius vero liber parvi moduli, et pro viatico archiepiscopali cottidie deduceetur. Et „hi tres libri et quilibet ipsorum ad originalia ipsarum literarum in eis contentarum, „collatione diligentissima per ipsum archiepiscopum principaliter „facta, exactissime sunt correcti."

Unum hujus operis exemplar ms. adservatur Confluentiae in tabulario Provinciae Rhenanae; unum aliud horum Mstorum, ut nobis relatum est, tabularium Regium Berolinense modo possidet.

(e) Edd. Baluz. et Reub.: „tertium vero suorum et successorum suorum", male omnino.

seriato (a) semper camerario, ad omnia et singula quo diverteret loca devehendum, provide deputavit, ut in omni loco archiepiscopus posset sua homagia, literas et privilegia, saltem sub copia, pervidere (b), necnon unicuique, dum opus esset, recitare: Hoc et hoc a nobis in feodum dinosceris habere. Et omnium ecclesiarum suarum collegia ad sua privilegia ostendenda, ut in ista scriberentur volumina, districtissime coarctavit, et quotquot erant sibi ostensa, quae tamen sub bullis seu sigillis (c) apparuere veris, inscribi verbotenus procuravit; ut si in posterum aliqua privilegia rapinis, incendiis, antiquitate consumta, seu malae custodiae deputata, vel quocunque modo perderentur, in praedictis voluminibus perpetua memoria perdurarent. Sic ergo velut Joseph providissimus habebatur. Vivant igitur ejus provisionis insignia in saecula (d).

CAPUT CCXXX.

Cap. 12. De ejus familiae promotione.

Baldewinus iste tanto vixit tempore (e), quod omnes ecclesiae suae diocesis praelaturae, necnon beneficia ad ejus collationem spectantia sibi vacavere, quibus in personis idoneis, ut pervigil pastor, noscitur providisse.

Legistas etiam (f), canonistas, physicos, artistas, philosophos,

---

(a) i. e. ordinario. Edd. Mart. et Honth. legunt: feriato. Cod. Trev., N°. 1444. sign., habet: sociato. In edd. Baluz. et Reub. legimus: camerario, sine ulla appositione.

(b) Edd.: providere, minus recte.

(c) Ibid. non legitur: seu sigillis.

(d) Ibid. additur: in saecula saeculorum.

(e) Praefuit enim annis 46., septimanis sex, et diebus quatuor.

(f) Edd.: Legistas enim. — Balduinus, in Academia Parisiensi optimis literis ipse imbutus, viros doctos in suo comitatu et ministerio semper habuit; sic e. g. supra laudatum Luipoldum de Babenberg, et Petrum de Lutra, qui de Praerogativa Trevirensis Ecclesiae librum scripsit, cujus meminit Trithemius (Chron. Hirs. II. p. 174.). Ambo ingenii sui foetus Balduino inscripserunt. His doctis viris annectimus Magistrum Wickerum (Wigherum), Protonotarium Archiepiscopi Trevirensis. Hic Balduini Cancellarius non sine laude memoratur in actis comitiorum Francofurtensium anni 1344. (Vid. ap. Goldastum Const. imperial. II. p. 90.); Ludolphum etiam a Saxonia, Priorem Carthusiae Confluentinae, qui plura

capellanos, clericos, laicos etiam multos, milites, nobiles, domicellos, aliosque ministeriales, numero multum valde multiplicatos, suo ministerio deputatos, decenter sustentavit: quos omnes et singulos, alios archidiaconos, quosdam praepositos, nonnullos decanos scholasticosque praebendatos, canonicos et pastores fieri procuravit. Nam de tam excellenti magnatorum progenie extitit oriundus, quod nullum habuit affinem seu cognatum, quem ad praeposituram majorem, vel aliquem archidiaconatum vellet promovere (a). Unde Godefridum (b) in majorem praepositum, alterum vero suorum paedagogorum in majorem decanum sublimavit. Clericos suos variis beneficiis promovendo (c); laicos vero solemnissime uxorando, possessionibus, domibus, agris, vineis, in perpetuum allodium eis distributis, ditissimos faciebat. Quid plura? Nunquam aliquis in ejus, licet in parvulo (d), diu morabatur servitio, quin rebus et honoribus fuisset multipliciter honoratus. Unde digne possum dicere: Gloria et divitiae in domo ejus.

Vivat igitur memoria ejus (e) nunc et semper merito recolenda (f).

Explicit liber primus gestorum domini Baldewini de Luczenburch, archiepiscopi Trevirorum, tractans de ejus vitae generalitate.

CAPUT CCXXXI.

Liber secundus.

Incipit prologus libri secundi.

Vox sapientiae meis intonet auribus, ut mel intelligentiae de durissima et vera petra, id est, Christo, valeam sugere, quo laborem inchoatum, mihi utique permaximum, possim adimplere.

---

ingenii sui monumenta reliquit; porro Scriptorem anonymum Gestorum Balduini, et jam saepius laudatum Ordolphum Scholer, Trevirum senatorii ordinis, ante Balduini Secretarium, cujus in Trevirensi historia labores variis in locis editionis nostrae memoramus.

(a) Edd.: promoveri. (b) Ibid.: Joffridum. (c) Ibid.: providendo.

(d) Ibid.: Nunquam aliquis ejus, licet &c. (e) Ibid. deest: ejus.

(f) Ibid. haec periodus amplificatur hoc modo: „Vivat igitur memoria perenniter merito „recolenda, nunc et semper, per infinita saecula. Amen."

Cum igitur hanc famosam historiam dicti domini Baldewini, quam de gestis fratris ejus, serenissimi principis domini Henrici septimi imperatoris Romanorum, sicut (a) huc usque, ulterius non possum separare, quia ipse dominus Baldewinus dicti imperatoris ad imperialis apicis dignitatem acquirendam collateralis noscitur extitisse, et gloriosi historiographi, magnae literaturae viri, quoniam non esset dignus pedissequus appellari, eam historiam amborum gestis indissolubiliter conglomeratam cernuntur minime scriptitando, proh dolor! praeterire (b): ego tamen, cum sim scriptorum minimus, hanc historiam perpulcram tam turpiter evanescere nebulosis ignorantiae tenebris involutam non possum aliqualiter tolerare, juxta illud:

Scribimus indocti doctique poemata passim.

Licet plures aemuli, livore nimio conglobati, grandia verba trutinantes, tumidis suis latratibus dentibusque detractoriis me studeant dilaniare: quod tamen dixi patienter sufferendum. Nam patientia malitiam legitur saepissime superare. Propono ergo pro meis viribus, quantulumcumque parvulis, istam perscribendo (c) historiam perseverare: quia secundum Gregorium, si non possum garbam integram ad horreum importare, non debeo tamen vacuus remeare (d). Unde —

Quod potero, faciam, scriptorum vernula fiam.

Quomodo ergo scribendo incipiam? Materia enim signata est et clausa, et quis aperiet mihi? Recordor vocis illius, qui dixit: Petite, et accipietis; pulsate, et aperietur vobis. Habentem ergo clavem David rogitabo, ut me in cellam ducat vinariam, ubi flabit ejus spiritus sapientiae et intellectus, et fluent aquae dulcedinis. Ibi de fontibus Salvatoris limpidissimum intellectum hauriam, quo hanc historiam ei ad laudem, Trevirensi vero ecclesiae ad honorem,

---

(a) Edd. Baluz. et Reub.: sic huc usque.

(b) Praecipuus scriptorum coaevorum historiae Augustae Henrici VII. est Albertinus Mussatus, scriptor Patavinus. Liquet ex hoc prologo auctoris nostri memoratu valde digno, res ab Henrico gestas per plures sui temporis historiographos literis consecratas esse. Conf. Muratorium (Rer. Ital. script. X. pag. 18., Mediol. 1727.).

(c) Ap. Mart. et Honth.: praescribendo: male.

(d) Ibid.: remanere.

domino Baldewino ad favorem, valeam recto tramite pertractare. Sit (a) aeternus, Trinus et Unus Deus per cuncta saecula benedictus!

Explicit prologus secundi libri.

CAPUT CCXXXII.

Cap. I. De Henrici VII. electione per dominum Baldewinum procurata.

Regalis dignitatis celsitudine regni Romanorum per lamentabilem mortem quondam Alberti regis non modicum disturbata, dominus Baldewinus aliique sex coelectores villam Rense, inter Confluentiam et Boppardiam sitam, ubi ex antiqua consuetudine, ad tractatum de electione habendum consueverunt convenire, ad ipsum tractatum habendum (b) concorditer diverterunt. Ubi anno Domini millesimo trecentesimo octavo, gratia summi Spiraminis cooperante, et domino Baldewino id procurante, in ipsius fratrem dominum Henricum comitem Luczelinburgensem in futurum Romanorum regem eligendum, suis exigentibus meritis, communiter concordarunt (c). Exigentibus,

(a) In edd. [illegible]tur: qui est &c.

(b) Baluz. et Reub. male omittunt haec verba: „ad ipsum tractatum habendum", quae tamen necessaria sunt.

(c) Cod. Trev., N°. 1462. sign., tradit: „Isto tempore" (circa 1304) „dominus Petrus „de Achtzpalt, magister in medicina optimus, a comite Henrico de Lutzelinburg pro „archiepiscopatu Moguntino, fratri suo Baldewino acquirendo, Pictavum ad papam „Clementem V. fuerat destinatus. Papa illum domino Baldewino tradere recusante, „sibi ipsi obtinuit, factus archiepiscopus Moguntinus. Pro quo dominus Henricus co- „mes valde iratus. Tamen id credimus in praedicti domini Heurici promotionem di- „vinitus esse ordinatum. Quia tum hic Petrus mortem Alberti audivit, statim nun- „tium, eis de curia Romana revertentibus, domino Baldewino in archiepisc. Trevir. „consecrato obviam destinavit, Alberti mortem eis intimavit, et ut dominus Henricus „ad regnum adiscipendum se praepararet, quia ipsum eligere vellet, insinuavit."

Conf. Alb. Mussati Hist. Aug. L. I. Rubr. 4. in edit. Murat. supra citata. Adde Trith. Chron. Hirs. II. p. 104. sq. — Conf. porro 1°) Conventionem Henrici Comitis Luxemb. cum Archiepiscopo et ecclesia Magunt. ante electionem suam (de anno 1308.) — 2°) Promissionem ejusdem Henrici factam Archiepiscopo Colon., in casum, si eligi eum in Roman. Regem contigeret — 3°) Unionem Archiepiscoporum Mogunt., Trevir. et Colon. de imminente novi Regis electione. (Codex

dico, suis meritis. Fuit enim (a) miles imperterritus, in armis strenuus; hastiludiorum et torneamentorum (b), a mari usque ad mare, in juventute semper quaesitivus, in quibus inter ceteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, gloriosior habebatur; judex erat justissimus, pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promtissimus defensator; raptorum, malefactorum, tyrannorum rigidissimus exterminator; semper illud gerens animo: Juste judicate, filii hominum! Omnibus enim fuit affabilis (c) et benignus, in quibus tamen permixtim seriositatem judicialem, honoris et dignitatis serenitatem (d), prudentiae quoque et discretionis amoenitatem nullo unquam tempore deserebat. Virtutum et bonorum morum concatenationem optima cum temperantia jugiter retinebat, et se semper bonis moribus omnium in omni tempore insignissime conformabat, omnibusque se ita socialem et tractabilem praebebat cum intermixtione, ut dixi, officii dignitatis (e), ita quod ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur. Et tamen iis, quae sunt mundi, mundo (f) non segniter reddendo, non minus, quae sunt Dei, Deo noscitur reddidisse. Nam cum domina Margareta (g), sorore ducis Brabantiae, sua collaterali praedilecta (h), ita continenter a tempore contracti matrimonii creditur vixisse, quod nunquam ad aliquam aliam adhuc post ejus (i) obitum dicitur accessisse.

---

epistolaris Rudolfi I. ex edit. Bodmanni p. 315. sqq., qui has chartas ex authenticis imprimi fecit.) —

Auctores, iique fide digni, extant, qui Philippum Pulchrum, Franciae Regem, vehementer sollicitasse Pontificis animum memorant, quo Carolum Valesium fratrem Imperio Romano accingeret, destituta Germania! —

(a) Baluz. et Reub. omittunt: enim, quod tamen sensus requirit.

(b) Ibid.: tormentorum, sed male.

(c) Ibid.: amabilis.

(d) Ibid.: honorem et dignitatem; omnino male.

(e) Edd.: officii et dignitatis.

(f) Ap. Mart. et Honth. dasideratur: mundo.

(g) Albert. Mussatus (op. cit. rubr. 3.) habet: „Margaritam, ducis Brabantiae filiam „adolescentem, imberbis et ipse, duxit uxorem, ex qua Johannem filium primogeni„tum procreavit.“

Haec Margarita filia est Joannis I. Ducis Brabantiae, ejus qui cum Henrico Blondello pugnavit, et soror Johannis II. Ducis.

(h) Edd. Mart. et Honth. legunt omnino male: praedicta.

(i) Ibid. deest: ejus.

Capellae quoque (a) suae ornamenta, missalia magni ornatus ac pretiosa, ad quaecunque perrexerat loca, adhuc comes existens, suis cum sommariis secum vehere faciebat, et omni die coram se et collaterali sua, quando aderat, per suos cantores electos canticis cum musicalibus, missas et horas canonicas, impedimento non interveniente; sed impedimento (b) urgente, vesperas saltem et completorium, et hoc nulla die praetermittendo, celebrare solemniter faciebat. In missis vero audiendis, horisque canonicis cum die dicendis maxima devotione pollebat; ita quod suis sacerdotibus capellanis maximam devotionem dicitur praestitisse.

His igitur virtutibus quia fuerat adornatus, merito illud propheticum ejus debuit auribus insonare: Specie tua, quoad justitiam humanitatis, et ad vitam activam, et pulchritudine tua, scilicet bonorum operum divinitatis, et ad vitam speculativam, intende prospere, procede et regna.

Unde dominus Baldewinus aliique sui coelectores, cum totius Alemanniae principibus nobilibusque, ipsum Franckenfort ad locum electioni deputatum duxerunt, et ibidem in cunctorum Christi fidelium solatium, anno Dominicae incarnationis millesimo trecentesimo octavo, vicesimo septimo die mensis Novembris, in regem Romanorum vivis vocibus concorditer elegerunt, et toti mundo ad monarchiam obtinendam in futurum imperatorem unanimiter praesentarunt (c).

(a) Edd. Baluz. et Reub.: Capellae vero.

(b) Hic locus ibid. adeo corruptus est, ut intelligi nequeat.

(c) De anno et die conventus hujus, pro deligendo Alberti successore, varii varia tradidere, nec eadem de loco ejusdem conventus apud omnes est sententia. In Albert. Mussati historia legimus haec generalia: „Vacante imperio, cum de novi „principis electione instaret agendum, convenere primates, quibus jus eligendi con„cessum est.“ (Edit. cit. p. 209.)

Cod. Trev. N°.1462. haec omnia breviter, sed accuratissime tali modo refert: „Hen„ricus VII. ano MCCCVIII., fratre germano dno Baledwino Trev. id procurante, „concorditer in Rense electus, et in Franckford XXVII. die Novembris fuerat „promulgatus, et die epiphanie Aquisgrani solempniter coronatus.“

Alii septimum octavumque Kalend. Decembris, nonnulli omnium Sanctorum ferias perperam notant.

CAPUT CCXXXIII.

Cap. 2. De Henrici regis consecratione et coronatione.

Constantiae maximae probitatisque eximiae dominus Baldewinus, et alii sex principes coelectores, anno Domini millesimo trecentesimo octavo, dominum Henricum septimum Romanorum regem ad auream regni sedem Aquisgrani per Carolum imperatorem situatam, adduxerunt. Ibi eum cives Aquenses, clavibus civitatis plus quam per leucam obviam portatis et traditis, in Romanorum regem laetabundis vocibus receperunt; et ibi per dominum Henricum Coloniensem archiepiscopum, quia in ejus provincia (a) fuerat, installatus, et ipso die Epiphaniae Domini eodem anno (b) ibidem in Romanorum regem honorifice divinitus consecratus, et una cum sua collaterali praedicta sibi assistente in vestitu deaurato varietate circumdata, cum corona regni fuerat solemniter coronatus, et ab inde solemniis curiis habitis, Coloniensem civitatem regiam rex ipse fuerat ingressus, et tres reges beatos (*), Regis Infantis Christi primos adoratores, tribus pretiosissimis baldechinis aurifrigiatis (c), etiam totidem oblatis auro gemmisque pretiosis, suppliciter adoravit, et ad imperialem ibi aulam divertit, de qua Coloniensis archiepiscopus ipsi regi, ut tenebatur, cedebat. Tres vero praepositi Colonienses, videlicet major praepositus, archiepiscopo Coloniensi; S. Cuniberti praepositus, archiepiscopo Trevirensi; S. Mariae ad Gradus praepositus, archiepiscopo Moguntinensi, de suis curiis praeposituris, antedictis deputatis cedebant, ut antiquo jure tenentur. In qua praepositura S. Cuniberti dominus Baldewinus pro ecclesiae suae jure conservando aliquandiu morabatur; sed propter nimiam distantiam ab aulà, non diu multum perseveravit, sed ex opposito aulae juxta ecclesiam S. Johannis Evangelistae se securius collocavit.

(a) Edd. Baluz. et Reub.: conprovincia.

(b) i. e. anno more Trevirensi computato.

(*) Hos Coloniam translatos Mediolano a Friderico I. Imperatore, idque ad Raynaldi (al. Reinoldi) Archiepiscopi Coloniensis supplicationem, plures tradunt auctores. Hic Archiep. anno 1167. prope Romam peste sublatus est.

(c) Baluz. et Reub.: baldekinis a regiacius; certe satis corrupte.

Henricus vero rex ista vice non diu Coloniae moram protraxit, sed in suum comitatum remeavit, et ibidem illo anno, cum domini Baldewini consilio, in regni gubernacula recipienda se prudentissime praeparavit. Isto anno dominus Baldewinus ivit in Hannoniam (*), et Tuyn reformavit.

CAPUT CCXXXIV.

Cap. 3. De Coloniae secunda visitatione.

Honorandae dispositionis provisione facta, ad regni loca perlustranda ipse Henricus rex una cum domino Baldewino, aliisque quampluribus, anno Domini millesimo trecentesimo nono, ante festum Natalis Christi, Coloniam secunda vice remeavit, et ibidem omnes sua feoda (a) requirere volentes spectavit: praesidens judicio, sententias contra rebelles, sua feoda non requirentes, servato juris ordine, promulgavit. De antiqua enim consuetudine in regem Romanorum electus sine omni confirmatione habet et potest regalia ministrare, ut habetur XCVI. distinctione: Cum adventum (b) &c., et cap. Duo sunt &c., et cap. Si imperator &c. XCIII. dist. cap. Legimus &c.; super hoc verbo imperator in glossa.

Hic gaudia gaudiis cumulantur, hastiludia continua choreaeque solemnes celebrantur. Ibidem continue ipse rex cum principibus et nobilibus, totoque vulgo, specialiter in die Natalis Domini, solemnissimam habens curiam convivando festinavit. Isto tempore fuit frigus permaximum, cujus aequiparantia a nullo tunc vivente potuit recordari. Ibi etiam rex a Coloniensibus huldas acceptavit, eorumque privilegia renovavit et confirmavit. Regem vero Colonienses multis muneribus honorarunt. Et deinde Confluentiam divertens, ibi Trevirensis ecclesiae thelonii privilegia perpetue duratura (c), precibus

(*) Haginoja, Haginovia, h. Hennegau. — Balduinus a fratre in hanc provinciam legatus est, ad sedandas ibi discordias.

(a) Edd.: et ibidem omnia sua feoda &c.; lectio minus probata.

(b) Al.: Cum ad verum &c.

(c) Edd. Baluz. et Reub.: privilegium perpetuo duraturum.

domini Baldewini inclinatus, favorabiliter indulsit, anno Domini millesimo trecentesimo nono, sexto die (a) Februarii mensis, regni vero ejus primo. Sed rex Henricus (b) a domino Baldewino rogatus, civitatem Trevirensem, quam prius ob injuriam et offensam condignam ab ea sibi injuriose saepius illatam, ante regni adeptionem hostiliter obsedit, nunc amicabiliter visitavit.

CAPUT CCXXXV.

Cap. 4. De nundinis per dominum Baldewinum Trevirensem a rege impetratis, et de ejus recessu.

Auctor, ab augendo tam suae ecclesiae redditus, quam civitatis honorem patriaeque meliorationem, iste Baldewinus merito appellatur.

Nam ecclesiae suae redditus, ultra quam (c) invenit, fere (d) duplicavit; territoria et homagia, ut postea tractabitur, multipliciter ampliavit; civitatis et terrae augmentationem, si cives gratanter acceptassent, quamplurimum procuravit. Nam etiam a fratre suo Henrico rege nundinas nundinarumque libertates, ut Franckenfordienses habent, quando eis exspirant, videlicet a festo nativitatis (e) beatae Mariae Virginis usque ad diem beati Remigii in capite Octobris duraturas, civitati Treviricae, ob ejus et circumjacentis terrae meliorationem, donari et indulgeri sub sigillo regio impetravit (f). Quam nundinarum libertatem Trevirenses, saltem circumquaque proximam per leucam eis bannitam, ut dicitur, observare et defendere recusarunt. Unde talis benivola impetratio et utilissima noscitur esse frustrata.

Inde rex cum domino Baldewino comitatum Luczelinburgensem ingressus, solatiis plurimis insistendo, ad civitates regias visitandas, easque regno coadunandas se quamplurimum disponebat.

(a) Ibid. desideratur: sexto.

(b) Ibid.: Sed hic a domino.

(c) Ibid.: ultra quod.

(d) Ibid. et in ceteris edd.: vere.

(e) Ibid.: a nativitate.

(f) Anno 1309.

CAPUT CCXXXVI.

Cap. 5. De Johanne Henrici regis nato in regem Bohemiae creato.

Regum Alemanniae sepulturae civitatem deputatam, id est, Spiram, deinde ipse rex cum domino Baldewino, aliisque multis principibus et nobilibus divertebat, ubi feodalia feodalibus in feodum condonavit. Et etiam ibidem iis diebus Bohemiae rex Wenzelaus, relicta tantumdem filia, sine masculino hereditario successore, extitit morte (a) sublatus. Per cujus decessum Bohemiae (b) regnum regi Romanorum noscitur vacavisse: cujus filia, Elizabeth (c) appellata, propria in persona Spiram veniens, aures Henrici regis coepit interpellare, ut de ipso paterno Bohemiae regno in feodum donando sibi dignaretur providere. Rex vero cum domino Petro Moguntinensi archiepiscopo, et cum domino Baldewino consilio inito, Johannem filium eidem Elizabeth matrimonialiter copulavit, et eundem in Bohemiae regem gloriosius sublimavit; et ibidem solemnibus nuptiis celebratis, eos ambos cum (d) domino Petro Moguntinensi et domino B. de Hennenberch, multa potentia Bohemiam destinavit (e). Et sic ipsum regnum Johannes rex pacifice est adeptus, et ibi gloriosissime regnavit (f), et sibi resistentes prosternendo, ut postea habetur, domini Baldewini adjutorio invictissime triumphavit.

(a) Ibid. deest: morte. (b) Ap. Mart. et Honth. deest: Bohemiae.

(c) Albertus Argentinensis, ejusdem saeculi scriptor, in suo Chron. (ap. Urstisium, II. p. 115. sq.) scribit: „Elsa puella circiter viginti annorum grandis et bruna, „— olim Wenceslai, Regis Bohemiae, filia — Joanni, filio Henrici Regis, annorum „circiter XI., et cum ea ipsa Joanni regnum Bohemiae traditur, eaque Spiram cum „excellenti decentia veniente, ac principe propter falsam suspicionem fornicationis „illi copulare filium dubitante: illa morae anxia, cum causam protractionis omnino „scire vellet, et a suis causam suspicionis difficulter audisset, dixit: Absit quod „Dominus Rex filium suum mihi deneget ex hac causa, quia virgi„nitatem meam per aspectum corporis comprobabo. Examinata ergo „per honestas matronas, et reperta virgo, fuit filio Regis solemniter copulata."

(d) Ap. Baluz. et Reub. deest: cum.

(e) In cdd. additur: multa potentia eis ambobus Bohemiam &c.

(f) Ibid.: regnum regnavit.

CAPUT CCXXXVII.

Cap. 6. De Adolphi et Alberti regum per Henricum regem facta translatione.

Custodia tota adimplevit legis mandata, operaque caritatis. Nam duos suos antecessores, reges Adolphum et Albertum, de loco sepulturae regum Alemanniae deputato multum remotae terrae commendatos, ecineravit et relevavit, et per plures episcopos et abbates, multosque clericos, tam saeculares quam religiosos, cum cereis infinitis, cultibusque sumtuosis, regum funeribus digne (a) deputatis et deputandis, Spiram adduci et transferri cultu regio procuravit. Et ipse Henricus rex funeri (b) Adolphi, eo quod essent de eadem linea consanguinitatis, cum multis ducibus, baronibus, militibus, aliisque nobilibus et ignobilibusque caterva non modica, ad quamplurimam distantiam incessu pedum gradiendo obviavit, et lamentando: Quomodo ceciderunt inclyti! Christum Domini acceptavit; et eodem die, anno Domini millesimo trecentesimo nono, regni vero ejus primo, amborum exequias in Spirensi ecclesia devote celebrare per episcopum Spirensem procuravit, et ut olim Tobias, eos juxta alios antecessores reges solemniter collocavit (c).

CAPUT CCXXXVIII.

Cap. 7. De domini de Wyrtenberch expugnatione.

Humilium sicut Henricus fuerat exaltator; sic superborum rebellantium extitit rigidissimus extirpator.

Nam cum ipse Henricus se ad Alpium montana transcendenda (d) praepararet, dominus de Wyrtenberch se ipsi regi tyrannice opposuit.

(a) In edd. Mart. et Honth. deest: digne. (b) In edd. Bal. et Reub.: funeris.

(c) Cod. Trev., N°. 1462. sign.: „Et Albertum et Adolphum reges translatos Spirae „juxta Romanorum reges decentius tumulavit.“ — Alberti Argent. Chronicon habet: „Albertum et Adolphum Rom. Reges occisos Henricus Rex Spirae sepulchris „regiis sepelivit, Alberto in uxoris olim Friderici Imp., Adolpho vero in ejusdem „filiae sepulchris, sepultis.“ (Urstisii Germaniae Historicorum II. p. 115.)

(d) Ap. Mart. et Honth.: transcendendo.

Propter quod ipse rex dominum de Wynsberch provincialem advocatum praefecit, et omnibus illarum partium regni fidelibus, castellanis et civitatibus districtissime praecepit, ut ei (a) tanquam suo vicario in omnibus intenderent et obedirent, et ejus jussionibus per omnia parerent. Qui regis ad praeceptum cum fidelibus regni et civitatibus dictum Suevum de Wyrtenberch (b) armis bellicis (c) saeviter persequendo (d) suo in territorio, de loco in locum (e) fugere coartavit (f), et ejus quadraginta (g) tam oppida quam castra viriliter expugnavit, et ad talem interemptionem (h) deduxit, quod tantum terrunculae vix poterat obtinere, quod vitae necessaria valeret, pauperrime (i) vivendo, aliqualiter habere (k).

Eo anno Domini millesimo trecentesimo decimo dominus Baldewinus in Treviri (l) existens, se ad Alpium montana transcendenda quamplurimum praeparavit.

CAPUT CCXXXIX.

Cap. 8. De viae ad Lombardiam arreptione.

Iustitia et judicium correctio sedis Henrici regis (m). Nam ipse in Spira praesidens judicio contra Johannem de Austria, dictum Sonderlant (n), justicialiter vocatum, et juris ordine damnatum, quia suum antecessorem, Albertum regem Romanorum, callide interfecerat, sententiam sanguinis districtissime promulgavit, et deinde ad Alpium montana transcendenda iter arripiebat.

(a) Edd.: ut sibi.

(b) Baluz. et Reub.: dictum dominum de Wirtenberch. — Sermo est de Comite Eberardo, quem Welphinum nominant Paralipomena Ursperg. chronicis adjecta.— Alii codd. scribunt: Wertymberg.

(c) In edd. Mart. et Honth.: armis bellicosis. (d) Ibid.: prosequendo.

(e) Baluz. et Reub.: in locum de loco. (f) Mart. et Honth. omittunt: coartavit.

(g) Codd. S. Maximini et Lind. legunt: quadrata; sed male.

(h) Edd.: internecionem. (i) Baluz. et Reub.: pauperiem; lectio rejicienda.

(k) Cod. Trev. N°. 1462. haec habet: „Et rebellantem sibi de Wertymberg per praefectum ejus de Winszperg XL ejus munitiones et castra expugnando de terra sua „effugavit.“

(l) Baluz. et Reub.: in Trevirim. (m) Edd.: sedis ejus, Henrici regis.

(n) Al.: Sunderlant.

Eodem tempore dominus Baldewinus de Treveri (a) per Erenberch (b), anno videlicet millesimo trecentesimo decimo, feria quinta (c) post exaltationem sanctae Crucis, et per Zauren (d) in Haynheym (e) divertit, ubi sibi Johannes rex Bohemiae et regina obviaverunt: quos amicissime salutando et sumtuose convivando, eos et dominum Petrum, Moguntinensem archiepiscopum, et dominum de Hennenberch, Bohemiam euntes, in die beati Matthaei (f) valefaciendo, currum cum auro et argento maxime onustum secum ducendo, Columbariam (g) devenit, ubi Henricum, Romanorum regem, fratrem suum, maximo cum exercitu invenit, et ibidem ipsi regi permaximam pecuniae summam (h) favorabiliter mutuavit. Deinde per Molenhusen (i), Sleckstat (k), Falkensteyn (l) et Solecter (m), ubi comes de Sabaudia (n) obviam venit, Bernam cum gaudio intraverunt. Ibi in die beati Michaelis sunt recepti, ubi et se requiei securissime subdiderunt.

CAPUT CCXL.

Cap. 9. De obitu comitis de Sarwerden, et de Alpium transcensione.

Episcoporum, clericorum, tam saecularium quam religiosorum, non modica caterva congregata, dominum Johannem de Sarwerden comi-

---

(a) Baluz. et Reub.: de Treverim; male. (b) Ibid.: Erunbergh (castrum).

(c) Ibid. desideratur: quinta, cujus defectu mutatur loci hujus sensus.

(d) Zabern?

(e) Hagenau? vel Heidenheim? — Nomina oppidorum Zauren et Haynheym neque in Schoefflini Alsat. illustr. Germanica, nec in Geographia pagorum vetustae Germaniae Cisrhenanorum, auctore Dumbeck, neque in aliis hujus argumenti operibus (e. g. Vergleichendes Wörterbuch der alten, mittlern und neuern Geographie von Bischoff und Möller ꝛc.) invenire potuimus. Medii aevi scriptores quandoque mire torquent nomina topographica.

De hoc itinere generaliter animadvertendum est, Balduinum, junctum in Alsatia fratri, per Helvetios incessisse, et juncto Amadeo, Sabaudiae Comiti, Italiam intrasse.

(f) Edd. legunt erronee: Mathiae. (g) Colmar.

(h) Edd.: permaximae pecuniae summam. (i) Al.: Mulinhusen (Mühlhausen).

(k) Schlettstatt. (l) Perantiquae gentis et arcis nomen.

(m) Solodurum, h. Solothurn.

(n) Amadeus scilicet, ex Arelatensi regno Sabaudiae Comes, per Mariam uxorem, quae soror erat Reginae, et filia Ducis Brabantiae, Henrico affinitate conjunctus.

tem, ibidem anno Domini millesimo trecentesimo decimo, feria secunda post festum S. Remigii obdormientem, ejus celebrando exsequias (a), lamentabiliter tumularunt. Deinde per Mortenum (b), Losanniam, Leonon (c), Genevae, Hacteville (d), Scameleri (e), et per sanctum Michaelem, Modanam (f), Lengenburch (g), et Transmorthenis monte (h), tamen maximo cum labore et periculo aliquo, tamen sine damno, transcendendo, ipse dominus Henricus et Baldewinus exercitu cum maximo, XXIV. die Octobris, Susam Italiae civitatem primam honorifice intraverunt, et per sex dies ibi quiescentes moram protraxerunt (i); abhinc per Avilianam (k) in feria sexta ante omnium Sanctorum Thurin (l) devenerunt, et ipsum festum et memoriam omnium animarum (m) ibidem peragendo, per octo dies continuos (n) permanserunt. Hinc per Kyr (o) euntes, in crastino beati Martini, Ast (p) appropinguaverunt, ubi cives multum ordinati exeuntes (q), clavibus civitatis regi obviam portatis (r), ipsum cum domino Baldewino ocundissime receperunt. Ibi rex cum dominis Baldewino et Walramo fratribus ejus, ducibus (s), comitibus, nobilibus, militibus, regina cum dominabus solemnissimam et sumtuosissimam habendo curiam jocundisssime festivaverunt (t), et ibidem triginta diebus continuatis, multis insistendo solatiis, conviviis, hastiludiis, unanimiter perdurarunt.

(a) Edd.: obsequias. (b) Ibid.: Mortem (Murten?).

(c) Baluz. et Reub.: Leori. (An Thonon?) (d) An Bonneville?

(e) Al.: Schameleti (Chambery). (f) Modana (Mondana).

(g) Laneburg, Lans-le-Bourg, Lansleburgo, ad radicem Cenisii montis, qui in textu Transmorthenis mons appellatur.

(h) Apud Browerum (Annal. Trev. II. p. 190.) legimus: „Mortenum praeteriens, ad „lacum Lemanam flexit, ubi Lusanna lustrata, Genevam tetendit. Secundum Rho„danum hinc, qui ex Lemano effluit, ad S. Michaelis oppidum, Chamberium et Lu„naeburgum profectus, juga montium superavit, quos Moriennae vulgus Salassium „sonabat.“

(i) Edd. Mart. et Honth.: subtraxerunt. Edd. Baluz. et Reub.: pertraxerunt.

(k) Baluz. et Reub.: Fivilianam, h. Avigliano.

(l) Aug. Taurinorum. — Mart. et Honth.: Turim.

(m) Hic locus male sic legitur in edd. Mart. et Honth.: „et ipsum festum omnium ani„marum.“

(n) Ibid.: continuo. (o) h. Chieri. (p) Asti, Asta.

(q) Ap. Mart. et Honth. omittitur: exeuntes.

(r) Ap. Baluz. et Beub. plura omissa sunt. — In edd. Mart. et Honth. deest: obviam.

(s) Baluz. et Reub. addunt: Sabaudis. (t) Ibid.: festinarunt.

CAPUT CCXLI.

Cap. 10. De triumpho et Mediolano obtento, et ejus ibidem secundae coronae acceptione.

Persecutor omnium iniquorum iste Baldewinus una cum domino Henrico rege, et aliis numero infinitis, institit per Casile, Vercel, Novarre (a), et per Gargente, civitati Ambrosianae appropinquabat, de qua cives ipsi domino Henrico regi obviam erumpentes, ipsius Mediolanensis civitatis claves plus quam per leucam offerentes, ipsum in regem Romanorum et dominum suum (b) humiliter receperunt. Et sic Mediolanum, anno Domini millesimo trecentesimo decimo, feria quarta ante festum Natalis Domini, strenuissime intravit: ubi Guido de Turri (c), sicut sibi vicecomitatum ibidem, Mapheo vicecomite de eo potentialiter ejecto, nequiter usurpavit; ita etiam domino Henrico ingressum suum ibidem in palatium fatuissime (d) denegavit. Dominus vero Baldewinus ipsius civitatis portam Romanam, vel Ambrosianam appellatam, intrans, sua sub clausura conservavit, claustrum S. Ambrosii (e) inhabitavit, et dominica sequenti cum Leodiensi episcopo (f), Lupoldo duce Austriae, Walramo fratre, Dyctardo comite de Catzenelleboge, Henrico de Sphaenheym, domino de Hoffelis (g), et aliis multis laetantissime convivavit.

Et ibidem dictus dominus Henricus rex, sequenti die Epiphaniae Domini (h), in S. Ambrosio (i) a Mediolanensi archiepiscopo (k), una cum sua regina, corona ferrea ad instar lauri margaritis pretiosis perornata (l), de calybe tamen per ipsum Henricum regem cunctis

---

(a) Casale, Vercelli, Novarra.

(b) Ap. Mart. et Honth. deest: et dominum suum.

(c) „Guido della Turre vir egregius, Mediolanensium praepositus" scribit Albert. Mussat. op. cit. Rubrica 10. — Albertus Argent. Guidonem dicit Guelfum.

(d) Ibid.: fatuiter. — „De hoc multi multa loquebantur de rege, quod talia poterat sustinere": Relatio Nicolai Episcopi.

(e) Monasterium illustre Cisterciensium, cujus ecclesia S. Ambrosio dicata est, quae saeculo IV. ruinis templi Minervae superstructa fuerat.

(f) Theobaldo de Bar. (g) Edd.: Hufelis.

(h) Anno 1311. (i) i. e. in S. Ambrosii templo celeberrimo. (Vid. supra.)

(k) Visconti.

(l) In Histor. Aug. Alb. Mussati legimus (Rubr. 12. L. I.): „Coronati itaque Hen-

successoribus suis facta (a), eo quod corona regum antiqua ex negligentia esset amissa, nam a nullo regum, a tempore Frederici imperatoris fuerat requisita, gloriosissime extitit coronatus. Et ita coronatus (b) permaximo insidens palefrido, famulis praecedentibus et sequentibus, et in lateribus, tamen a remotis, equitantibus, sub celeo (c) pretiosissimis sametis purpureis et baldekinis facto, aliisque famulis, saccis apertis, pecuniam non modicam, videlicet Venetianos imperialibus admixtos (d), extra viam projicientibus, quam totus colligens populus, viam patefaciendo, suum ibidem in palatium pacifice et gloriosissime est ingressus (e).

Et amici Guidonis de Turri multis vicibus armaverunt se, et imperiales similiter. Post haec meridiano tempore, regnante solis ardore, quo homines solent fervorem declinare, et dormitando (f) membris quietem ministrare, filii Guidonis de Turri, aliis cum infinitis, proditorie regem occidere toto conamine laboraverunt. Sed hoc avertebat (g) numen divinae bonitatis. Nam Lupoldus, dux Austriae, de campo quo equitaverat causa spatiandi, per vicum illorum (h) de Turri fuerat reversus, in quo maximos (i), strepitus rixosos equorum, cum hinnitibus eorum, frequenter audiebat; tandem per unam portam causaliter apertam armatorum multitudinem respiciebat. Qui statim suos suo remisit hospitio, ut omnes Theutonicos excitarent et congregarent, ut (k) se occulte ad praelium cum eis commiscendum festinantissime praepararent. Ipse vero versus palatium equitavit, regem excitavit, et causam sui adventus indicavit. Qui statim domino Bal-

---

„ricus Caesar, Augustaque Margarita anno ab ortu Domini nostri Jesu Christi un-„decimo trecentesimo millesimo, VIII. Idus Januarii ferrea corona, quam lauream „appellabant."

(a) „Ex chalybe novum diadema factum": scribit Browerus.

(b) In edd. non legitur: Et ita coronatus.

(c) teleo: Baluz. et Reub.

(d) Venetiani, i. e. monetae Venetorum. Venetiales grossi.

(e) „In equis phaleratis rubro scarleto cum purpureis tegumentis supra vertices latis se „populis exhibuere per urbem, rege sceptrum manu dextera gestante, videlicet sci-„pionem auream lilio supra renitente." Sic rem narrat Mussatus.

(f) Mart. et Honth: dormiendo.

(g) Mart.: avertat; male.

(h) Mart. et Honth.: illum.

(i) Ibid.: in quo proximos.

(k) Edd.: et.

dewino mandavit, quod suos coadunaret, et se armarent, et portam civitatis, quam inhabitavit, non exiret, sed eam non segniter observaret (a). Ipse vero rex sua speciali cum familia suum palatium firmiter custodivit.

Hinc ille probissimus de Austria Lupoldus se celeriter praeparavit, et cum suis et aliis pluribus inimicos acriter invasit. Hic clamor multorum, sonitus tympanorum, resonantia fistularum ascendit in altum. Ibi proditores prosternuntur, jugulantur, occiduntur. Plurima corpora exanimata in vicum crudeliter jaciuntur. Ibi ab Alemannis rigidissime praeliatur, et strenuissime (b) triumphatur. Hic proditorum domus publicantur, spoliantur, aurum et argentum omnisque cultus pretiosus a bubonibus (c) distrahitur. Hic insiliens aurum, ille argentum, hic vestes, illeque utensilia avidissime rapiebat (d). Tres vel quatuor vestem unam (e) vel baldekinum rapientes pretiosum, altercatione (f) quilibet frustum retinendo, saeviter laceraverunt.

Quid plura? Tot ibi sunt bubones (g) rapina ditati repatriantes, quod ultra mensem plus quam bubonum duo millia in exercitu deficere videbantur. Ipse Guido hoc factum intelligens, suique filii, in quoddam castrum extra civitatem rapiendo fugam turpiter evaserunt, ubi eos rex obsidere faciebat. Sed ipse Guido inde, occulte tamen, recedendo dicitur evasisse. Filii tandem castrum in manus regis donando, et totam terram perjurando noscuntur recessisse. Et ecce laqueum proditorie paraverunt, et eundem miserabiliter inciderunt (h).

(a) Ibid.: observarent.
(b) Ibid.: rigidissime.
(c) Alii legunt: bononibus, buvonibus, etiam baronibus; sed false. — Bubones, i. e. nebulones et furciferi, germanice (böse) Buben.
(d) Edd.: rapiebant.
(e) Mart. et Honth. omittunt: unam.
(f) Baluz. et Reub.: a laceratione; lectio minus probata.
(g) Vide supra.
(h) Conf. Mussatum Lib. II. Rubr. I. Adde auctorem Manipuli florum (ap. Murator. XI.), et Albertum Argent. ap. Urstisium, II. p. 116.

CAPUT CCXLII.

Cap. 11. De privilegio Trevirensi ecclesiae per Baldewinum ibidem impetrato, et subcancellarii concrematione.

Impiorum extirpatione facta, dominus Henricus, rex Romanorum, una cum domino Baldewino, in Mediolano praesidens judicio, mortis sententiam contra Guidonem et filios, et fautores horribiliter fulminavit, et inimicorum aedificia, turres, mausolea publicavit, et ad terram dejiciendo funditus extirpavit (a).

Hic Brixienses per suos legatos regi se subdiderunt, quibus rex (b) Theobaldum Brusach (c), capitaneum et vicecomitem, accepto ab eo fidelitatis juramento, praefecit; quod tamen postea in suam damnationem, ut patebit, perfidissime violavit. Hic dominus Baldewinus privilegium perpetue duraturum ab Henrico rege suae Trevericae ecclesiae super thelonio Confluentino, anno Domini millesimo trecentesimo undecimo (d), regni ejus tertio, Nonas Februarii, utilissime obtinuit, quod prudentissime impetravit (e).

Hinc rex, una cum domino Baldewino, Papiam est ingressus, et huldam recepit, et postea Mediolanum remeavit. Quodam igitur die, cum rex in secreto suo esset silentio, quidam miles festinanter in Henricum (f) in haec et his similia prorupit verba: Cur, rex, tua crudelissima in Theutonicos indignatio exarsit furiosa? cur omnes tam innocentes quam reos tua occultissima et vehementissima damnavit sententia? Obsecro, si non vis reis, ut tamen innoxiis pietate regia miserearis. Recordare, quod propter te exilia patiuntur, et parce illis,

(a) In cod. Trev., N°. 1462. sign., haec pauca tantum: „Omnia Guidonis aedificia in „Cremona, leonem aureum, portas et turres confringendo, destruxit."

(b) Ap. Mart. et Honth. deest: rex.

(c) Alb. Mussatus et Chronicon Estense scribunt: Thebaldum de Bruxadis. — Edd. habent: Brisach. — Brow.: Thebaldum Bursatum. — Al.: Theobaldum de Brusciato.

(d) More Trevirensi.

(e) Hic locus in edd. Mart. et Honth. legitur hoc modo: „Nonas Februarii, prudentissime impetravit", omissis reliquis.

(f) Baluz. et Reub. praetermiserunt: in Henricum.

qui pro tuo amore laboribus et periculis (a) continue subduntur. Rege vero non modicum perterrito, et quidnam hoc esset, sciscitante, fertur respondisse: Inferior tuus cancellarius, quem titulo militari decorasti, quamplurimas scripsit literas, regio sigillo minori tam sigillatas, quam sigillandas, cunctis Lombardiae civitatibus destinandas, isto sensu contextas, ut tuo regio ex praecepto, uno et eodem die, ipsis literis intitulato, omnes Theutonici capiantur, et omni mora postposita, celerrime interficiantur. Quae rex audiens, nuntios secum misit, qui eum cancellarium cum literis ceperunt, et vinculativae custodiae addixerunt. Qui captus statim confitebatur, se hoc in regis necem fecisse, et propter hoc in ejus servitio perstitisse, et se saepe regem tractavisse, et si sibi opportunitas potuisset occurrisse, se ipsum regem interfecisse, eo quod cerneret omnes Gelfinos (b) omnimode fore destruendos, et eos de Turri interficiendos, de quorum linea consanguinitatis esset oriundus, et quod sex carras (c) albi vini infecisset, et Theutonicis causa intoxicationis ad potandum (d) dedisset. Tandem eum rex cremari, et ossa ejus in cinerem redigi imperavit. Et sic in cineres redactus, in quadam civitatis planitie hanc vitam miserabiliter (e) terminavit (f).

Et hinc per Laudem (g) Creme, Futisim (h), Poerne, et hostium turres et aedificia destruendo, Cremonam divertit, et ibi cum domino Baldewino praesidens judicio, portas et turres ejus ad internecionem deduxit, et leonem deauratum effringendo totaliter destruxit (i). Et

---

(a) Mart. et Honth. addunt: tuis.

(b) Guelphos. De factionibus famosissimis Guelforum et Gibellinorum (Nigrorum et Alborum) jam supra in Gestis Trevirorum sermo fuerat.

(c) In edd.: carratas.

(d) Ibid. deest: ad.

(e) Mart. et Honth.: miserabilem.

(f) Mussatus non loquitur de hoc facto.

(g) Lodi. Antiqua urbs Laus Pompeji dicebatur. — Bal. et Reub.: per Laude.

(h) Baluz. et Reub.: Surisim; Mart. et Honth.: Furisim. An hodiernum Pizzighettone vel Casal Pusterlengo?

(i) Alb. Mussatus hanc rem ita explicat (L. III. Rubr. 4.): „Suprema turris in foro sita, quam Turracium vocant, cum superposita leonis effigie conspicuum civitatis decus, excidenda erat, nisi Reginae clementia pro plebe supplicantis placatum „Caesaris propositum fecisset; ejusdemque Reginae obtentu a praeda, populationibus, „domorumque ruinis desitum est." — Chronicon Estense (Murator. Rer. Ital.

abhinc per Quintay-Pompiay (a) cum exercitu permaximo Brixiam (b) obsidione circumsepsit, et montem, in cujus pede situatur, ejus exercitus ex utraque parte incendio destruxerunt (c) anno Dominicae incarnationis millesimo trecentesimo undecimo, in vigilia ascensionis ejusdem, quae fuerat XIX. die mensis Maji (d), regni vero ejus tertio.

Terra enim in conspectu ejus noscitur siluisse (e).

CAPUT CCXLIII.

Cap. 12. De justitia Theb. Brusach facta, et de Brixiensis civitatis expugnatione.

Sollicitudo cordis Henrici regis fuit, omnia imperialia ad jus et proprietatem imperii revocare. Unde Brixiam rebellantem, quam hostiliter obsedit, bellis permaximis crudeliter saepissime invasit. Nam quodam die Brixienses armati exivere, cum quibus regis et Baldewini exercitus coepit bellum commiscere. Hic tubarum clangore, populorumque vociferatione, in aërem pulveris elevatione, crudelissimaque interfectione bellum maxime fuerat aggravatum. Partes regis viriliter insistunt, illi acriter resistunt; hostiliter isti impellunt, illi viriliter

---

Script. XV. p. 372.) hoc factum sic narrat: „Cremonenses expulserunt e civitate „Vicarium datum per Imperatorem — — Imperator ivit Cremonam, cujus adventu „Cremonenses timuerunt propter id quod fecerant; et incontinenti elegerunt certos „cives majores civitatis — qui iverunt obviam Domino Imperatori circa LXXX., so- „lum cum interulis induti, et nudis pedibus et capitibus, cum corrigiis circa gulam, „clamantes et petentes misericordiam. — Imperator respondit: ego concedam vo- „bis misericordiam, sicut digni eritis, et fecit eos capi et conduci ad cas- „trum Leonem — et fecit omnes mactare cum securibus — et per tres dies et tot „noctes duravit occisio et mortalitas hominum interfectorum. — Ratio ibi mortua erat. „Ad praedam disposuit omnia civitatis bona — et nihil aliud operabant, nisi occidere „homines, pueros, destruere domos et fortilitias, quae erant circa civitatem, excep- „tis ecclesiis.“ —

Hoc modo hic scriptor Italus, sine dubio Guelphus, haec nimis odiosa tradit.

(a) Ap. Baluz. et Reub.: Quintay-Pompiam. Denominatio obscura.

(b) Brescia.

(c) Baluz. et Reub.: ex utraque incendio, omisso parte. — Mart. et Honth.: ex utraque parte destruxerunt, omisso incendio.

(d) Martii: Baluz. et Reub., sed false.

(e) tacuisse: ap. Mart. et Honth.

repellunt; hic trucidatur, ille perforatur. Quid plura possum referre? De parte regis optat quisque mori, nisi bellum cedat honori. Ibi multi Brixienses fuerunt interfecti, et ille faex militiae, procurator perfidiae, Theobaldus Brusach, aliis pluribus in civitatem fugientibus, extitit captivatus. Contra quem rex mortis sententiam proferebat, et caput sibi amputatum supra mirae altitudinis hastam infigebatur (a); corpus vero in quatuor partes divisum supra quatuor rotas stipitibus infixas dignissime locabatur (b).

Post haec, dum dominus Walramus frater regis et domini Baldewini germanus, exercitum circumiret, emissa de muro sagitta, ad colli et humeri conjunctionem, lethaliter vulneratur; qui, sumtis sacramentis (c) ut verus catholicus, viam universae carnis est ingressus: quem in Verona diversis cultibus funus ejus condecentibus lamentabiliter tumularunt. Postea aëre corrupto plures ibi moriebantur (*).

Tandem Brixienses, consilio inito, exercitum regis invadere

(a) Baluz. et Reub.: infigebat.

(b) Thebaldi exitium omnes codd. tam manuscripti quam impressi, Henrici historiam tractantes, notant; sed variant in ratione poenae. Aliorum etiam dicta hic enotare, nobis permittat lector. Alb. Mussatus scribit: „Thebaldus captus et vulneribus „quinque confossus, ex quorum uno conscisso sinistrae arteriae craneo oculus confluebat, ad Caesarem deducitur. — Quem Caesar, Augusta satis superque frustra pro „illo supplicante, procerum principumque consiliis adhibitis, moderato regio examine „percontatus, confessum convictumque laesae Majestatis more Majorum condemnavit. Corio itaque bovino insutus, ut vivus diutius poenae servaretur (nam et vulnerum „angustiis profligato paululum vita respirabat) onagrorum caudis annectitur, tractusque circa castra ad bovum quatuor colla lacertis pedibusque in diversum colligatis „membratim dividitur, caputque hastae confixum acumine ad proximos muros ostendatur intrinsecis, donatis per singulos exercituum manipulos membris intestinisque „a conclamante popello concrematis."

Ei concordat Chronicon Alberti Argentinensis. Auctor Chronici septem aetatum, synchronus etiam Mussato nostroque scriptori, in quatuor partes corpus ejus dissectum, et hinc inde suspensum ait. Sic et Chronicon Estense. — Manipulus Florum ita scribit: „Hic in rota ponitur, et in frusta conscisus in „machina positus in urbem projicitur." Poenam, non ita inhumanam et crudelem, scriptor noster prodit. Sic et cod. Trev. N°. 1462., qui est ejusdem saeculi XIV. Historiographos posteriores, hinc inde et in nomine errantes, nihil moramur.

(c) In edd. desiderantur haec verba: lethaliter vulneratur, qui &c. — Male ap. Mussatum: Mors Golerani fratris Caesaris (Lib. III. Rubr. 13.)

(*) „Tunc totus mundus in corruptione positus erat propter guerram": scribit auctor Chronici Estensis.

nocturnali tempore callide disponebant, et apertis portis exilientes in montem, balistariorum validis exortis clamoribus, tentoria incenderunt; quos partes regis imperterrite petierunt congressione praeliali. Hic fortissimum committitur bellum; hic clypei galeaeque acriter percussi resonantiae sonitum referunt in coelum; hic illatis ictibus immensis ensem reverberat ensis; undique rigidissime bellatur, belli fortuna vagatur, ab utrisque permaximus auditur tumultus. Sed (a) Theutonici, fugere nescii, tot tot occiderunt, et residui in civitatem fugerunt; et paulo post omnes Brixienses se regis gratiae, capistris propriis collis impositis, submiserunt anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, feria quinta post festum Matthaei. Tunc rex civitatis muros (b) et portas funditus destruere, et fossata planitiei terrae praecepit adaequare; et sic Brixiam, tanquam villam patentem, per fossata planata (c), non per portas, intravit; et in ea, una cum domino Baldewino judicio praesidens, omnes ejus munitiones radicitus extirpavit; et deinde per Soruyn (d), Cremone, Playsente, Castel S. Johannis, Pamenogie, Cortone, Saraval, Gayo, Tridentum, Januam divertit (e). Cives Januenses claves civitatis offerentes obviam (f) venerunt, juramentumque fidelitatis praestiterunt, et ipsum in regem Romanorum, suumque verum dominum unanimiter receperunt.

(a) Edd. Baluz. et Reub.: Seu; sed male.

(b) Ibid.: Tunc rex civitatem, muros &c.; omnino male et contra auctoris mentem (ut recte notat Martene); nam Henricus civitatem non destruxit. In Alberti Argent. Chronico legimus: „Rex autem demolita porta et parte muri, ingressus est ultra „murum.“

(c) Ibid.: fossata plenaria; male.

(d) Al.: Sothnum, Sothmin (Soracina?).

(e) Et hic occurrunt aliqua villarum, oppidorum et munitionum nomina obscura et incerta. Nota sunt: Cremona, Piacenza, S. Giovanni, Tortona, Serravalle, Gavi, Trino, Genua.

(f) Edd.: obviantes.

CAPUT CCXLIV.

Cap. 13. De obitu reginae, introitu Romae, et de cellae quatuor coronatorum per Baldewinum facta inhabitatione (a).

Causarum multarum expeditione facta Januae (b), domina Margaretha coepit multum aegrotare, et infirmitatis crescente malitia (c), ducta fuit ad extrema, et spiritum reddidit suo, qui condidit illum, Creatori (d). Hic dolor regis intima cordis laesit vitalia: nam cum ea ut turtur castissimus cunctis vixerat temporibus. O mors truculenta, quid fecisti! Cur lunam de mundo sustulisti? Antea sol et luna lucem dederunt una; nunc sol solus sine luna. Hinc ejus solemnissimae parabantur exequiae. Luctu maximo et lamentatione corpus ejus conditum aromatibus ibidem apud Minores decentius per episcopum et multos nobiles terrae fuit solemnissime commendatum, multisque miraculis ibidem divinitus coruscabat, anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, die XI. mensis Decembris (e). Hoc tempore, anno VII. Clementis papae, in generali concilio Viennae celebrato, cassatus, annullatus est templariorum ordo, qui fuerat CLXXXIIII. annorum. Inpingebatur eis, quod in sua professione Christum abnegarent. Unde in diversis locis capti judicibus addicti, qui metu mortis sub juramento affirmabant. Statim injuncta poenitentia negabant, dicentes metu tormentorum affirmasse. Et tamen totus ordo fuit penitus annullatus (f).

Abhinc rex, eodem anno, XXIV. Februarii (g), per mare navigio per Portum-Veneris (h) portui Pisano (i) applicavit; et in sexta die

---

(a) Aliter hunc titulum et minus dilucide legunt Baluzius et Reuberus.

(b) Cod. Lind.: „Causis multis Januae expeditis.

(c) Ibid.: molestia.

(d) In edd. verborum constructio est haec: „et suo spiritum qui condidit illum reddidit „creatori.“

(e) Baluz. et Reub. inter ansulas apposuerunt (die XIII.), quod in Parisiensi deerat Msto. Mussatus (Lib. V. Rubr. 4.) scribit: „Hujus insignis memoriae dies fes-„tus erat beatissimae Luciae virginis.“

(f) Haec de Templariis non leguntur in edd., neque in plurimis codd. mstis.

(g) More Trevirensi.

(h) Porto-Venere.

(i) portae Pisanae: cod. Lind., sed male.

Martii Pisanam adiens civitatem, clavibus civitatis sibi obviam portatis, et juramento ab eis recepto fidelitatis, ibidem aliquamdiu decrevit permanere. Tunc ante Lucam plurimos probitatis viros maximo cum exercitu destinavit, qui cum eis multa praelia durissima strenue (a) commiserunt, et circumquaque plurima castra et fortalitia vi expugnando viriliter ceperunt.

Deinde rex (b), una cum domino Baldewino et aliis multis, XXIV. die Aprilis (c), per Rausigonem (d), Bibone (e), Campillo (f), Castellino (g), transeundo aquam Grosset (h), et per Admeliam, Montabor, Viterbium (i), et per campos de Bakevalle (k) transit Pont-Mole (l) per ante turrim Tripezon, de qua plurimi fuerant sagittati, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo Nonas Maji Romam strenuissime fuit ingressus, ubi Rodolphum, ducem Bavariae, cum aliis multis nobilibus insignivit titulo militari (m). Et intrans ad sanctum Johannem Lateranis, orationem multum humilem et devotam suo oravit Creatori. Et dehinc divertens ad locum Militiis (n) appellatum, et ibidem multo tempore habitavit. Et ipso die Pentecostes cum tribus cardinalibus, episcopis, ducibus, comitibus, et universis ince-

---

(a) Mart. et Honth. male legunt: durissime strenue.

(b) Ibid. omittitur: rex.

(c) Anno 1312.

(d) h. Ronciglione.

(e) Cod. S. Max.: Bilole; al.: Bilone (Bibona).

(f) Campiglia.

(g) Castellion.

(h) Grosseto (Rosetum, urbs Hetruriae, ad Umbronem fluvium).

(i) Admesiam, Montabor, Vitribium: Baluz. et Reub.; h. Viterbo.

(k) Al.: Backenvelle. (Brow. scribit: per Baccavi campos); h. Baccano.

(l) Pons Milvius seu Molvius ab Italis recentioribus appellatur: Ponte Molle.

(m) In Mussati historia (L. VIII. Rubr. 1.) legimus: „Januam egressus magna classe „Caesar in portu Veneris magna tempestate dies circiter quadraginta perstitit, inde „Pisas applicans &c. — — deinde per Plombinum, ac Maritimam, Viterbium petiit „&c. — — Extemplo, ut juxta Urbem (Romam) pervenit, cohortem militum per „ipsum Pontem Molem in Urbem transmisit. Verum ex ligneo propugnaculo ad pon„tis latus exstructo, quem Tripizonem vocabant, sagittarum jactus exivere."

(n) „Palatia militiarum" (Mussatus). „Castrum, quod militia dicitur" (Alb. Argentin.). Andr. Fulvius canit:

„Altera Militiae quae surgit ad aethera turris,
„Dicta a militibus, qui illic quandoque fuere
„In statione: fori Trajani in parte suprema."

dens et comedens, coronatus (a) in palatio Neroniano (b) solemnissime festivavit (c). Dominus vero Baldewinus cellam quatuor Coronatorum, ad archiepiscopi Trevirensis habitationem, cum Romam venerit, pertinentem intravit, et eam ad suae ecclesiae Trevirensis proprietatem pertinere ad memoriam revocavit utiliter. Eo ibi existente, omnia beneficia ibidem vacantia habet conferre ut (d) praepositus.

CAPUT CCXLV.

Cap. 14. De capitolii, trium turrium et monasterii Minorum violenta (e) expugnatione.

Omnium inimicorum suorum dominabitur (f). Nam suus et domini Baldewini exercitus Gelfinos imperii inimicos, se in monasterio Minorum, Ursinorum (*) praesidio, in Capitolio, et diversis turribus Romanis resistendi causa observantes, rigidissime invaserunt, muros petierunt ictibus, sagittis, eos capere acriter laborarunt (g): et illi non segnes tela et lapides de supra pluentes, illos obruentes, istos ferientes se militaliter (h) defensarunt. Tandem Theutonicorum exarsit animositas furibunda, qui viriliter muros transcendebant, istos

(a) Sic codd. S. Maxim., Eberh. Clus., Lind., et Trevir. N°. 1434. Cod. vero Paris. legit: coronandus; nec forte inepte, nam Romam imperiali corona donandus advenerat; neque tamen male coronatus hic dicitur, nam duplicem jam acceperat coronam.

„Contra voluntatem omnium inimicorum ejus in ecclesia S. Petri coronatus „fuit.“ (Chronicon Estense.) — „Coronatus fuit Dominus Henricus corona „aurea a Domino Nicolao de Prato, Cardinali Ostiensi de Ordine Praedicatorum, „cum solemnitate et gaudio magno populi urbis.“ (Chronicon Mutinense ap. Murat. l. c. p. 572.)

(b) Edd. Baluz. et Reub. corrupte: Nevoriano.

(c) Ibid.: festinavit; male.

(d) Ibid. omittitur: ut, quod requiritur. Vid. notam in fine.

(e) Ibid. non legitur: violenta, quae tamen vox optime quadrat.

(f) Omnibus inimicis suis dominabitur: sic cod. recentior Linden.

(*) Familia potens Ursinorum (Orsinorum) Romae caput factionis Guelphicae erat.

(g) Ap. Mart. et Honth. non leguntur haec verba: „muros petierunt ictibus, sagittis, „eos capere acriter laborarunt.“

(h) Ibid.: militialiter. — Ap. Baluz. et Reub.: multipliciter.

occiderunt, hos praecipitaverunt; et sic hoc monasterium cum violentia ceperunt. Eodem modo Capitolium invadentes, nec tela nec lapides timentes, plurimos interimentes (a), audacia cum maxima tyrannice (b) ascendentes, et ipsum violenter obtinuerunt. Nam reperti ibidem inimici en male turbantur, moriuntur, praecipitantur, quia crevit in hoc bello protervia Theutonicorum. Et ulterius procedentes, nec hostes nec arma metuentes, triginta turres (c) cum violentia expugnaverunt, et cum gloria triumpharunt. Tandem rex praesentibus cardinalibus, domino Baldewino, et pluribus aliis Romae in Capitolio praesidens judicio, plurimas (d) proferendo sententias, dominum Ludolfum (e) de Sabaudia dignitate senatoria benivole decoravit. Post haec Ursini, qui et Gelphini (f), conglomerati bellum permaximum genti regiae intulerunt. Ibi hostis horribiliter irruit in hostem, hic verberando, ille perforando, alter alterum de equo praecipitando. Hi gladiis, alii baculis pugnant. Ibi dominus Balduinus de Columna et Petrus (g) strenuissime bellaverunt, et multi prostrati permanserunt.

Hic clypeum clypeus, ictum reverberat ictus:
Magnus erat turbae clamor trepidantis (h) in urbe.

Hic viri eximii, magnaeque probitatis gloria corusci, videlicet Theobaldus Leodiensis episcopus, abbas de Wyssenburch, et Petrus de Sabaudia, inclyti (i) Israhel, bello in hoc gloriosissimo strenuissime pugnando, heu! heu! ceciderunt, et morti debitum persolverunt. Nam hoc bello mota fuerat Roma tota (k).

(a) Baluz. et Reub.: invenientes, omnino male.

(b) In edd.: tyrannide, sine sensu.

(c) Turres, i. e. urbis aedes antiquae (in theatris, amphitheatris, thermis, et aliis vetusti operis aedificiis) in arcis formam communitae, et hoc aevo Guelphis contra Henricum Imperatorem inservientes.

(d) Mart. et Honth. omittunt: plurimas.

(e) Sic codd. S. Maxim. et Eberh. Clus. Baluz. et Reub. legunt: Ludovicum. Mussatus quoque scribit: „Ludovicus Sabaudiensis, senator.“ Cod. Trev. N°. 1462. habet: Petrum de Sabaudia.

(f) Baluz. et Reub.: „Ursini et Gelfini“, omisso qui; sed male.

(g) Ursinorum et Columnensium factiones potentes Romae erant. — Cod. S. Maximini omisit: et Petrus.

(h) Edd. legunt: „et magnus erat tubae clamor crepitantis.“

(i) Baluz. et Reub.: invicti. An fortasse hic Petrus Ludolfi frater aut filius erat?

(k) In edd. legitur: Romania tota.

Ibi regis exercitus Romam citra Tyberim obtinuerunt, et sic obtenta, tribus a cardinalibus a latere papae ad hoc specialiter destinatis, in S. Johanne Lateranis, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, regni vero ejus tertio, die passioni beatorum Petri et Pauli consecrato, quae est XXIX. mensis Junii (a) in imperatorem solemniter consecratus, et ab ecclesia in monarcham dignissime approbatus.

Et abhinc recedens, legem Moysaicam rotulo (b) inscriptam sibi porrigentibus reddidit Judaeis. Et ad sanctam divertens Susannam, ibidem curiam habendo sumtuosissimam cum cardinalibus, domino Baldewino, et pluribus infinitis nobilibus, et cunctis advenientibus solemnissime festivavit (c).

Ipso tempore, die beatae Mariae Magdalenae (d), fuerat hora diei tertia solis eclipsis permaxima, in signo virginis causata, cujus, proh dolor! significatio anno patebit proximo.

Deinde imperator contra imperii adversarios acies dirigens, et fortalitium et castrum (e), Cappe de Bove (f) appellatum, bellicose expugnavit et incendio devastavit. Eodem anno, XXI. die Julii, Tyberburch (g) declinavit; ubi Rodolfus, dux Bavariae, et plures

(a) Sic et Mussatus. Cod. Trev. N°. 1462. haec pauca habet: „Penultima die mensis Junii a tribus cardinalibus fuerat in imperatorem coronatus."

Villanus, Albertus Argentinensis, alii, Imperatoris consecrationem revocant ad diem primam Augusti; sed per oculatos testes erroris arguuntur. —

In vita Clementis V., auctore Ptolomaeo Lucensi ord. Praed. (Baluz. Vitae paparum Avenionensium, I. p. 47.) legimus: „In festo apostolorum Petri et Pauli, „quia in sancto Petro Henricus imperator coronari non potuit propter adversarios, „fuit coronatus a tribus cardinalibus, videlicet Legato, domino Ostiensi, et domino „Luca, de mandato papae in sancto Johanne de Laterano."

(b) Baluz. et Reub.: rotilo. — „Pittacio, sive membranis minutis inscriptam" ait Brow.

(c) Baluz. et Reub.: festinavit; male.

(d) Cum secundum tabulas astronomicas anno 1312., die 15. Julii, fuerit eclipsis solis; festum autem S. Magdalenae respondeat diei 22. mensis Julii: veremur, ne scriptor, quoad diem, in errore sit.

(e) Ap. Mart. et Honth. deest: et castrum.

(f) Edd. Baluz. et Reub.: Cappe de Bont; sed pessime. Est autem sepulcrum Caeciliae Metellae, uxoris Crassi. Tempore Bonifacii VIII. Papae et haec moles Romana, contra Columnenses, in arcis formam communita est, quae Capo di Bove communiter appellatur, propter antiqui operis ornamenta.

(g) Tiburim (Tivoli).

domini (a) dominum imperatorem valefaciendo, maximo cum gaudio successu de tam prospero, repatriarunt.

CAPUT CCXLVI.

Cap. 15. De multorum castellorum et castrorum expugnatione, et praelio in Lantsise (b), et Florentinorum obsidione.

Pastor gentis metropolitanae et urbis Treviricae imperatorem nondum noscitur deseruisse. Nam secum eodem anno vicesima quarta die (c) fuerat Viterbium ingressus. Hinc per Amelione (d), Cortone, Tudertum, Castellino violenter expugnabant (e). Marschalcus vero cum pluribus sibi confoederatis (f) Markant (g) celeriter invasit, et cum aliis sex castris, cunctis hostibus refraenatis, violenter expugnavit, et totam illam terram usque Pruse (h) rapinis incendiisque devastavit. Deinde imperator Montevarch (i) et castellum S. Johannis bellicose expugnatos (k) igne concremavit, et nonaginta duos castellanos (l), capistris collis impositis, secum ducendo graviter captivavit. Post haec ante Lantsise praelium fuerat gloriosum. Ibi inimicus inimicum vultibus distortis, validis clamoribus ortis, acriter impugnant.

(a) „Dux Bavariae, Dalphinus de Vienna, Ugo frater Dalphini, dominus Fortiniaci." Sic Mussatus.

(b) Ancisa. Incisa. (c) Subintellige: Julii.

(d) Al.: Amilione (America, Amelia).

(e) Mussatus Italus scribit (L. IX. Rubr. 1.): „Viterbium petiit, inde Perusinos incu„tiens fines. — Nec Gallicus, Germanusve furor suis ipsis parcens, castella et ter„ras comitum de Marzano damnorum contumeliarumque immunes fecit, quamquam et „hi Caesaris partes fovissent. Communis clades cuncta igne ferroque vastavit; sicque „populabundus tumultuariis gressibus copias omnes in Aretium contraxit."

(f) Baluz. et Reub.: cum prelibus; corrupte.

(g) Sic in omnibus Mss. et edd. — Brow. intelligit Marcham Anconitanam. Et hic in locorum nominibus mira regnat confusio et perturbatio.

(h) Al.: Preuse. Fortasse Perusia. Perugia.

(i) Mart. et Honth.: Moncelbarch; Baluz. et Reub.: Montewark. Est castellum Montis Varchi (Monte Varchi). — Castellum S. Johannis h. St. Giovanni.

(k) Mart. et Honth. legunt: expugnata.

(l) Ap. Mussatum legimus: „Cathelanorum equitum capita XL., peditum LX."

Hic percutit, ille repugnat; hic decollatur, ille trucidatur; multi praecipitantur, plures strangulantur; ibi diversi diversos ictus permultant. clypei galeaeque resultant. Maxime hoc praelium fuerat ingravatum. Sed et Theutonici conglomerati, iracundiaque provocati, inimicorum exercitus maximis cum laboribus per medium diviserunt, et ibidem pluribus in fugam versis, multisque occisis, triumphum validissime obtinuerunt. Qua obtenta victoria, domini imperator et Baldewinus aquam transeundo in sancto Salvo (a), anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, die prima Octobris, castris et tentoriis ibidem situatis, obsidione Florentiam vallaverunt.

Ibi tantus coadunatus fuerat exercitus, quod prima nocte suos adaquando equos aquam currentem (b) periculose transequitabilem, vix eam transierunt (c), quam ita totaliter desiccaverunt, quod mane facto ejus fluxum minime invenerunt; et ibidem multis pugnis Florentinos molestarunt, et totam illam terram rapinis et incendiis devastarunt. Et abhinc ultima die Octobris, tentoriis replicatis et deportatis, castris incensis, recesserunt (d), et Pecti-paradis (e) declinaverunt. Quos Florentini hostiliter insequentes usque ad pontem Acidum (f) supra Leymam (g) venerunt. Quod partes Henrici et Baldewini cognoscentes, capitibus clypeisque reversis, ut lupi in agnos, in eosdem se rapuerunt (h).

Fit strepitus multus, fit magnus utrimque tumultus.
Capita truncata cadunt, lacerantur membra decora.
Acriter pugnatur; belli fortuna vagatur.

Tandem Florentinorum exercitus segregatur. Hi cornu dextrum caedunt, aliique sinistrum. Tandem Theutonici, magis animositate quam ferro armati, tot tot occiderunt, quod residui (i) fugerunt.

(a) Baluz. et Reub.: in sancto Saulo; male. Mussatus dicit: coenobium S. Salvi. Browerus interpretatur: S. Salviani aedes.
(b) Mart. et Honth.: currentes. De Arno fluvio sermo esse videtur.
(c) Baluz. et Reub.: „vadum transierunt, ita totaliter &c.“
(d) Mart. et Honth.: discesserunt.
(e) Baluz. et Reub.: Pectiperdis.
(f) Pons Axis: ita Mussatus. Apud pontem Atidum: legitur in cod. Trev. N°. 1462.
(g) Browerus legit: Einam. Mussatus loquitur de valle Ema.
(h) in eosdem saevierunt: cod. Lind.
(i) Mart. et Honth.: reliqui.

Dimissa parma fugit hic, sua dum capit arma.
Alter prostratus cadit in capiendo moratus.
Plurima quid dico? Nullus succurrit amico.

Et sic glorioso triumpho obtento, domini Henricus et Baldewinus ad S. Cassianum (a) diverterunt, et ibi aliquantulum (b) permanserunt.

CAPUT CCXLVII.

Cap. 16. De castelli sanctae Mariae Novellae per dominum Baldewinum facta violenta expugnatione, et repatriatione.

Verus fratris sui (c) adamator iste Baldewinus anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, die XVI. Novembris, castrum S. Mariae Novellae situando tentoria obsidione circumsepsit, maximam habendo pugnam. Sui sagittis et ictibus muros et inimicos hostiliter petierunt. Illi viriliter se (d) defendendo, non segnes tela, lapides jacientes, fortiter restiterunt (e). Tandem nimiis defensionibus fatigati defecerunt, et in domini Baldewini gratiam (f) eodem anno, XXV. die Novembris, se unanimiter donaverunt. Deinde (g) dominus Baldewinus, plurima capiendo castra, die Novembris ultima, burgum S. Cassiani est ingressus.

Isto tempore Marschalcus (h) Casele et totam terram violentia usque ad Sene (i) rapinis incendiisque devastavit. Hic dominus Baldewinus privilegium suae ecclesiae, quod Bopardienses et Vesalienses in sturis (k) et aliis Trevirorum archiepiscopo obediant et intendant,

(a) „Burgum sancti Cassiani opulentissimum, fere octo millibus passuum Florentiae vi„cinum": (Mussatus.)
(b) In Edd.: aliqualiter.
(c) Ibid.: „fratris adamator imperatoris", omisso sui.
(d) Ap. Mart. et Honth. deest: se.
(e) In edd. desiderantur haec verba: fortiter restiterunt.
(f) Baluz. et Reub.: et in dominum Baldewinum gratiam; omnino male.
(g) Ibid.: quod inde. (h) Caesaris. (i) Siena?
(k) Stura aut steura, i. e. vectigal, tributum &c.; est Germanica vox Steuer. Kyriander (op. cit.) legit: storis. Baluz. et Reub.: staris.

in pignore ab imperatore benivole obtinuit, quod utiliter impetravit. Datum apud S. Cassianum, in castris ante Florentiam, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, regni ejus quarto, imperii vero primo, Idus Decembris sexto.

Isto anno die Epiphaniae et multis aliis sequentibus (a) visa fuerat cometa in signo virginis tanquam situata. Fuit etiam eclipsis lunae multorum futurorum malorum praenosticativa (b).

Abhinc domini imperator et Baldewinus Pugebon (c) devenerunt, ubi imperator eodem anno, XV. die Januarii, more Trevirico scribi consueto, libertatem situavit, civitatem initiavit, et primum ponendo lapidem, Montem - imperialem appellavit (d). Post haec, civitate bene firmata, eodem anno, octavo die Martii, per Postelle (e) Pisanae civitati appropinquavit, ubi sibi cardinalis Ostiensis et multi alii obviantes, humiliter inclinantes solemniter eum receperunt.

Post tot triumphos (f) choreae diversae parabantur, multimoda hastiludia exercebantur. Quid plura? Gaudia gaudiis cumulantur. Ibi dominus Baldewinus ad suam terram visitandam breviter tamen reversurus (g), dominum imperatorem valefaciendo, XIX. die Martii in portu Pisano coepit navigio repatriare, anno Domini millesimo trecentesimo tertio decimo: XV. die Maji Trevirim in cunctorum laetitiam solemniter fuit ingressus.

(a) Ap. Baluz. et Reub. deest: sequentibus.

(b) Ibid.: praenosticantia

(c) Ibid.: Gebon. Pugebon auctoris nostri est Podium Bonici scriptoris Patavini, legimus enim (Lib. XI. Rubr. 3.): „Digressus Caesaris e S. Cassiano ad Podium „Bonici." — Podium Bonici (S. Boniti) est hodie Poggi - Bonzi.

(d) „Caesar ad Podium Bonici se contulit; ibidemque moratus, principum omnium consi- „lio in ejus montis apice se ad hyberna disposuit." Mussatus.

Auctor Vitae Clementis V. supra citat. p. 50. scribit: „Castrum de Podio Boniti „reaedificatur. Fertur autem quod imper. in porta orientali unum annulum, meliorem „quem habebat in digito, ibidem profundavit."

(e) Baluz. et Reub.: Pyescolle. Ap. Mussatum legimus (Lib. XI. Rubr. 13.): „E „Podio Bonici una die ad Pezodem" (al. Pezolem) „castrum permeans, altera Pisas „contendit."

(f) Mart. et Honth.: Post hos tot triumphos. Baluz. et Reub.: Hic post tot triumphos.

(g) Baluz. et Reub.: reversus, sed false.

CAPUT. CCXLVIII.

Cap. 17. De imperatoris obdormitione.

Subditorum cunctorum mitissimus defensator, rebellatorum vero rigidissimus extirpator, iste Henricus ad vesaniam Roberti, Siciliae regis, perdomandam, versus Neapolim, ubi ipse habitavit, iter capiebat (a), et veniens Bencovent (b), eodem anno XV. Augusti, id est, Assumtionis B. Mariae Virginis, missam more solito devote audiebat, et a quodam ordinis Praedicatorum religioso (c) Dominici corporis Christi sacramentum devotissime recipiebat; cujus sodalis ejusdem professionis ablutionem sumendam in calicem fundebat, quam ipse imperator fidelissime sumebat, et statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi medici intelligentes, ipsum nulla alia infirmitate quam intoxicationis materia graviter laborare, sibi indicarunt et devotissime supplicarunt, quod hanc intoxicationis materiam sineret eos per inferendum sibi vomitum radicitus revocare. Quibus fertur respondisse: Malo migrando ad Dominum diem claudere extremum, quam generare scandalum in sacramentum (d) Dominicum et detrimentum Christianorum. Et sic in illa infirmitate usque ad diem Augusti XXIV. laboravit, qui est dies beati Bartholomaei, omnium Apostolorum secundum sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum illius temporis (e) nobilissimus spiritum suo, qui fecit illum, reddidit Creatori (f).

(a) Ibid.: iter capiendo. (b) Bonconventum, Senarum pagus; h. Buonconvento.

(c) Quem alii nominant fratrem Bernhardum de Monte Peluciano aut Politiano. Vid. Johannis, Regis Bohemiae, Imperatoris filii, epistolam a Baluzio et Reubero editam. In poematis antiqui titulo: De Imper. Heinrici VII. obitu, legimus additum: quem F. Paulinus ordinis Praedicatorum, instinctu Florentinorum, in eucharistia intoxicavit. Vid. Rythmos cujusdam anonymi in Freheri Rer. Germ. Scriptor. T. I. p. 647. sqq.

(d) Baluz. et Reub.: in sacrum. (e) In edd. desideratur: illius temporis.

(f) Mussatus de mortis genere, quo obiit Henricus, haec habet (L. XVI. Rubr. ultima): „Caesar protendit gressum ad Orgiam fluvium XII. a Senis millibus passuum. „— — Ipse peracta paulisper coena perambulans, demum in fluvii ripa consedit, „mersis in torrentem cruribus, ubi diu aquae refrigeratione oblectatus, veluti lan„guore subeunte, lectisternium ante solitam abeuntis lucis horam petiit, quietique „accomodatus nequaquam sopitus est; sed prima vigilia sub dextri cruris genu pus-

Proh dolor! prospera in contrarium mutantur. Nam illud gloriosissimum Romanorum imperium a nullo fuerat regum, de tempore Frederici imperatoris, requisitum: unde fere (a) fuerat totaliter dissipatum, quod per istum maximis cum laboribus, praeliis et bellis fuit reparatum (b).

Et ecce cometae, et solis eclipsis in signo virginis prius causatae (c), significatio, cunctis viventibus lamentabilis, heu! heu! hic adimpletur. Quis enim dubitat, fidei catholicae solem eclipsim passum fuisse, cum post istius mortem multi haereses noscuntur extitisse? Quis superstes non vidit cometam comas caristiarum et discordiarum in omnes mundi partes quamplurimum diffudisse? Nam illud gloriosum Romanum imperium fere (d) fuerat revocatum, coadunatum, et in maxima parte restauratum; cujus recuperationis finis imminebat, quod, proh dolor! ista mors pessima, toti catholicae fidei nociva, pessime prohibebat. O mors pessima! quid fecisti? cur solem de mundo recepisti? solatium saeculorum, dominum armorum, aequitatem judiciorum, refugium (e) viduarum et pupillorum rapuisti, et quicquid fuit juris rigoris, mundi decoris, fidei honoris, interemisti, infecisti, et heu! omnimode confudisti?

Corpus vero ejus a domino Henrico de Flandria, marschalco

„tulam obortam deprehendit, qua multo dolore cruciatus noctem duxit insomnem. „— — Ad Bonconventum contendit pagum — ibique gravescente morbo, apud S. „Bartholomaei basilicam triduo recubuit, ubi VIII. Septembrias Kal. hora nona, ipso „S. Bartholomaei festo expiravit. — — Triplex illi interitus causa deprehensa est, „una in nate sub genu lethalis ulceris, quod Physici Antras vocant; altera scissae „ab stranguria vesicae, quo morbo assidue laborabat; tertia pleurisi, quam misso „jam spiritu vomuisse constitit.“ (Addit ad haec editor notam his verbis: Locus procul dubio mendosus.)

Pergit Mussatus: „Cavenda nimis sacrosanctae matris ecclesiae offensa Christico- „lis, cum et hujus praedecessorem fuderit apostolica sententia Fridericum, in quem „cum prole tota, veluti fulmen jaculata, irreparabile tulit exitium.“ —

Vide observationes nostras ad hoc caput in fine operis.

(a) Baluz. et Reub.: vere.

(b) Hunc locum ita legunt edd.: „quod per istum maximis cum laboribus, praeliis et „bellis anno Domini MCCCXIII. die praedicta.“ — sed haec lectio caret omni sensu; praeferenda itaque est illa cod. Eberh. Clus.

(c) Mart. et Honth.: causalis. Baluz. et Reub.: causatis. Vid. notas ad hoc cap.

(d) Edd.: vere. (e) Ibid.: solatium.

suo, et suis fidelibus flebiliter lamentantibus, Pisis fuerat relatum, aromatibus conditum, imperiali more redimitum, in ecclesia Pisana, eodem anno secunda die Septembris, solemnissime fuerat terrae commendatum (a). Spiritus vero ejus cum sanctis martyribus coronatus, in coelestibus electis conregnet omnibus per infinita saeculorum saecula. Amen.

CAPUT CCXLIX.

Liber tertius.

Prologus libri tertii.

Temperantia est virtutum praestantissima, qua nec superflua nec diminuta attentantur (b), quia circa abundantiam et defectum virtutes morales esse negantur, sed temperato inhaerere medio in ethicis affirmantur. Unde singuli historiographi singulos persequentes stylo quadam scriptitare temperantia conantur, ut nec superflui nec diminuti quomodolibet inveniantur.

In hac igitur historia, quaecumque superaddita seu conglobata inveniuntur, non superflue ponuntur, sed ut legentes ejus (c) intelligentiam capiant planiorem. Cum ergo ego, cunctorum vernula scriptorum, qua potui temperantia, non magistrali, sed rudi fateor stylo hanc historiam huc usque pertractaveram; dignum est, ut ei finem imponam, secundum illud: Nemo immittens manum aratro, respiciens retro, regno adaptatur divino. Dixi ideo corde intimo: Custodiam vias meas, terminando eas. Quomodo igitur procedam? Divinae recordor vocis Moysi dicentis: Fac

---

(a) „Tulere cadaver commilitones Germani, et superposuere lecticae vivum virum, sed „aegrum simulantes. Sed intolerabiliter olentis, in Paganico Senensi Colonia noctu „consumto ignibus humore, conditas aromatibus in utres reliquias per maritima ma„turo gressu ad suas Pisas advexere, ubi multo suorum luctu secus altare basilicae „cathedralis humatus est." Sic Mussatus in fine sui operis. Sepulchrum Henrici nostro etiam tempore adhuc extat in hac basilica magnifica, sed nunc in sacello Mariae Virginis in vicinia organi.

(b) Baluz. et Reub.: „quae nec superflua nec diminuta attentatur"; sed male.

(c) Ibid. omittitur: ejus.

secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Exemplar enim hujus historiae rubiginosis est quamplurimum maculis obfuscatum. Nam oblivioni est in maxima parte jamjam ministratum. Divinum ergo invoco auxilium, ut mihi det exemplar mente innovatum, memoriae revocatum, objecto clarissimo probatum, septuplum purgatum; de suae quoque magnitudinis sede sapientiam mihi mittat in adjutorium, ut mecum sit, mecum laboret, et me ab uberibus suae consolationis dignetur lactare, et torrente voluptatis domus suae potare, ut hanc historiam bono fine Deo, Trevirensi ecclesiae ad honorem, domino Baldewino et praesentibus ad favorem, et omnibus futuris ad exemplar utilitatis valeam terminare per eum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus per omnia saecula benedictus. Amen.

CAPUT CCL.

Cap. 1. De Ludowici regis per dominum Baldewinum procurata electione et coronatione.

Rancoris materia, heu! per lamentabilem mortem domini Henrici imperatoris, principis serenissimi (a), toti mundo illata, domini Almanniae principes electores vota sua in duo diviserunt. Nam Dominus Baldewinus cum Petro Moguntinensi (b), Waldemaro (c) Brandenburgensi, et duce Saxoniae (d), et Johanne rege Bohemiae, qui ultra mille galeatos Bohemicos secum adduxerat, ante Frankenfort, anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto, in crastino beati Lucae Evangelistae, dominum Ludowicum ducem Bavariae; Henricus vero Coloniensis archiepiscopus per nuntios suos, et Rodolphus dux Ba-

(a) Edd.: strenuissimi.

(b) Legimus chartam Petri Moguntinensis, datam Confluentiae, anno M. CCC. quarto decimo, Id. Augusti, qua promittit, se non pronuntiaturum in causa electionis novi Rom. Regis, controversa inter Archiepiscopos Trevirensem et Coloniensem. Vid. Auctarium II. codici Epist. Rudolfi I. per Bodmannum additum, p. 327. Consilium suum postea mutasse videtur Archiepiscopus Moguntinus.

Haec et sequentia de electione Ludovici Imperatoris ap. Mart. et Honth. clare, ap. Baluz. et Reub. valde confuse narrantur.

(c) Al.: Wulmaro, Wolkmaro, Wockmaro, Woldemaro.

(d) Johanne, Duce Saxoniae inferioris.

variae, dicti Ludowici frater, in Sassenhusen Fredericum Austriae ducem in Romanorum regem elegerunt (*). Qui Fredericus in Bunna per Coloniensem archiepiscopum extitit coronatus; sed Ludowicus electus per dominum Baldewinum Aquisgrani fuerat adductus cum potentia, habens secum Wilhelmum Juliacensem, Adolphum comitem (a) de Monte, et nobiles, quos sua pecunia acquisierat, ultra quatuor millia galeatorum, in propriis expensis una suisque expensis, per terram Coloniensis archiepiscopi contra ejus voluntatem, Coloniam duxerat, quem cives Colonienses (b) ad domini Baldewini preces in regem Romanorum (c) communiter receperunt.

Hic dominus Baldewinus libertates suae ecclesiae et privilegia fecerat innovari et confirmari (d), sibi ab imperio impignorata corroborari, et comites Palatinos pro se et omnibus suis heredibus omni suo juri (e) in Monasterio-Meynfeld (f) et Thuron procuravit simpliciter renunciare. Fecerat etiam dominum Johannem regem Bohemiae, et Petrum archiepiscopum Moguntinum ad omnia praedicta consensum suum adhibere, et per omnia approbare.

Isto etiam tempore (g) pontes lapideos, unum supra ripam Kile (h) prope Yranck (i), alterum supra ripam Rovere (k) dictam funditus

---

(*) In supradicto Auctario (pag. 329. sq.) impressa est charta continens pactum Luipoldi, Ducis Austriae, cum Henrico Archiepisc. Colon. super eligendo Friderico, et assecurationem Archiepiscopi de recipienda eo nomine grandi summa pecuniae (scilicet quadraginta millia marcarum argenti puri et examinati, veri ponderis Coloniensis, et duo millia pro consiliariis suis). —

(a) Ap. Mart. et Honth. deest: comitem. — „Ludovicus Aquisgrani a Moguntino „et Trevirensi, in loco quo debuit, sed non a quo debuit: Fridericus vero in „Bunna a Coloniensi, a quo debuit, sed non in loco in quo debuit, coronati sunt“: sic Albert. Argent. pag. 119.

(b) Ap. Mart. et Honth. omittitur: Colonienses.

(c) Ibid. desideratur: in regem Romanorum.

(d) Ibid.: innovare et confirmare.

(e) Baluz. et Reub.: omni suo jure.

(f) Mart., Baluz. et Reub. habent abbreviaturam: Mon. — Honth. scribit: Monserath, sed male. Conf. Diploma Ludovici Regis 2. Decemb. 1314., datum Coloniae, in quo legimus: „Et specialiter quitamus ea, quae habemus et habere possumus vel debe„mus in oppido Monasterio-Meynfeld et in castro Thuron &c.“ — Hist. Trev. dipl. T. II. p. 91. sq. —

(g) Mart. et Honth.: Isto etiam exemplo; male.

(h) Mart. et Honth.: Keile.

(i) Ibid.: Vranck (Ehrang).

(k) Ruwer. — Baluz. et Reub.: ripam Riviere; male.

instauravit. Hinc sancti Beati juxta Confluentiam (a) collegium duodecim canonicorum paravit, et per papam confirmari procuravit.

Isto tempore fuit fames permaximaque caristia in tota ista terra: ita quod maldrum siliginis vendebatur Treviris pro quinquaginta solidis monetae tunc gravis. Cellis in Hammone venditum est maldrum tritici septem libris Hallensibus gravium Trevirensium pro XIV Hallensis (b). Etiam pestilentia universalis erat adeo magna, quod multorum pauperum corpora (c) exanima, fame (d) et pestilentia infecta, in stratis publicis inveniebantur, et a pluribus civitatibus magnae generales foveae in cimiterium consecratae parabantur, et pretia statuebantur, ut ipsa cadavera sepulturae traderentur (e). Istae plagae, heu! post mortem lamentabilem Henrici imperatoris in flagellum omnium nationum statim esse coeperunt, et plus quam per triennium miserabiliter duraverunt. Unde quidam metrificator:

Ut lateat nullum tempus famis esse cucullum.

CAPUT CCLI.

Cap. 2. De Johannis regis obsessi per Baldewinum facta liberatione.

Eorum (f) regem et dominum Johannem, Baldewini nepotem, aliqui in Bohemia domini, scilicet dominus de Lippa et sui, volentes ipsum

---

(a) Ibid.: Confluense. Vid. diploma Balduini, datum anno 1314., tertia die mensis Januarii (1315. styl. com.) in Güntheri cod. dipl. Rheno-Mosell. T. III. P. 1. p. 165. sqq. — His canonicis successerunt Carthusiani anno 1331. Vid. Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 116. not. c. — et additamentum ad hoc cap. in fine voluminis.

(b) Hic locus in edd. Baluz. et Reub. sic male legitur: „vendebatur Trevirim pro sexaginta „solidis. Tunc Graviscellis in Hammone venditum est maldrum tritici septem libris „Hallensibus, grossis tribus, pro XIV. h." — Conf. Brow. Annal. Trev. Tom. II. pag. 198.

(c) Mart.: corda; sed videtur error typographicus.

(d) Edd.: „ex nimia fame et pestilentia fame infecta"; omnino corrupte.

(e) Anno 1314. et sq. Vid. Brow. l. c. et Trith. Chron. Hirs. T. II. p. 138. — Joh. Vitodurani Chronicon ap. Eccardum pag. 1787.

(f) i. e. Bohemorum.

de proprio pellere regno. Quod factum nuncium per celerrimum (a) ad aures principis Baldewini Trevirim fuerat delatum, qui momentaneum colligens exercitum nobilium plus quam mille galeatorum, assumto secum (b) Petro Moguntino archiepiscopo, Bohemiam hostiliter invaserunt, et castra et oppida viriliter expugnaverunt. Quod intelligentes inimici, fugam turpiter inierunt; et sic rege liberato, rex (c) et Baldewinus convenerunt, et obviis se manibus laetantissime receperunt, et in amplexus amicabiles irruerunt, et ultra dimidium annum in Bohemia pro pace reformanda et fortalitiis recuperandis dictus Baldewinus remansit.

Eodem tempore domini Johannes rex et Baldewinus Ludowicum suum regem in Bavaria per Fredericum ducem quasi obsessum intellexerunt; cui toto cum suo cuneo, Petro archiepiscopo in Bohemia remanente, perrexerunt in auxilium (d), et in Ezlingen (e) convenerunt, et ibidem in ripa permaximum permiscentes praelium diei circa crepusculum cum accensis cereis acriter pugnarunt. Ibi dominus Baldewinus regem Bohemiae militem fecit; propriis enim (f) manibus pretiosissime armatus, gloriosus praeliabatur. Tandem Fredericus cedere coactus, abhinc declinavit, et se per fugae subsidium turpiter absentavit.

Sequenti anno Domini millesimo trecentesimo decimo quinto, videlicet in ipso ultimo caristiae anno, Ludowicus et Fredericus ante Spiram convenerunt, ubi Ludowicus in praesidium suorum se recepit in cimiterium Judaeorum, ubi ambo maxima victualium penuria laborarunt: ita quod nobiles rapas effodientes, esuriei satisfacientes, ipsas comedere artabantur. Quod dominus Baldewinus intelligens, maxima cum potentia et victualium quantitate copiosa adveniens, plurima regi Ludowico victualia ministravit, et ipse cum Frederico duce praeliandi castra ante Spiram situavit. Fredericus vero cernens, Ludowicum regem et Baldewinum archipraesulem praevalere, Austriam repetivit.

(a) Baluz. et Reub. habent satis false: nuntium per Cellerarium.
(b) Edd.: assumto cum eo. (c) Ibid. additur: apud . . . . rex.
(d) Idid. desideratur: in auxilium.
(e) Al.: Ezzelingen, Eszelingen (h. Esslingen).
(f) Edd. legunt: prope cum manibus.

Ibi Baldewinus multa suae ecclesiae impetrans privilegia, et Bopardiam et Wesaliam, et additionem Galgenscheit (a) in pignore suae ecclesiae cum hulda acquisivit, et Trevirim remeavit.

CAPUT CCLII.

Cap. 3. De pacis terrae conspiratione, Bruel prope Coloniam obsidione et in manus domini Baldewini donatione (b).

Vitae laboriosissimae iste Baldewinus noscitur extitisse. Nam anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto dominus Baldewinus, et fere omnes principes electores, Aquensis (c) et civitates Rheni majores, ad Ludowicum regem in Noyremburch (d), et postea in Bacharaco congregati, totius terrae pacem juramentis confirmantes, conspiraverunt, thelonia minuerunt, et comitem Hannoniae terrae advocatum partibus in inferioribus praefecerunt.

Hic dominus Baldewinus Bacharacum (e) et Rombulla (f) cum hulda pro maxima pecuniae summa ecclesiae suae in pignus recepit. Sterrenberch (g) alienis obligatum (h) sibi donari redimendum impetravit, quod et redemit, et eo suam augmentavit ecclesiam.

Sequenti vero anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, dominus Henricus Coloniensis archiepiscopus pro Tulpeto (i) suae ecclesiae reddendo comitem (k) Juliacensem diffidavit (l). Cui

---

(a) Baluz. et Reub.: Balgincheit. Galgenscheit, Rhenum inter et Mosellam, versus montana castelli Schonec, scribit Browerus. Vid. Diploma Ludowici Imperatoris in Güntheri Cod. dipl. Rheno-Mosellano, l. c. p. 160. sqq.

(b) Ibid.: et etiam domini Baldewini dominatione.

(c) Edd. legunt: Aquensem.

(d) Ibid.: Noremberch. Al.: Nuwerburg (Norimberga?).

(e) Mart. et Honth.: Bacheracenses; Baluz. et Reub.: Bacheracensis.

(f) Baluz. et Reub.: Rotibula. Rombulla forte h. Rheinböllen.

(g) Mart.: Sterzenbech; Baluz., Reub. et Honth.: Sternenberch. Cod. Trev. N°. 1462.: Sterneberg. Diploma Ludovici Regis de anno 1320 (ap. Günth.): Sterinberg.

(h) Baluz. et Reub.: alienis legatum.

(i) Tolbiacum Romanorum, h. Zülpich.

(k) Edd. addunt: W. comitem; sed eo tempore Gerhardus Juliae Comes fuit.

(l) Al.: diffeodavit.

comiti dominus Baldewinus in adjutorium expeditionem non modicam suis sumtibus destinavit, cum inimicitiae adhuc inter dictos archiepiscopos regnarent propter electionis dissentionem. Quam expeditionem comes in Tulpetum per duodecim hebdomadas et quatuor dies collocavit. Unde in dicta expeditione existentes (a), saepe cum Henrici partibus diversos habendo conflictus, alios necando, alios vulnerando, continue triumpharunt, et Tulpetum defensando viriliter conservarunt.

Eodem anno Stirberch prope Egram a lantgravio de Leutimberch (b) legitima emtione facta, feudum ligium et aperibile suae in perpetuum esse ecclesiae, ut in literis continetur, utiliter ordinavit. Isto etiam tempore Witlich et Meyen muris circumdedit, et canonicos regulares de Loench (c), propter frequentem hospitum visitationem depauperatos in Meyen, transtulit, ecclesiam ibidem eis incorporavit, claustrum eisdem aedificavit, ut regulam canonicorum possent liberius conservare.

Isto etiam anno et sequentibus Henricus Coloniensis archiepiscopus, Johannes comes de Crucenache, et plures alii, cum essent de parte ducis Frederici (d), conspiratam terrae pacem frivole violarunt; nam omnes sua territoria transeuntes rigide spoliarunt. Propter quod cives Colonienses castrum Bruell (e), anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo plus quam per tres menses obsidione compresserunt. Tandem hoc castrum voluntate civium in manus domini Baldewini fuerat collatum, in hunc tamen modum, quod si Henricus Coloniensis archiepiscopus pacem terrae non servaret, ipse dominus Baldewinus hoc castrum in manus Coloniensium traderet destruendum.

Et post in Septembri magnus terrae motus factus est, qui per longam moram duravit (f). Sequenti vero anno millesimo trecentesimo decimo nono (g) dominus Baldewinus, magnum conglomerando exer-

(a) Edd.: existens. (b) Leuchtenberg. Al.: Luckeenbergh.

(c) Al.: Lonche, Loenche, Loneche (Lonnich). Diploma translationis collegiatae ecclesiae de Lonnich in oppidum Meyen datum est 1. Decemb. 1326. Vid. Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 108. sqq.

(d) Baluz. et Renb. omittunt: Frederici. (e) Al.: Brule, Bruele.

(f) In edd. omittuntur verba: factus est qui.

(g) Ap. Mart. et Honth. male legitur: octavo.

citum, in Ludowici regis adjutorium contra Fredericum ducem castra ante Wyssebaden (a) in loco Scherffsteyn (b) dicto situavit, ubi Fredericus dux intelligens, Ludowicum et Baldewinum praevalere, repatriavit (c). Baldewinus vero, quod Bopardienses, si ei non vellent obedire, posset auctoritate regia diffidare (d), impetravit, et Trevirim remeavit.

Isto etiam tempore et anno cives Colonienses Henricum, eorum archiepiscopum, pacem terrae violasse coram domino Baldewino legitime probaverunt, supplicantes castrum Bruell sibi dari violandum, pro quo etiam maximam (e) pecuniarum summam spoponderunt. Quod dominus Baldewinus, licet archiepiscopus Henricus sibi tunc capitalis esset inimicus, facere recusavit. Nam dilapidationem Coloniensis ecclesiae nequaquam voluit tolerare, sed in manus eorum supra memoratum castrum (f) dedit, non violandum, sed archiepiscopo resignandum pace reformata. Quam pacem ipse dominus Baldewinus postea in Frauwenkyrchen (g) prope Andernacum benivole ordinavit.

CAPUT CCLIII.

Cap. 4. De Moguntinensi ecclesia prima vice domino Baldewino commissa, de Crucenache et Kestelun obsidione, et Baldensteyn fundatione.

Æternae memoriae dominus Baldewinus, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, maximis armatorum catervis in auxilium sui Ludowici regis Argentinam sumtuosissime perrexit; ubi cum Frederico duce praelium libentissime miscuisset, si ipse Fredericus perstitisset; qui cum suam partem deteriorem cerneret, vadum Bruze (h)

(a) Edd.: Wesebaden (Wiesbaden). (b) Schierstein.
(c) Deest ap. Baluz. et Reub.: repatriavit. (d) Al.: diffeodare.
(e) Deest in edd. Bal. et Reub.: maximam.
(f) In edd. non legitur: supra memoratum castrum.
(g) Edd. Mart. et Honth.: Wrawenkirchen. Baluz. et Reub.: Vrawenkathen, omnino corrupte.
(h) Brusca, Breusch.

transequitavit, et, ut ita dicam, non fugiendo, sed plures coadjutores requirendo, repatriavit.

Isto tempore dominus Petrus, Moguntinensis archiepiscopus, recordationis felicissimae, defunctus saeculo, de carnis ergastulo feliciter migravit (a). Quo defuncto, Moguntinense capitulum ante Argentinam venit ad dominum Baldewinum, totaliter congregatum, et ad sanctam Moguntinensem sedem in capitulo concorditer ipsum postulaverunt. Et ecce non post multum temporis intervallum venit quidam (b) nigrorum de ordine monachorum, Mathias nomine (c), electus et confirmatus a papa (d) in archiepiscopum Moguntinensem destinatus; qui se omnimode in domini Baldewini gratiam donavit, electionem domini Ludowici regis per dominum Baldewinum approbavit; et cum ipso sibi utiliter conspiravit. Unde dominus Baldewinus ipsum a capitulo in archiepiscopum receptari feliciter procuravit, de sua postulatione facta gratiarum multimodas referendo actiones.

Post haec anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo Rodolphum (e), ducem Bavariae, comites de Spaenheym, Nassauwe, et Johannem comitem de Crucenache armis fuerat bellicis viriliter aggressus et castrum Sprindelingen (f) captum violenter obtinuit; et deinde ante Crucenache venit, incendia usque ad portas inferendo; et Johanni comiti ibidem plurima in blado et vino inferendo damna, ad maximam interemtionem deduxit. Postea in Spaenheym (g) quaecunque extra castrum repererat, crudeliter vastavit, et dehinc Kestelun (h), quod erat Simonis antiquioris fratris domini Johannis comitis, circumdedit; et cum ibidem multa intulisset damna, neptis sua de (i)

(a) Anno 1320., quarto die mensis Junii obiit Petrus, ex medico quondam Comitis de Lutzelburgo, Moguntinensium Archiepiscopus. Conf. Trith. Chron. Hirs. ad annum 1320.; — Brow. Annal. Trev. II. p. 200. — Serarii Mogunt. rer. l. v. p. 851.

(b) In edd. Mart. et Honth. non legimus: Et ecce non post multum temporis intervallum venit quidam.

(c) Mathias de Buchek, nobilis Burgundus, monachus Benedictinus Murbacensis in Alsatia monasterii.

(d) Johanne XXII.

(e) Baluz. et Reub.: Adolphum.

(f) Sprendelingen in comitatu Sponheim.

(g) Al.: Spaynheym, Spanheim (Sponheim).

(h) Al.: Kestelim, h. Castellaun.

(i) Ap. Mart. et Honth. deest: de.

Valkenburch exorta, illius terrae comitissa, suis cum infantibus descendit, et se aspectui domini Baldewini praesentavit, et flebili voce, allatis filiis, clamavit: O pater reverende, numquid carnem tuam vis et sanguinem egestati dare, quam potius debueras a cunctis defensare malis (a), cum tui sint consanguinei? Pater recordare, et parce nobis hodie; nam potens es salvare! A quibus dictis pietatis visceribus ab intimis motus, humiliter recessit.

Eodem anno Baldensteyn supra Lanam propter rebellionem Reyneri et Johannis fratrum (b) de Westerburch a fundamentis violenter erexit (c), castrumque Rychenberch tunc construxit, quod Wilhelmo comiti Catzenellebogen in feudum ligium cum omnibus pertinentiis dedit, et anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo ipsius castri Baldensteyn fundum (d) ab illis de Westerburch suae ecclesiae in perpetuum allodium comparavit. Et eodem anno conveniens in Bacharaco ipsum castrum auctoritate regia libertari (e) procuravit, et retentiones in omnibus imperii castris contra quoscunque, et quod omnia imperii obligata ubicunque posset redimere, impetravit, et castrum Schadeck (f) feudum ligium et aperibile, facta emtione legitima, procuravit, et Esch prope Clotten muro circumduci et libertari fecit.

Isto etiam anno dominus Baldewinus illos de Dorswylre (g) ad satisfaciendum suae Trevirensis (h) ecclesiae capitulo, maxima expeditione congregata, coartavit.

(a) In ed. omittitur: malis.
(b) Ap. Baluz. et Reub. deest: fratrum.
(c) Der Baldewinus der schlug ein Burgk bey die Lahn, aus neit deren von Limburg, die nente er Baldenstein. Sie fasti Limpurgenses.
(d) Baluz. et Reub.: feudum.
(e) i. e. manumittere, libertatem impertiri. Edd. legunt, libertati; vitiose.
(f) Haud procul Vilmaria, apud Loganam fluvium.
(g) Nobilis familia de Dorsweiler.
(h) Ap. Baluz. et Reub. deest: Trevirensis.

CAPUT CCLIV.

Cap. 5. De Frederico duce capto per Johannem regem Bohemiae, et de Furstenberch obsidione.

Recipere pacem, jure suo semper salvo, iste Baldewinus promtissimus habebatur. Nam anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo secundo, feria V. post Bartholomaei, cum heredibus Rodulphi ducis Bavariae et comitibus Nassauwe et Spaenheym, qui adjutores erant Frederici, ducis Austriae electi, contra Baldewinum, fuerat pacificatus, et (a) multorum precibus inclinatus, castrum Kyrperch (b) suae ecclesiae aperibile ligium a Simone de Spaenheym comite acquisivit, et terram, quam undique violenter acquisierat, restituit. Dicti enim ducis Bavariae pignus, Bacheracum, domino Baldewino per Ludowicum assignatum confirmarunt (c). Eodem anno Ludowicus rex, et Fredericus convenerunt in Ochingen (d) et Molendorff (e) congressione praeliali. In quo praelio dominus Johannes, rex Bohemiae, domini Baldewini nepos, strenuissime pugnavit, et totum ipsius Frederici exercitum dissipavit, adnihilavit totaliterque prostravit, die sanctissimi antecessoris sui Wenzelai regis (f), ipsumque Fredericum cepit (g), et captum Ludowico regi, sub hoc pacto quod ipsum non occideret, honestissime assignavit (h).

Sequenti vero anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo tertio, et pluribus sequentibus annis, Mars et Saturnus in geminorum erant coadunati signo; de quo astrologorum erat praenosticatio, quod

---

(a) Ibid. deest: fuerat pacificus et.

(b) Kirchberg inter Mosellam et Navam.

(c) Baluz. et Reub. hanc periodum sic legunt: „Dicti etiam duces Bavariae Bache-„racum domino Baldewino p. l. confirmaverunt assignatione.“ Sed minus accurate, ut apparet ex diplomate Mechtildis et filii sui Adolfi, Bavariae Ducis, nec non Johannis, Comitis de Nassau, et Johannis, Comitis de Sponheim-Creuznach, sociorumque. Vid. hoc diploma, germanico idiomate editum, apud Güntherum, l. c. pag. 205. sq.

(d) Al.: Ochingin. Oetingen. (e) Mühldorf. (f) IV. Kal. Oct.

(g) Mart. et Honth. addunt: Fridericum regem.

(h) Alb. Argent. et Trithemius pugnam ad Mühldorfium anno sequenti, 1323., produnt, sed minus accurate; pugna enim haec, qua Fridericus Austriacus in hostium pervenit potestatem, ad IV. Cal. Oct. 1322. referenda est.

multa deberent praelia per diversa mundi climata saeviter regnare; diversae quoque haereses in Dei ecclesia, proh dolor! pullulare.

Eodem anno dominus Baldewinus Wellensteyn prope Crucenache a Frederico, duce Silvestri (a), Nuwenberch prope Kyr (b), castrum et turrim Seynheym (c), feodum ligium et aperibile comparavit, et regem Bohemiae feodo in Symern renuntiare procuravit, quod ligium et aperibile Georgius, comes Hirsutus (d), a Baldewino et ecclesia sua Trevirensi cum certis (e) pertinentiis recepit, exceptis infinitis feodis castrensibus (f), ut in suo privilegiorum libro plenius continetur.

Post haec anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo quarto Smydburch (g) et partem de Vyrnenburch, Bylsteyn prope Wetflariam (h), Wylre et Neyne (i) feoda ligia et aperibilia fecit, ecclesiae comparavit, et comitem de Hennenberch XLI. marcarum argenti annuorum redituum feodalem statuit, quos reddidit Trevirensi ecclesiae, et in sua terra assignavit (k).

Isto etiam anno Domini, Baldewinus, rex Bohemiae (l), dux Lotharingiae, et comes Barensis confoederati fines Metensium exercituali potentia ingressi, quicquid extra civitatem proprietatis habuerunt,

---

(a) Baluz. et Reub. male: et Friderici Silvestri. — Vid. diploma Friderici (apud Günth. l. c. p. 212. sqq.) his verbis incipiens: Wir Frederich Wildgreue von Kirberch Ritter &c. &c.

(b) Neuenburg prope Kirn. Vid. diploma Conradi Junioris, Comitis Hirsuti &c. op. cit. p. 214. sq. — Edd. Mart. et Honth. legunt minus accurate: Kircastrum. In praefato diplomate legimus: „fortalitium nostrum Nuenburg situm prope Kyr.“

(c) Vid. diploma Ottonis de Senheim ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. p. 101.)

(d) Frater dicti Conradi.

(e) Edd. omittunt: certis.

(f) Baluz. et Reub.: exceptis mismicis et castrensibus.

(g) Vid. diploma germanica lingua exaratum Henrici de Schmidburg (Hinrich Wiltgreue von Smideberg) ap. Günth. op. cit. p. 223. sq.

(h) Vid. diploma Joannis de Nassau de feudo ligio castri Bylstein prope Wetzlariam in Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 102. sq.

(i) Vid. diploma Gerardi de Neue (Neef) filii Eberhardi de Sponheim in Günth. op. cit. p. 226. sq.

(k) Baluz. et Reub. totum hunc locum sic legunt: „Smydeburch et partem Neurenburgi „ligia et aperibilia fecit, et comitem de Hennenberch XLI marcarum agenti annuo-„rum redituum feodalem statuit, quos reditus ecclesiae Trevirensi in sua terra as-„signavit.“

(l) Rex Romanorum: ibid. false.

decoris et honoris, funditus destruxerunt, et eorum rebellionem nefandam penitus perdomarunt, et singulis ad emendam praestandam, prout excessus imponebatur, coartarunt (a).

Isto anno fuerat quidam sacerdos Coloniae degradatus, et propter haeresim crematus, et fere (b) tota civitas fuerat infecta pravitate haeretica, et vix purgata: quae haeresis a Moguntia (c) dicitur fuisse initiata (d).

(a) Sensum hujus loci sic reddidit cod. Lind.: „singulisque pro excessuum quantitate „emendam praestandam injunxerunt." — Conf. diploma foederis inter Baldewinum Archiep. Trev., Joannem Regem Bohemiae, Ferdinandum Ducem Lotharingiae, et Eduardum Barri Comitem adversus cives Metenses (lingua gall. scriptum) ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. t. cit. p. 103. sq.)

(b) Baluz. et Reub.: vere. (c) Ibid.: a Moguntinensibus.

(d) Trith. (Chron. Hirs.) refert hoc factum ad annum 1322. — Eo tempore (jam primo saeculi XIV. decennio) Begardi (unde sic dicti, non satis constat) provincias Rhenanas infecerunt. Non possumus, quin adscribamus hic, quo res magis sit in aperto, et de ea lectori clarius satisfiat, locum Wilhelmi monachi Egmond. in suo Chronico (Matthaei Veteris aevi Anal. II. p. 643. sq.), quo facinorosam Begardorum et Begardarum vitam signat (†): „Begardorum nequitia," (inquit) „quae diversis mundi climatibus hactenus latere cernitur, apud Coloniam propalatur. Isti enim eorum ibidem stultitiam praedicantes, et matronas varias ad ipsorum ludibria „contrahentes sub terra quoddam mirabile habitaculum fecerant, „quod Paradysum vocabant. Omnibus enim illico divitiis affluebant. Ad quem „locum, ut saepius, etiam in nocte Parasceves convenire decreverant, ubi cujusdam „potentis uxorem cum ceteris invitabant, cujus maritus, non modicam contra ipsam „suspicionem habens, lorica munitus alioque habitu indutus, cum ceteris hujusmodi „paradysum ingrediens, sed in angulo privatim se recipiens, gestorum diversitates „nititur discutere, et finem sub silentio exspectare. Quorum medio quidam ipsorum „reputatione valentior, fuerat enim inter ceteros eloquentior, nititur surgere, in Jhe„su suaeque matris Mariae, ut ajebat, praesentia erroris materiam propalare. Duo „enim, ut per conceptionem loquar, ibidem aderant, qui se Mariam et ejus filium as„serebant. Dictus itaque nudus praedicans, et omnes more innocentum ad „nuditatem exhortans, vario errore tam prima quam media nititur detegere, „et conclusionem tenebris, extinctione candelarum videlicet, de„turpare, ubi dum quilibet porcorum more suam nititur subjicere „&c. &c. — — Dictus potens" (maritus) „die crastina cuncta quae viderat nititur „propalare. Capiuntur igitur hujus sectae singuli, quorum corpus aut ignis voragine „aut Rheni flumine suffocatur." — —

— Statuta provincialia Concilii Trevirensis, Balduino Archiep. praesidente celebrati (anno 1310.) excommunicant hanc sectam. Vid. cap.

†) In quibusdam actibus fere similis improbitatis perversitatisque viri et foeminae, in certis Germaniae partibus nuper, ut fama est, existentes, Mucker vocati sunt!!

Post haec, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto, dominus Baldewinus Furstenberch circumdedit, et in obsidione diu mansit: postea condignam recipiens satisfactionem recessit. Eodem anno Winterburch (a) a Johanne, comite de Spaenheym, feodum ligium et aperibile ecclesiae comparavit.

Et anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo sexto Ludowicus rex fuerat Romam pacifice ingressus absque electorum suorum consilio, et non ab ecclesia, sed a senatu fuerat in imperatorem coronatus.

XXXIX., quod habet: „Cum quidam sint laici in civitate Trevirensi, dioe„cesi et provincia, qui, sub praetextu cujusdam sanctae religionis, Beghardos „se appellant, cum vestibus talaribus et tunicis longis et capuciis largis, otio inten„dentes, ac labores detestantes, conventicula inter se aliquibus temporibus faciunt „et conservant, seque fingunt coram personis simplicibus expositores sa„crarum scripturarum &c. &c. —

Alius scriptor, horum temporum aequalis, Stero Altahensis, ad an. 1311. meminit: „Dixerunt (Begardi) inter cetera, hominem eundo de virtute in virtutem „perfectiorem Christo posse fieri &c. —

De hac haereseos specie ejusque articulis, disputant etiam Annales Novesienses (op. cit. p. 581. sq.). Ibi enim legimus: „Anno 1322. Coloniae deprehensus „Lollardus quidam, nomine Walterus, magister et princeps scholae haereticorum il„lius sectae, de qua supra (†); qui editis a se libris, in quibus false torquebat sa„cram scripturam, et oblatis mulierculis, magnam multitudinem infecit. „Comprehensus autem errores suos acriter defendebat, unde per sententiam ad ignem „damnatus, combustus fuit: multos post se in Colonia relinquens discipulos."

(a) Edd.: Winterbergh. In diplomate Balduini de anno 1325. (ap. Günth. l. c. p. 230. sq.) legimus: „fortalitium dictum Winterburg Maguntinensis dyocesis."

(†) Ubi hujus haereseos articuli fusius recensentur hoc modo: „Dicebant, Missam vanitatem esse. „— Luciferum cum daemonibus suis coelo injuria pulsum, tandemque beatitudini cum omnibus „suis restituendum. — Maria si virgo mansit post partum, non hominem sed angelum peperit. „— Sacramentum Baptismi irridebant. — Sacramentum Poenitentiae turpiter vitiabant, confiten„tes non sacerdotibus, sed laicis. — Sacramentum Dominici corporis non credebant, hostiam con„secratam Deum fictitium appellantes. — Sacramentum quoque Matrimonii juratum meretricium „in vulgari nuncupabant. — Sacramentum extremae Unctionis irridebant, dicentes: Nos credi„mus, quod olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto esse meliora. — — Item dicebant, „Deum non scire, nec punire mala quae sub terra fierent: inde in speluncis et cavernis subter„raneis convenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre indifferenter tur„pitudinem carnis suae exercebant. &c. &c."

CAPUT CCLV.

Cap. 6. De Bopardiae expugnatione, sancti Wendelini emtione, et ecclesiae Moguntinensis domino Baldewino facta secunda (*) commissione.

Omen bellicosum saepius iste Baldewinus fuerat sortitus. Nam anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo septimo dominus Baldewinus domino Mathiae, Maguntinensi archiepiscopo, qui marchionatus Missenensis (a) oppidem Tzo den Gyessen (b) appellatum obsidione vallaverat, et expugnare nequiverat, adjutorialem expeditionem destinavit; deinde personaliter veniens, hoc oppidum viriliter expugnavit. Et cum tota sua acie dominus Mathias Moguntinensis in adjutorium (c) domini Baldewini Bopardiae properavit; ubi dominus Baldewinus magnam cum eis habendo pugnam, eorum portas invadendo viriliter violavit, potenter intravit, et forinseci Bopardiae partem oppidi cum suburbio, contra tamen intentionem domini Baldewini cremaverunt: sic eos requirere suam gratiam malis eorum gratibus coartavit; qui se, oppidum, bona et corpora, suam implorando gratiam, voluntati suae unanimiter reddiderunt, et sibi et suae ecclesiae subjectionem et fidelitatem perpetuam juraverunt, juribusque, libertatibus et privilegiis suis renuntiantes, omnia domino Baldewino se et sua submiserunt (d).

Isto anno totum sancti Wendelini (e) castrum et districtum com-

---

(*) Balduinus, ut Gesta docent, ecclesiam Moguntinam bis ministravit. Primum anno 1320. post decessum Petri Archiepiscopi; deinde anno 1328. post obitum Mathiae.

(a) Edd.: marchionis Misnensis.

(b) h. Giessen. Edd. legunt: Suden Geysen; satis confuse.

(c) Ibidem sic legitur: „destinavit, deinde personaliter veniens: unde hoc oppidum vi-„riliter expugnavit, et cum tota sua acie in adjutorium &c." Lectio minime probanda. — Hanc Giessae obsidionem et expugnationem Trithemius perperam ad annum 1320. refert.

(d) Vid. Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 111. sq.
Bopardiam titulo pignoris, ab hoc expugnationis tempore, ad electoratum Trevirensem pertinuisse, probatur diplomate Archiepiscopi Trevir. Joannis ab Isenburg, de anno 1551., 27. April., quod legimus in Archivo Carmelitar. Bopard. ms., N°. 1332. in bibl. Trev. sign.

(e) Al.: Wandelini.

paravit. Sequenti vero anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo octavo quaedam dissensionis materia inter dominum Baldewinum et comitissam de Starkenburch (a) super quibusdam bonis in Birckenfelt exorta fuit (b). Super qua Henricus de Spaynheym praepositus Aquensis, et Emichus de Lapide (c) miles, pro comitissa et suis treugas domino Baldewino in manus suas Grymberch promiserunt. Interim dominum Baldewinum per Mosellae alveum navigio descendentem, non praemunitum, non diffidatum, comitissa praedicta proditorie (d) pendentibus treugis, captivum in suo castro Starkenburch tenuit captivatum; a qua captivitate, promissione facta se in sua vita nullum castrum in Birckenfelt constructurum, liberum tamen aedificandi arbitrium suis relinquendo posteris, fuerat liberatus (e).

Eodem anno Mathias Moguntinensis archiepiscopus viam univer-

(a) Al.: Starkenberg (Castrum ad Mosellam).
„Lorette Grevinne von Spainheim vnd Vrouwe zu Starkenburg." Sic in variis chartis. — Lauretta uxor erat Henrici Junioris ex progenie Comitum de Sayn, qui Henricus (Trithemius eum dicit Comitem Mosellanum) eo tempore ad sanctum Christi sepulchrum profectus, domi non fuerat.

(b) Deest: fuit, in edd.

(c) Mart. et Honth.: Emicus. Baluz. et Reub.: Emmericus. De lapide superiore: habet Trithemius. (h. Oberstein.)

(d) Baluz. et Reub. proditione.

(e) Al. legunt: suis relinquendo, postea &c.
Vid. hujus pactionis tabulam ap. Günth. l. c. pag. 256. sqq. In fine diplomatis legimus: „Die (Brief) gegeuen is na der Geburt vns Herren Gots, druzenhundert „Jar, und darna in dem echt vnd zwentzigesten Jare, des Synenden Dages in dem „Hoewe Mainde." — Diploma hoc multis munitum est sigillis Capituli Trevirensis, Principum, Comitum, nobilium hominum et civitatum, ita ut in liberando Balduino multorum auctoritas conspirasse videatur.
De hoc Balduini fato, viri ceterum strenuissimi et prudentissimi, astutia mulieris hac vice decepti, fusius disputant Trithemius in Chron. Hirs. II. pag. 161., et Stramberg in suo libro: Das Moselthal rc. pag. 32. sq. Coblenz 1837.
Balduinus per quatuor circiter menses in hac captivitate permansisse videtur. In codice quodam ms., olim monasterii Epternacensis, legimus: „Theodericus de Arle, „electus in abbatem, impeditus fuit confirmari per quatuor menses et amplius, „a Baldevino reverendo viro, Trevirorum archiep., quem comitissa de Spaenheim in „castro suo Starckenberg mancipatum tenebat; quo tandem soluto, fuit idem Theo„dericus ab eo confirmatus." —
Triginta millibus florenorum aureorum Balduinus se redemit, refert Trithemius in Chron. Sponh. —

sae carnis fuerat ingressus. Hic fratres Moguntinensis capituli dominum Baldewinum in suum archiepiscopum unanimiter postularunt, et postea dominum Baldewinum in propria venientem persona suae diocesis tutorem fecerunt, et castra et munitiones in ejus manus assignarunt. Qui statim cuncta ipsius ecclesiae debita ab antecessore (a) multipliciter contracta, quia longissima cum lantgravio Hassiae fuerat in guerra (b), quae nondum erat sedata, ne aliqua supercrescerent damna, de sua propria pecunia funditus persolvebat. Isto tempore dominus Henricus de Virnenburch (c) a papa fuerat in archiepiscopum Moguntinensem electus, confirmatus et directus. Cui canonici crimina imponendo et defectus, ad sedem apostolicam appellarunt.

Isto anno dominus Baldewinus vallem sub Hoënberch situatam, renuntiationem (d) Wysskirche et Lyesheym (e) castrorum feoda (f) ligia et aperibilia suae Trevirensi ecclesiae, recepta stipulatione, ut in privilegiis cernitur, adjecit.

Sequenti vero anno millesimo trecentesimo vicesimo nono Ludowicus imperator Romae quemdam nomine Nicolaum (g), de ordine fratrum Minorum, antipapam creavit, et in sedem beati Petri collocavit. Et ecce haeresis praenosticata hic fuit consummata (h).

Isto tempore dominus Baldewinus (i) itinera juxta Cochime, Tryss, Stubam et Neve (k), ubi equus inonustus vix poterat deduci, in tantum ampliavit, quod equus sarcinatus seu asinus onustatus secure poterat pertransire.

(a) Baluz. et Reub.: antecessoribus; minus recte, ut apparet ex sequentibus.

(b) „Hassiae Landgravius Henricus, archiepiscopatus Moguntinensis vasallus, Petro „archiepiscopo defuncto, in Moguntinam rapinis et incendiis grassatus fuerat dioece- „sin“, ait Trithemius.

(c) Al.: de Firneburg, cognomento Bussmann, Bonnensis Praepositus. — Scriptor Fastorum Limpurgensium habet: Der hieſſe darum Burssmann mit dem Zunahmen, daß er gern tranck. —

(d) Baluz. et Reub.: renovationem.

(e) Weiskirch et Liessheim, Eifliae castra.

(f) Ap. Baluz. et Reub. deest: feoda.

(g) In edd. Mart. et Honth. deest: Romae. Ap. Baluz. et Reub. legitur loco Nicolaum: Nicer. — Petrus de Corbaria in antipapam constitutus false vocatur Nicolaus V.

(h) Baluz. et Reub.: praenosticata, male repetunt.

(i) In edd. deest: dominus Baldewinus.

(k) Loca ad Mosellae ripas sita.

CAPUT CCLVI.

Cap. 7. De rebellione civium Moguntinensium, et quorundam nobilium contra dominum Baldewinum. De fundo Carthusiensium emto, et Baldeneltz fundatione.

Rogatur itaque dominus Baldewinus jura Moguntinensis ecclesiae rigidius observare (a). Nam cives Moguntinenses per excogitatam suae malignitatis astutiam, sub quadam aequitatis specie, quaedam jura ecclesiae sibi frivole usurparunt, et dominum Baldewinum pro ipsius ecclesiae tutorem recipere recusarunt. Quorum fines dominus Baldewinus circumquaque exercituali manu forti depraedando, devastando, hostiliter (b) ingressus, eorum inflatam superbiam rigidius edomavit. Oppidum quoque Eltville (c) appellatum, inter Moguntiam et Pingviam (d) situatum, aedificavit, et ecclesiam de Fleyrsheym (e) incastellavit, ut mercimonia et alia, quae de Frankenfort Moguntiam (f) secrete dirigebantur (g), auferrerentur; aliaque fortalitia circumcirca Moguntiam (h) acquisivit, ut per ea prohiberet, quod victualia et alia necessaria nulla possent adduci; suique cum Moguntinis plura bella et rixas habuerunt; ibique multi occisi et laesi fuerunt, coactique frequenter Moguntini per pontes et fossata usque ad portas civitatis fugati fuerunt: de quo eos in ecclesia tutorem se recipere coartavit anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo.

Isto etiam anno castrum Smydburch (i), tam comparando quam aedificando, ecclesiae addidit (k) Trevirensi. Eodem etiam anno juxta

---

(a) Vid. Joannis Rer. Mogunt. I. p. 651. et Trith. ad an. 1328.
(b) Mart. et Honth. omnino vitiose legunt: humiliter.
(c) Altavilla, Elvelt, oppidum limitis Ringaviae.
(d) Kyriander op. cit.: Bingiam. Edd.: Pigwam, Pigwiam.
(e) Al.: Fleytsheim (Flersheim ad dextram Moeni ripam).
(f) Ap. Baluz. et Reub. deest: Moguntiam.
(g) In edd.: devehebatur.
(h) Baluz. et Reub.: Moguntinenses. — Balduinus noster tali modo Moguntinis usum commerciorum cum finitimis interclusit.
(i) Al.: Smiedeburg (Schmidburg).
(k) Baluz. et Reub.: dedit. — Vid. diploma Friderici de Kirberg (Kirchberg) in Güntheri Cod. diplom. l. c. pag. 286. sq.

Trevirim sanctum Albanum ab abbate (a) et conventu S. Mathiae comparatum aedificiis Carthusiensibus aptis coepit decorare (b). Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo trigesimo primo domini de Eltze (c), Erenberch, Waldecke, Schonecke, suis quamplu-

---

(a) Eberardo Warnesbergio. Vid. infra.

(b) Cod. Trev., N°. 1462. sign.: „Claustrum Carthusiensibus decennio aedificavit."

Ex Historia msta (nunquam typis expressa) antiquae et novae Carthusiae prope et supra Treviros (auctore Modesto Leidecker), cujus codicis msti exemplar authenticum possidemus; de hisce, quae ad hanc rem notatu digniora nobis visa sunt, quaedam apponere libet. Sunt autem haec:

„Baldewinus (in exstruenda Treviris Carthusia) locum suae intentioni aptum exquirens, incidit in sacellum S. Albani Martyris in agro S. Mathiano consistens, illudque cum fundo circumjacente (non procul a Porta nova) ab Abbate S. Mathiae Eberhardo Warnesbergio ejusque Conventu, comparavit, dictumque S. Albani Oratorium haud diu post annum 1320. dilatare coepit. Sed, quae rerum sors est, ob varias turbas — primum anno 1330. fortiore nisu res consumata est; sacellum praefatum terramque circumjacentem Baldewinus muro cinxit, cellas aedificavit, ac de omnibus necessariis structuris sollicite providit — consiliis et directione Joannis Poloni. — Demum cum anno 1335. totum opus, ecclesiam si excipias, suo colophone superbiret, Joanni de Epternaco, quem ad id muneris Moguntia asciverat, ejusque successoribus, die 29. Augusti novum monasterium cum nova plantatione tradidit. „Idem laudatissimus fundator, de consensu sui Capituli, adjunxit curtem in Isselsbach cum turri, domo, vineis, agris, pratis, campis cultis et incultis, aquis aquarumque cursibus et decursibus, aliosque census &c. — Anno 1338. Baldewinus primum lapidem ecclesiae posuit, quam anno 1340. consecravit.

„Erat Carthusia quoad situm amoena sub moeniis Augustae Civitatis, hortis, substructionibus aquaeductuum, collibus vitiferis arvisque virentibus circumornata.

„Baldewinus ad nostros, inter quos sibi cellam prope coquinam reservaverat, saepissime divertit, eisque quasi domesticus factus omnia Ordinis exercitia mira alacritate et industria peregit; divinas tam diurnas quam nocturnas laudes strenue cantando, et missas conventuales celebrando haud exigua nostrorum aedificatione persolvere consuevit; sed et in cella solitarius, spiritum ad altiora urgens et compunctioni vacans, devotissime egit. Veste et animo humilis, vultu hilarem modestiam praeferens, de nocte statuto tempore pervigil, excitatoris pulsum praeveniens, fratrum sibi ministrare volentium officia subterfugiens, pane, sale et aqua saepissime contentus, omnem omnino Ordinis rigorem sibimet imposuit.

„Hoc modo nostros inter senescens, Archiepiscopatus tamen et Patriae curas non omnino abjecit; sed e solitudine non raro evocatus, ea, quae muneris sui erant, sedulo administravit, atque ordinando, confirmando, gregique suo solerter invigilando, quin et in temporalibus publicae rei utilitatem et pacem (quamvis multis sibi obsistentibus) restituendo, se Patriae verum patrem exhibuit et moderatorem." — —

De tristissimo hujus Carthusiae fato, anno 1674., in capite Gestorum 316. (Volum. III.) sermo erit.

(c) Al.: Elez. — „Erenberg die burg vnd die veste gelegen uff der bach, die man

rimis cum complicibus, cupientes domini Baldewini magnanimitatis magnificentiam aliqualiter incurvare, rapinis terrae semitas perturbando, unanimiter conspirarunt. Contra quos dominus Baldewinus exercituali potentia acies direxit, Eltz circumdedit, et Baldeneltz a fundamento constructum, quo ejus potentiam nihilavit, mirabiliter firmavit. Eodem anno castrum Solmetze (a) feodum ligium et aperibile fecerat. Winterana (b) suae Trevirensi ecclesiae construxerat ad tuitionem.

Alio sequenti anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo guerra durante contra dicta quatuor castra, castrum Rusenberch (c) a fundamentis aedificavit, de quo potentiae suae malleo erecto (d) contrivit cornua superborum. Eodem anno episcopatum Spirensem ad instantes preces Walrami (e), comitis Veldenciae, ibidem episcopi, et capituli, qui tot debitis erant gravati et guerris, quod ulterius non poterant, ceperat regendum in temporalibus. Et ecce tres episcopatus simul strenue regebat, debita persolvit, distracta ad jus et proprietatem fideliter revocavit (f).

Unde sequenti anno millesimo trecentesimo trigesimo tertio domini de Eltz, Erenberch, Waldecke, Schonecke, videntes se suae potentiae resistere non posse, post guerrarum fessarum diu duratarum excidia, pacis dulcedinem postularunt, quam dominus Baldewinus, pacis amator, poscentibus benigne (g) fuerat largitus, et Johannem (h)

„nent die Ere by der Musel.“ Sic in litteris a Balduino Archiep. datis Moguntiae d. 12. Decemb. 1354. — Vid. plura de hoc castro in Vol. VI. historico Commentat. Acad. Theod. Palat. pag. 429. sqq. Ibidem etiam legimus ex veteri apographo descriptum instrumentum pacis inter Balduinum ex una parte, et nobiles castrenses in Waldeck, Schoneck, Erenberg atque Eltze ex altera restitutae an. 1335. — Conf. Honthemii Hist. Trev. dipl. II. p. 126. sqq. — Vid. quae scriptor noster de hac pace in textu infra refert.

(a) Al.: Solmesse, Solmoze, Solmtze (Solms). — Vid. diploma Philippi Comitis de Solms (Grebe zo Solmesse) ap. Günth. l. c. pag. 304. sq.

(b) Baluz. et Reub.: Winterava. Cod. Trev. N°. 1462.: Wintauwe.

(c) In Charta Balduini de an. 1335. legitur: Russemberge.

(d) Edd.: erecta.

(e) Id factum tradit Browerus II. p. 206. ad annum 1330.

(f) In cod. Lind. hic locus sic legitur: „debita persolvit distracta, et jus ad proprieta-„tem fideliter revocavit.“

(g) In edd. deest: benigne.

(h) Mart. et Honth.: Johannes. Baluz. et Reub.: Johanni. Lectiones vitiosae. —

de Eltz de suo castro Baldeneltz suae ecclesiae perpetuum juratum et fidelem burchgravium duxerat statuendum. Isto etiam anno, die Mariae Magdalenae, in meridie, factum est Treviris (a) subitaneum fluvium aquae, diluvium permaximum, ita quod cuncti perterriti submersionis periculum timebant affuturum.

Postea, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quarto, dominium de Schurenberch a domino de Wynsberch (b) comparatum ecclesiae addidit Moguntinensi. Eodem anno dux Lotharingiae, die Novembris tertia decima, de homagio suo a domino Baldewino recepto munimina tradidit literarum.

Alio anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, ad instantiam Erfordiensium, dominus Baldewinus personaliter cum magna potentia marchionem Misnensem et comites de Hoënsteyn hostiliter invasit, eosque per incendia et bella multum damnificavit. Sequenti anno Erfordienses domino Baldewino rebellarunt, contra quos misit marchionem et armatos suos, qui contra eos bella quamplurima habuerunt. Isto anno, die Simonis et Judae, fuerat ventorum turbo in valitudine tanta, quod multa alta aedificia corruendo fuerint disrupta; unde quidam metrista (c):

SIMonIs eXCeLsI sternVntVr tVrbIne LVCI.

In quo versu computando MCCCXXXV. annos Domini poteris reperire.

Anno vero Domini millesimo trecentesimoo trigesimo sexto domius Baldewinus episcopatum Spirensem a debitorum gravaminibus relictum, relevatum, et multum melioratum, pace reformata, dictoque Walramo episcopo de medio sublato, maxima gratiarum actione recepta, duxerat resignandum, et Gerardum (d) de Erenberch, Spirensis diocesis, in episcopum eligi procuravit. Eodem anno turbat vina gelu, ventus segetes, equos sprue (e).

(a) Mart. et Honth.: fecerat Treviris. Baluz. et Reub.: fuerat Trevirim.
(b) Idid.: Vonisberch. (c) Ibid.: metrificator. (d) Ibid.: Gerlacum.
(e) Mart. interpretatur vocem sprue per nomen gallicum esparvain, i. e. latine suffrago (crurum flexura). Aliqui codd. habent: spru.

CAPUT CCLVII.

Cap. 8. De monasterii Carthusiensium conservatione, castri montis sancti Johannis constructione, et Velsburch (a) destructione, dominii in Limpurch emtione.

Voce imperativa (b) papali et cardinalium consilio emissa, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, domino Baldewino et capitulo Moguntinensi fuerat mandatum, ut episcopatum Moguntinensem in manus dominorum (c) legatorum, ad hoc in Pingwiam destinatorum, tanquam in manus papae libere resignarent. Cui mandato dominus Baldewinus obediens, accessit Bacheracum, convocans ibidem capitulum et officiales ecclesiae Moguntinensis; praecepitque eis, ut mandatis apostolicis obedirent, et juramento sibi per eos praestito libenti animo renuntiarent. Quo audito, quia videbant, quod eis amplius prodesse non vellet, inobedienter ab eo recesserunt, et contra voluntatem papae (d) et domini Baldewini Henricum de Virnenburch, eis a Johanne papa destinatum, contra quem prius crimina et defectus opponendo appellaverant, nunc in archiepiscopum acceptarunt; qui statim post omnia sua temporalia, a Ludowico imperatore in feodum recepta, cum domino Baldewino est pacificatus.

(a) Edd.: Welsberch.

(b) imperata: cod. Lind. — Causam, ob quam Romanus Pontifex Balduini administrationem ecclesiae Moguntinae non probarit, hanc prodit Wilhelmus monachus Egmondanus in Chronico ad annum 1329. (in Mathaei Analect. II. p. 700. sq.): „Papa „fato Praesuli (Balduino) sedem (Moguntinam) cum instantia requirenti, nec tamen „pristinam ante quietam hujus (Trevirensis) possessionem resignanti, super cupi„ditati duorum Episcopatuum objectionem fecisse dicitur. Dictum quo„que, Praesulem respondisse, quod eodem jure sibi duorum Episcopatuum regimen „assumeret, quo idem Apostolicus Papatum et Inperium regere labora„ret.“

Post longam contentionem tandem Balduinus Archiepiscopatum Moguntinensem reliquit.

(c) Baluz. et Reub.: in manus duorum legatorum. — Vide hoc mandatum Joannis XXII. apud Honth. Hist. Trev. dipl. T. II. pag. 122. Adde diploma 20. Julii 1338. ibid. pag. 134. Legati erant Guigo de S. Germano et Nicolaus de S. Audomamaro, Praepositi.

(d) Benedicti XII.

Isto anno apparuit cometa, Judaeorum interfectionis praenosticativa (a). Nam quidam depauperati nobiles sibi regem praefecerant, cui nomen Armleyder (b) imposuerunt, qui civitatibus magnis (c) expugnatis, Judaeos, quotquot invenire poterat, crudeliter trucidavit.

Alio anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo octavo Edwardus (d), rex Anglorum, regem Franciae (e) supra ducatum Normanniae diffidavit, et de Almannia multis terrarum dominis plurima stipendia donavit, Franciam potenter intravit, cremando, spoliando; sed minime profecit. Postea anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono, die Kyliani, dedicationis S. Maximini, Agritii, et Nicetii, nec non et Johannis Evangelistae patronorum (f), fuit eclipsis solis plus quam duarum horarum tempore meridionali; et postea in autumno dicti de Swizere (g) in Berna plures interfecerunt praelio triumphali. Isto etiam anno dominus Baldewinus regi Anglorum, tanquam infinitis pecuniarum summis mutuatis, coronam regni praedicti pro pignore acceptavit (h). Sequenti vero anno millesimo trecentesimo quadragesimo circa dominicam Laetare visa fuit cometa tanquam in cancro situata, et postea nundinae Monstruele (i) per comitem Hannoniae et dominum de Valkenburch fuerant spoliatae, multis occisis (k). Eodem anno rex Anglorum, die nativitatis beati Johannis Baptistae, transfretavit, et multis Francigenis interfectis, pluribusque phaselis (l) captis, gloriosius triumphavit.

Eodem etiam anno dominus Baldewinus ad vesaniam comitum Walrami de Crucenache, et comitis Silvestris de Duna (m) perdo-

---

(a) Vid. animadvers. ad cap. 247.

(b) Armleder. Mart.: Arenlieder. Baluz.: Arinleder. — „Hoc tempore" (scribit cod. Trev. N°. 1462.) „Judei a rege Armleder dicto mactabantur."

(c) Edd.: civitatibus adhuc magnis.

(d) Eduardus III.

(e) Philippum Valesium.

(f) Ap. Baluz. et Reub. haec verba desunt: dedicationis S. Maximini &c.

(g) Mart. et Honth. habent: de Suzzen. — Sermo est de praelio prope Laupen.

(h) Vide animadversionem nostram ad hoc cap.

(i) Mart.: Monstnele.

(k) Baluz. et Reub.: multi occisi.

(l) Brevibus naviculis.

(m) Wildgreue Johann von Dune (Daun): legitur in chartis.

mandam, Dunam circumdedit, et castrum Montis S. Johannis (a) appellatum a fundamentis erectum contra Dunam fortissime firmavit.

Et postea die Thomae monasterium et conventum Carthusiensium, juxta muros Trevirenses ab eo funditus constructum, solemniter dedicavit.

Sequenti anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo, in Majo, comes de Spaenheym per dominum Ludowicum imperatorem Baldewino fuerat reconciliatus; comes vero Silvester de Duna in castro quodam Velsburch (b) dicto retentus, domino Baldewino per aliqua tempora magna inferendo damna, nocturnali tantum (c) tempore per spolia et incendia persistebat, quae dominus Baldewinus, tanquam leo se dormire simulans, supportavit; tandem evigilans, rugitu suo maxima exercituali potentia Velsburch obsidione vallavit, quam obsidionem dux Lotharingiae cito suo conamine cupiens solvere, consilia et auxilia collegerat opportuna, eo quod castrum illud (d) esset feodum, suoque in territorio situatum. Videns etiam potentiam domini Baldewini esse praeeminentem, timore coactus (e) ad dominum Baldewinum in obsidionem properavit, secumque se contra (f) quoscunque conligavit (g). Obsessi vero videntes domini Baldewini animositatem, cernentesque operum et machinarum horribilitatem, quibus violenter expugnari metuebant, salvis rebus et corporibus, in manus ducis castrum ad domini Baldewini voluntatem violandum tradiderunt, quod postea ad ipsius jussionem funditus fuit destructum: de qua tam regalis et tantae fortitudinis castri violenta et celeri (h) destructione esset jure (i) mirandum, si ultioni divinae non esset intitulandum. Nam ante obsidionem aura frigida et turbulentissima ante festum beati Martini, et in vigilia ejus, qua obsedit, et postea in obsidione aura levis et gratissima, omnino tempori (k) contraria, regnabat; sed

(a) St. Johannsburg, St. Johannsberg. — „Castrum sancti Johannis situm super Nae." Sic in chartis.

(b) Edd.: Velsberg.

(c) Ibid.: tamen.

(d) Ibid.: castrum suum.

(e) Baluz. et Reub.: tactus.

(f) Deest ap. eosdem: contra.

(g) Mart. et Honth.: colligavit.

(h) Edd.: celebri.

(i) Ibid.: mire.

(k) Baluz. et Reub.: annuo tempore.

castro ad violandum tradito, cunctos, ut prius, aurae intemperies molestabat: unde totus vulgus sanctos se vindicare proclamabat.

Alio sequenti anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo comes Silvester de Duna fessus guerrarum excidiis, poscens amoenitatem pacis, in propria persona metu coactus ad dominum Baldewinum, Trevericum ingressus palatium, se omnimode suae gratiae condonavit: cujus amicorum precibus dominus Baldewinus inclinatus, eum in suam gratiam acceptavit. Isto etiam anno Dordrachum (a) in maxima parte proprio igne divinitus flagellatum et conflagratum in tantum, quod supra aquam prope fluentem naves cum vino et mercimoniis cremabantur; ita quod aquarum inundantia non poterant extingui (b). Postea in vigilia Jacobi maxima erat aquarum inundantia per totum Rhenum, non a Rheno sed a fluvio Mogos dicto (c), quod tamen contra suam est naturam, in flagellum causata; ita quod integrae villae disruptae et defluxae cernebantur (d). Eodem anno, vicesima tertia die Januarii, quasi in prima noctis hora, pluente grandine, fulgura cernebantur et tonitrua audiebantur (e). Eodem anno comes Barrensis a domino Baldewino homagium et feodum juramento innovatum acceptavit, et super eo duplicia tradidit munimina literarum (f).

Alio quadragesimo tertio anno Ludowicus de Bavaria imperator, illustris principis domini Johannis regis Bohemiae filio de terra Carintiae (g), quam prius sibi donaverat, ejecto, uxorem ejusdem raptam et suo filio traditam absque ecclesiae judicio, non desponsandam (h), immo adulteratam dedit, et terram fraudulenter obtinuit Carintiorum (i). Sequenti vero anno millesimo trecentesimo quadragesimo

---

(a) Edd.: Durdrachum. Dordracum, h. Dordrecht in Hollandia.

(b) Haec periodus ita legitur in edd.: „Isto &c. flagellatum in tantum quod supra aquam „.... dictam naves cum vino et mercimoniis, ita quod aquarum inundantia non poterant extingui, cremabantur."

(c) Moganus fluvius, Moenus (Mayn).

(d) Vide plura de hac Moeni inundatione maxima in Trith. Chron. Hirs. II. p. 192. sq.

(e) Tota haec periodus desideratur ap. Mart. et Honth.

(f) Ibid. deest: literarum.

(g) Al.: Carintze.

(h) Baluz. et Reub.: desponsatam.

(i) Cod. Trev. N°. 1462.: „Anno MCCCXLIII. domini Johannis regis Bohemiae filio de

quarto dominus Baldewinus pontem trans Mosellam in Confluentia sumtuosius construxit (a). Eodem anno dominus Reynerus de Wes-

---

„Carinthea, quam sibi prius dederat, ejecto, uxorem ejus raptam, absque ecclesiae „judicio, impotentiam imponendo, filio proprio traditam terram obtinuit Carintheorum. „Hic incipit contra eum origo omnium malorum."

Conf. Alb. Argentinensem. Sententiam divortii inter filium Regis Bohemiae, et Margaretham (vulgo Maultasche) Ducissam Karinthiae et Tyrolis Comitissam edidit Freherus (Rer. Germ. Script. I. p. 620. sq.)

(a) Anno 1344., secundum Gestorum scriptorem, penitus consummata esse videtur pontis Mosellae apud Confluentinos constructio. In vetusto quodam codice ms. S. Mathiae pontis inscriptio haec fuisse proditur:

„Condidit hunc pontem Praesul Balduinus insignem
„Mille trecenteno quadrageno quoque terno."

Ad annum 1331. scribit Trithemius noster (Chron. Hirs. II. p. 173.): „His „temporibus saepe memoratus Pontifex Baldewinus apud Confluentiam pontem lapi„deum satis fortem et pretiosum super Mosellam fluvium a fundamentis novum „construxit" (i. e. construere incoepit) „multis et gravibus inpensis, ut hodie vide„tur. Consummato tandem opere sanctione perpetua constituit, omnes Trevirensis „Dioeceseos indigenas transitum habere debere per pontem liberum; alienigena vero „quilibet per eum transiturus, Religiosis, Clericis et mendicantibus duntaxat excep„tis, unius oboli (†), quorum duodecim faciunt nummum, donatione transirent."

Adde chartam (1343. 24. Octob.), qua Papa Clemens VI. indulgentias promittit benefactoribus pro fabrica hujus pontis. (Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 155. sq.)

Haec sunt genuina Trithemii verba. Valde ergo miramur, virum quendam, ceteroquin doctissimum, scripsisse sequentia: „Man sagt dem Johannes Trithemius un„gescheut nach, und wiederholt es überall, daß die Moselbrücke bei Coblenz vom Erz„bischof Balduin zwischen 1330 — 1340 (?) gebaut worden sey, woraus man den Beweis „nimmt, daß die Rustica, wie solche an den Fundamenten der Brückenpfeiler zu sehen ist, „keineswegs Römisch, sondern aus dem 14ten Jahrhundert sey. Es scheint aber nie„mand die Mühe angewendet zu haben, den Trithemius nachzuschlagen (?), „sonst hätte man gefunden, daß er sagt: construxit pontem lapideum de novo. Also de „novo! ein kostbares de novo! Balduin erneuerte die Brücke, welche bereits zu der Rö„mer Zeiten gestanden hatte, seitdem aber zerstört worden war. Und so sehen wir sie noch „jetzt auf den Resten der Römischen Pfeiler gegründet!" — (Briefwechsel zwischen Göthe und Schultz. Rheinisches Museum für Philosophie, herausgeg. v. Welcker und Näke. IV. Jahrg. 3s. Heft. S. 312. Bonn, 1836.)

Scriptor harum adsertionum (Schultz) neque Gestorum Trevirensium notitiam habuisse, nec Trithemii Chronicon Hirsaugiense legisse videtur. —

Joannes Hugo Archiep. Trev. posteris temporibus laterales hujus pontis muros attolli, iisque fenestrellas jaculatorias fecit imponi, et sic in novum quoddam munimentum redegit, in quo contra invasiones hostium et currulia tormenta plantari, et militares copiae possunt tuta statione gaudere.

Vid. Hierothei Manipul. Confluent. memorabil. rerum, pag. 110.

(†) Quem ab Hallis Hallensem (Häller) dicebant.

terburch dominum Baldewinum defeodavit (a). Unde dominus Baldewinus exercituali collecta potentia, Schadeck simul et Grensau (b) expugnata suae ecclesiae obtinuit Trevirorum. Eodem anno medietatem dominii de Lympurch, facta emtione legitima, suae ecclesiae adjecit.

Alio quadragesimo quinto anno Frisones comitem Hannoniae eis bellum inferentem saeviter occiderunt (c). Eodem anno dominus Baldewinus privilegium perpetuum per totam suam diocesim contra mendicantium ordines super quarta parte legatorum parochialibus ecclesiis donanda impetravit. Sequenti anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto Henrico de Vyrnenburch Moguntinensi archiepiscopo, propter fautoriam domini Ludowici de Bavaria, ab omni pontificali honore a Clemente sexto privato, et Gerlaco (d) de Nassauwea in Moguntinae sedis praesulem creato, ac ipso Ludowico de Bavaria, ab eodem papa propter sua praescripta demerita, ab omni dignitate regia sententialiter deposito (e), principes electores, videlicet dominus Baldewinus Trevirensis, Walramus de Juliaco Coloniensis, Gerlacus de Nassauwea Moguntinensis, dux Saxoniae, et Johannes rex Bohemiae, aliis vocandis vocatis, non tamen comparentibus, dictas depositiones (f) ratificantes, auditis procerum regni sententiis in Rense, diffinientibus, quod praedictis sic se habentibus, eos ad electionem regis fore processuros. Qui unanimiter vota sua in dominum Karolum, Johannis regis Bohemiae primogenitum, direxerunt, et in-

(a) Edd.: diffidavit.

(b) Baluz. et Reub.: Granzau. Mart.: Gransen. Al. etiam: Grenschowe, Grenzoyge.

(c) Vid. Trith. in Chron. Hirs. ad hunc annum.

(d) Edd.: Nicolao; sed false. — Conf. Albert. Argent. in Chron. pag. 139.

(e) Apud. Mart. et Honth. desiderantur: „ab eodem papa propter sua praescripta demerita." Cod. Trev. N°. 1462.: „Ludovicus propter multa contra sedem perpetrata, cum a „tribus apostolicis, Johanne, Benedicto, Clemente, saepius amicabiliter monitus, fa„vorabiliter allectus, ad eum literis super sua conversione destinatis, in nullo profe„cerunt: unde citatus, monitus, non comparens, in pleno consistorio a Clemente VI. „fuerat judicialiter ab omni honore regio, ducatus, militatorio, quia non licet nisi so„lis Christianis militare, depositus, degradatus, dejectus et finaliter condempnatus."

(f) Mart. et Honth.: compositiones.

vocato Spiritus sancti adjutorio in Romanorum regem, anno praedicto feria tertia post Kyliani, XI. die Julii, concorditer elegerunt (a).

Eodem anno inter reges Francorum et Angliae, praelio permaximo perpetrato, princeps serenissimus, domini Baldewini nepos, miles imperterritus, dominus Johannes rex Bohemiae, licet coecitate fuerit percussus, non minus tamen fuerat armatus, sagittis Anglicorum lethaliter vulneratus, viam universae carnis vicesima sexta die Augusti fuerat ingressus (b).

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, die Aprilis XX., quae fuerat feria sexta infra octavas Paschae, Reynardus de Westerburch, auxilio Ludowici de Bavaria et consilio, domini Baldewini Burchgravio proditorie (c) ejecto, residuum de Grensau (d) ibi usurpavit. Quod oppidani Confluentiae reexpugnare (e) et

(a) Cod. praefatus Trev. haec attentione digna nobis narrat: „Dominus vero Johannes „rex Bohemiae id totum procuravit. Literas apostolicas ad alium regem eligendum „praeceptorias domino Baldewino ceterisque electoribus, quod nullus alius fuisset au„sus perfecisse, praesentavit; et si non obedirent, minabatur excidia guerrarum. „Quibus dominus Baldewinus territus domino Ludowico mandavit, ut cognato suo fi„lio regis Bohemiae receptam terram redderet Carinthiorum. Quod cum facere recu„sasset, ipsum diffidavit, et cum ceteris electoribus ad regem eligendum properavit.“ — Interim Henricus (depositus Archiep. Mogunt.) anno 1348. Lohnsteinii cum Ruperto Rheni Palatino, Ludovico Marchione Brandenburgico, et Erico Saxone, de novo Imperatore creando consilia contulit, ac cum iis Eduardo Anglo Germaniae regnum obtulit! — Anglo Imperium recusante, novum Carolo aemulum, Fridericum, Misniae Marchionem, produxit, deinde et hoc desistente proposito, Caesarem Francofurti salutavit Güntherum, Comitem de Schwarzenburg. —

Sane magnae erant in Germania horum temporum difficultates! — Fusius de his rebus disserit Albert. Argent. pag. 145. et 150. — Conf. etiam, quae infra dicuntur in Gestorum textu (cap. 258.).

(b) Paraverat ingentem Eduardus III., Anglorum Rex, adversus Philippum Valesium, Francorum Regem, exercitum. Johannes, Philippi socius, licet jam pene coecus, una cum filio Carolo, adversus Anglum processit, fatalique juxta Cressiacum, Ambianorum vicum, congressus praelio, cum Francorum inclinatas res cerneret, in mediam, ubi Eduardus Rex stabat, aciem se duci jussit; atque illic fortissime dimicans, aliorum caedes sua cumulavit. At Carolus, tribus licet vulneribus saucius, vitam incolumem servavit. Joannis, Regis Bohemiae et Comitis Luxemburgensis, funus Luxemburgum delatum, mutato saepe ob eversas sedes loco: de quibus loci mutationibus alio loco disputavimus. — De Joannis morte Franc. Petrarca quaedam memoriae tradidit (Lib. II. de remed. fortun.).

(c) Mart. et Honth.: proditore. (d) Al.: Grensouwe.

(e) Mart. et Honth.: reexpugnantes.

recuperare volentes, dum hostiles insidias adesse ignorarent, se ut levius ambularent, dearmarunt (a), arma famulis bajulanda commendarunt, seque ambulando disgregarunt: unde (b) plures capti, quamplures valde crudeliter fuerant trucidati (c).

Eodem anno, postquam Ludowicus de Bavaria mala malis plicuisset, nec se saluberrimis ecclesiae monitionibus correxisset, septima die (d) Octobris, dum de venatione reversus fuisset, se membratim aggravatum sentivisset, et denuo allevationis causa equum ascendisset, spatium iniisset, crescente dolore se incurvans, a suis per brachia receptus, amplexatus, sustentatus, spiritum celerius exhalavit (*).

Isto etiam anno, die exaltationis S. Crucis, vineae et nuces congelebantur caumate pruinali, ita quod maxima vinorum caristia fuerat subsecuta.

Alio anno quadragesimo octavo illi de Westerburch, in specie peregrinorum Vilmar ingressi, multa intulerunt damna (e).

CAPUT CCLVIII.

Cap. 9. De Vermich et dominii de Coverna emtione, et de Solmetze destructione.

Multorum consilio dominus Baldewinus, facta emtione legitima, Vermich (f) castrum cum suis pertinentiis suae Trevericae ecclesiae com-

---

(a) Baluz. et Beub.: dearmarent . . . . commendarent . . . . disgregarent.

(b) In edd. desideratur: unde.

(c) „Anno 1347. da wurden die von Coblentz jämmerlich erschlagen, und nieder geworffen bey „Grensau, und blieben ihrer todt 172 Mann, und wurden ihrer dazu sieben gefangen." Fasti Limpurgenses. — Conf. diploma Baldewini, datum Treviris 1347. in Günth. cod. dipl. l. c. pag. 506. sq.

(d) Sic nostri codd. mss. et editiones Mart. et Honth. — Baluz. et Reub. habent: die XI.; et Trith.: X. die.

(*) Prope Fürstenfeld monasterium.

(e) Mart. et Honth. legunt: „dominus de Westerburch et peregrini &c." Baluz. et Reub.: „dominus de Westerburch et peregrini Vilmarienses multa „diocesi mala intulerunt." — Cod. Trev. N°. 1462. hoc factum refert his verbis: „Reynherus de Westerburg cum suis occulte Vilmar intravit et recuperavit, propter „quod dn̄s Buldewinus Vilmar obsidione cinxit. Ubi cum per quindecim dies contra „diffidationem Moguntinensium potestative perstetisset, tradere castrum juraverunt „et eum recedere seduxerunt. Nam id totum violaverunt."

(f) Wermich in finibus Juliacensium.

paravit, et duci Juliacensi, in cujus territorio situatur, in feodum perpetuum condonavit, et Juliacensis tunc marchio, a filiis suis captivitati addictus, domini Baldewini consilio (a), terrore et auxilio fuit liberatus.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo dominus Baldewinus in curia domini Karoli imperatoris Moguntiae celebrata confirmationem privilegiorum suorum, et super archicancellariatu Arelatensi obtinuit; ubi etiam per totam Galliam et Germaniam tutor et mamburnus (b) fuerat constitutus regni Romanorum; quo plures sua feoda requirentes infeodavit. Quo etiam annno Hosolmecze (c), cum pluribus confoederatis (d) destruens, solo coaequavit. Eodem anno in capite Augusti, collecta exercituali potentia, Vilmar obsidione vallavit; ubi cum per quindecim dies contra Moguntinensium diffidationem sumtuosius potestative perstitisset, pluribus hostibus occisis, turres machinis diruisset, adversarii cum domino Baldewino placitare inceperunt, et eo modo convenerunt, quod castrenses recedentes, castrum et oppidum in manus trium nobilium specificatorum conservandum traderent; quod si dominus Baldewinus ipsum ad suam pertinere ecclesiam competenti testimonio ostenderet, sibi suae ecclesiae nomine perpetuo jure conservandum assignarent, et vice versa adversariis ministrarent. Quod obsessi corporali juramento praestito spoponderunt, et dominum Baldewinum de obsidione recedere seduxerunt, quod subito, ut supra in Grensau, temere infregerunt.

Eodem anno dominus Baldewinus castra et territoria Vreudenberch (e), Vreudensteyn (f), Coppa, et castrum et dominium de Coverna cum suis castrensibus et pertinentiis comparata (g), et Bobingen, feodum ligium et aperibile, facta emtione legitima, ecclesiae addidit Trevirorum.

Sequenti anno Dommini millesimo trecentesimo quadragesimo nono

(a) Hic magnus hiatus in edd. Batuz. et Reub.

(b) Idem quod tutor, defensor, gubernator. Mart. legit: mumburnus.

(c) Hohensolms. (d) Mart. et Honth.: confoederatus.

(e) In edd. Mart. et Honth.: Vrendenberch; male.

(f) Ibid.: Vrendesteyn; iterum male.

(g) Vide diploma Johannis de Sayn in Günth. cod. dipl. l. c. pag. 499.

Guntherus, comes de Swartzenburch, a domino Henrico de Virnenburch deposito Moguntino, et domino Ludowico, filio Bavari (a), marchione de Brandenburch, et domino Rodolpho, duce Bavariae et domino de Heydelberch, contra dominum Karolum in Romanorum regem electus, ante Franckenfort castra situavit; cui dominus Karolus, domini Baldewini adjutorio, praelium acturus exercituali praevalentia (b) obviavit; nam fortificatus fuit, quia filiam dicti ducis de Heydelberch (*) sibi desponsavit. Dictus autem (c) Guntherus intoxicatione, ut dicitur, infirmus, videns se deceptum, corporis viribus destitutum, jam suos electores cum domino Karolo (d) concordes, coactus in propria persona domino Karolo sigillum suum regium et signa regalia resignavit: quem dominus Karolus in gratiam acceptavit.

Eodem anno nova Flagellatorum secta iterum surrexit, sed cujus effectu, ignoratur (e). Qui Flagelliferi (f) nudo corpore, capite capucio et pileo, et pudebundis (g) lineo velamine tectis, cruce et vexillis, et candelis ardentibus praelatis, carmina haeresi mixta decantando, se durissime ad sanguinis effusionem acubus flagellis intextis verberando, saepius prostrando, sub quadam poenitendi specie incesserunt. Quam poenitentiam non a sacerdotibus, sed a laicis susceperunt, quos magistros praefecerunt; quibus etiam confitebantur, et ab eis absolvebantur, et poenitentiam injunctam peregerunt. Quam sectam ut haereticam dominus papa Clemens sextus damnavit, et domino Baldewino mandata (h) destinavit, quae dominus Baldewinus non per plebanos, quos laici interfecissent (i), sed per suos burchgravios, sculteos et scabinos executioni mandavit, et eam vix extirpavit.

(a) i. e. Ludovici Bavari.— Edd.: Bavarii. (b) Ibid.: manu exercituali praevalida.

(*) Hic de Rudolfo cognomine Coeco, Comite Palatino Rheni et Electore, Duce Bavariae sermo est.

(c) Edd.: Unde dictus Guntherns.

(d) In cod. S. Maximini legitur: Reynero, sed in margine altera manu: Carolo. Baluz. habet: Rodulpho. Ibid. deest: jam.— His de turbis confer Albertum Argent. pag. 150.

(e) Vid. Chronicon Limburg. an hunc annum. Conf. quoque Albert. Argent. pag. 149. sq. — In edd. deest: iterum.

(f) Al.: flagellatores. (g) Mart. et Honth.: pudendis.

(h) processus destinavit, quos: cod. Trev. N°. 1462.

(i) Haec verba: quos laici interfecissent, desiderantur ap. Baluz. et Reub.

Isto etiam anno Deus genus humanum triplici plaga flagellavit: ita quod plusquam medietas hominum cessit ab humanis; primo percussit ipsum (a) epidimia (b), cui gibbus crevit quacunque corporis parte; et omnes anhelitum ejus capientes celerius interierunt; secundo hemeroida (c); tertio sacro igne, ita quod corpora in seipsis celerius fuerant consumta; sic quod orbis initio non fuerant tempora periculosiora (d). Quae plaga fuerat Judaeis imposita, sic quod aquam in omni terra intoxicassent, de quo aër infectus, tales plagae in omnia climata pullulassent. Quibus de causis in omni terra Judaei alii suffocati, alii submersi, alii perforati; quidam prius suos pueros, postea semetipsos

---

(a) In edd. non legitur: percussit ipsum.

(b) Primam hujus temporis pestilentiam mortem nigram vocabant. „Das ist genannt das grosse Sterben und das erste, und sterben an den Drusen." Fasti Limpurgenses. — Ibidem legimus ad annum 1356.: In demselben Jahr erhub sich ein grosser „Jammer, und kame das zweyte grosse Sterben." — Ad annum 1365.: „Da war das „dritte grosse Sterben." —

(c) Dissenteria fluente sanguine: cod. Trev., N°. 1462. sign..

(d) De diris his tetrisque pestilentiis, quae in transmarinis locis ortae, sensim inde Hispaniam, Italiam Galliamque pervagatae, denique in Germaniam pervenerant, plurimi hujus temporis scriptores loquuntur. Conf. Alb. Argent. — Wilhelmi monachi Egmond. Chronicon ap. Matthaeum. — Guillelmum de Nangis ap. d'Achery. — Chronicon Claustro-Neob. ap. Petz. — Chronicon Salisburg. ibid. — Rebdorfii Annal. ap. Freherum. — Chronicon Leob. — Boccacio Decamerone, giorn. 1. — Petrarca Lib. VIII. epist. 7. — &c. — Non ab re erit, Sprengelii (Gesch. der Arzneikunde II. Aufl. 2. Th. S. 635. f.) verba de his pestilentiis, quantum huc faciunt, afferre: „Im 14ten Jahrhundert kam (nach den schon früher herrschenden „Pocken und dem morgenländischen Aussatze) der alle Alter und Geschlechter ergreifende „Veitstanz, und gleich hinterher erschien der schwarze Tod, bei dessen Anblick ein „Gatte den andern, Eltern ihre Kinder und Kinder ihre Eltern verließen. Es erschienen im „15ten Jahrhundert nicht weniger als fünf neue abscheuliche Krankheiten: der Keichhusten, „das Engländische Schweißfieber, der zerfleischende Skorbut, der Weichsel„zopf und endlich die Lustseuche, die schrecklichste von allen. — Alle diese Plagen und „Leiden hatten einen schrecklichen Einfluß auf Sitten und Moralität." — —

Quaedam folia Trev. mss. habent: „Pestis tum ex sola civitate Trev. abstulit tre„decim millia hominum! — Additur ibidem: „Anno 1374. morbus salien„tium sequitur — morbi quoddam genus inusitatum — et Treviros incessit." — — Chronographi alii hunc morbum speciem quandam dolosae superstitionis fuisse dicunt, eum appellantes sectam saltantium. Conf. Chronicon Limburgense (ap. Honth. Prodr. p. 1096.).

igni injecerunt, et se voluntarie peremerunt. Et ista per sequentem annum duraverunt (a).

CAPUT CCLIX.

Cap. 10. De Monckler, Lyesheym, Hosolmecze, Elkerhusen destructione, et domini Baldewini obdormitione.

Amen, dicit Dominus Petro, quidquid ligaveris vel solveris super terram, ratificatur in coelo.

Unde anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo dominus Clemens VI. papa annum Jubilaeum in Urbe celebravit, et peccamina poenae et culpae relaxavit. Eodem anno Jacobus de Monckler literas compositionis et concordiae inter ipsum et dominum Baldewinum (b) factas, sigillo proprio et multorum amicorum suorum sigillatas (c), infregit; quem dominus Baldewinus, amicis suis id ordinantibus, ad hoc deduxit, quod se captivitati ad domini Baldewini voluntatem adjecit, et in Trevirico palatio, tamquam proterviendo (d), aliquamdiu mansit. Tandem dominus Baldewinus precibus inclinatus amicorum, acceptis literarum muniminibus, ipsum sub conditione acquitavit. Qui statim post domini Baldewini terras spoliando, cremando violavit. Unde dominus Baldewinus, anno Domini MCCCLI. Maji

---

(a) Pauci evaserunt: addit praef. cod. Trev. N°. 1462. — „In demselbigen Jahr Jubilaeo, da das Sterben aufhörete, da wurden gemeinlich die Juden in Teutschen Landen „erschlagen und verbrannt. Das thäten die Fürsten, Herren, Graffen und Städte, ohne „allein der Herzog von Oesterreich, der erhielte seine Juden.": Fasti Limpurgenses. — Tum versus sequentes scripti sunt:

„Pestis regnavit, plebis quoque millia stravit.
„Insolitus populus flagellat se seminudus;
„Contremuit tellus; populus crematur Hebraeus."

(b) In edd. desiderantur haec verba: et dominum Baldewinum.

(c) Diploma Jacobi de Monclair (ad Saram) datum est anno 1346. Vid. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. pag. 158. sqq.)

(d) Sic nostri codices mss., et haec vox quadrat cum antecedentibus et subsequentibus factis Jacobi de Monclair, viri superbi et inquieti, qui, ut documenta civitatis nostrae testantur, senatui populoque Trevirensi consilium operamque suam adversus Balduinum promisit. Edd. mutaverunt hanc vocem in pro serviendo.

die secunda, Monclair obsidione vallavit, villam Ham navali introitu cepit, et turrim ibi (a) aedificans, Gryneck appellavit. Tandem partes domini Baldewini suburbium ictibus sagittis hostiliter invaserunt: illi viriliter defendendo repulerunt. Ibi dominus Hartardus (b) de Schoneck non lapidatus, nec sagittatus, sed armorum structura suffocatus, spiritum celerius exhalavit (c), quem dominus Baldewinus apud S. Mathiam solemniter tumulari mandavit. Tandem dominus Baldewinus, exercitu commisso (d), Confluentiam properavit. Ibi comes de Seyna tradens literas (e), castrum hoc recognovit pertinere ad ecclesiam Trevirorum. Ibi etiam comes de Berga castrum suum Wyndecke domino Baldewino venditum, ab eodem feodum ligium et aperibile suae Trevirieae ecclesiae, homagiumque Orwelsz (f) acceptavit, et se juratum hominem subdidit ecclesiae Trevirorum.

Reversus dominus Baldewinus ad exercitum, fossatoribus conductis, qui malleis rupium duritiem conterentes, turris fortioris suburbii fundamentum ligneis stipitibus imponentes, sepo, pice, sulfure linientes, incendentes ipsam turrim cum parte muri dejecerunt, et solo coaequaverunt. Et dum obsessi unanimiter pranderent (g), aliqui de parte domini insilierunt, et totum suburbium ceperunt, et eos arctissima obsidione compresserunt (h). Obsessi vero penuria aquae laboraverunt, et ad fontem scaturientem, situatum in fossatura castri, subterraneam viam fecerunt. Quo partes domini Baldewini diversa opera sumtuosius facta, laboriosius conduxerunt, et periculosius per scalas de rupe in rupem a latere situatas fontem hostiliter petierunt, et cum obsessis in eorum caterva (i) ad fontem facto conflictu maximo,

---

(a) Mart. et Honth.: quam aedificans. — Alii scribunt: villam Hammanam.
(b) Mart. et Honth.: Hartaldus.
(c) Baluz. et Reub. hanc periodum ita legunt: „non modicum lapidatus, et parum ad „brachium unum sagittatus, sed magis armorum structura, et aëris et solis suffoca- „tus &c." Hanc quoque amplificationem habet cod. Paris.
(d) Comiti Veldentiae, ut legimus in aliis chartis.
(e) Vide diploma Johannis de Sayn in Günth. cod. dipl. Tom. III. P. 2. pag. 566.
(f) Arnfelz, Arenfels in chartis.
(g) Baluz. et Reub.: protraderent.
(h) Hic plura desunt apud Baluz. et Reub.
(i) caverna: edd.

nimia sanguinis effusione caverna disrupta et obtecta (a), gloriosius fontem obtinuerunt. Unde obsessi omnis humoris solatio privati, viso erecto ante castrum patibulo perterriti, gratiam quaesierunt. Quibus dominus Baldewinus suae potentiae magnificentiam nobilitatis pietatisque mansuetudine temperavit, et eis, quos jam violentia devicit sua, gravia faciens damna, ministravit gratiam. Nam indulsit, quod per (b) duodecim dies, omni die de suo exercitu ad eorum victum vinum (c) emerent, et castrum sine sui laesione observarent: ita quod si eis (d) aliquod adjutorium dissolvendae obsidionis, et juvamen domino Baldewino nocendi, quocumque possent modo, sociarent; si vero nullum, tunc termino elapso, singuli quae vellent et possent una vice exportando, castrum in manus domini Baldewini ministrarent, quod in crastino beati Thomae productum fuerat ad effectum. Hunc magnificum et gloriosum triumphum dominus Baldewinus non suae potentiae jussit adscribi, sed clementiae divinae bonitatis Dei; cui ad honorem in castro (e), natale Domini in horis et missis, jam (f) dominus de Moncleyr effectus, devote celebravit, et cum suis lautius convivando solemnius festivavit (g). Castrum vero postea solo coaequavit, et ex opposito, in S. Petri allodio, fortius castrum aedificavit, et Sarsteyn (h) appellavit. Isto etiam anno castrum Trys (i) cum pertinentiis, sibi jure cedens feodali (*), ecclesiae addidit Trevirorum.

Sequenti anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo dominus Baldewinus videns terrarum semitas multiplicatis raptoribus (k) nimium perturbatas, quorum insultibus volens obviare,

---

(a) Sic codd. S. Maximini, Eberh. Clus. et Lind.; cod. vero Paris. et editiones legunt: obtenta.

(b) Pauci codd. legunt: post. (c) Edd.: vinum ac .... emerent.

(d) Mart. et Honth.: si sibi.

(e) Baluz. et Reub. hunc locum ita legunt: „bonitatis Dei ad honorem. In crastino „&c.“; sed omnino false.

(f) In edd. praetermittitur: jam.

(g) Baluz. et Reub.: festinavit; male. — Cod. Trev. N°. 1462.: „Mountcleer die „Thomae cepit, et in die natali ibidem Missarum solemnia celebravit.“

(h) Cui a praeterfluente Saravo, Sarensteinii cognomentum indidit.

(i) Treis.

(*) Per Simonem, dominum de Waldeck.

(k) Edd. legunt: „semitas multiplicatas, raptoribus &c“

pluribus magnatibus sibi confoederatis, regio nomine generalem terrae pacem, et ejus advocatum dominum de Sleyda ordinavit (a), et tertia die Junii exercituali potentia Dunam in Eiflia in suas manus tradi coartavit; cujus tamen posteriorem partem postea voluntarie Coloniensi archiepiscopo assignavit; et plurima Castrensium domicilia circa Dunam et Ulmenam, quae fuerant raptorum receptacula (b), devastavit. Post haec (c) ultra Rhenum progrediens castra Sazroth (d) et Hoensilbach (e), de quo obsessi tempore nocturnali metu corporeo coacti secesserant, annihilavit. Et post haec Elkershusen (f) quasi inexpugnabile vallavit, et patibulo erecto taliter obsessis tantum metum incussit, quod averio (g) suo deportato, castrum tradiderunt, quod igne crematum solo complanavit. Post haec Hachenberg (h) obsidione vallando (i) Reynerum de Westerburch coartavit, quod Henricum (k) de Graischoff (l) captum, liberum dimitti procuravit, et cum triumpho reversus fuerat glorioso.

Alio anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio dominus Gerlacus de Schonecken (m), juxta Trevirim Bohemos in adjutorium regis Francorum contra Anglicorum regem properantes, pignera cautione (n), ut asseruit, cepit et spoliavit, et eos in Leysheim (o) conservavit; quos dominus Baldewinus liberavit, et post haec castrum

---

(a) „Johan Herre zu der Sleiden Landfoyt des Romischen Riches tusschen Ryn vnd „Masen.“ Vide diplomata pacem publicam (Landfriede) concernentia in Güntheri cod. dipl. Vol. cit. pag. 570. sq. — pag. 580. sqq.

(b) Conf. Kyriand. op. cit. pag. 248. — et Brow. II. pag. 224.

(c) In edd. deest: Post haec. (d) Al.: Sasroch.

(e) Al.: Hoselebach, Hoenselebach, Haselbach.

(f) Elkirshausen. — Al.: Elkershusin, Elbershusen, Elkerhusen. „Den Vesten Hoenselebach, Elkershusin vnd andern Vesten geensyte Rynes da „Lymburg gelegen ist.“ Vid. diploma Johannis de Sleida, pag. 581. op. cit.

(g) Edit. Mart.: avesio; Honth., Baluz. et Reub.: anesio; verum utrobique mendum est, et legendum: averio, hoc est, bonis mobilibus.

(h) Hachenburg. Edn.: Harckenberg. (i) Baluz. et Reub.: vallavit.

(k) Cod. Lind.: quem Henricus &c.

(l) Baluz. et Reub.: Graschaff. — Cod. Trev.: N°. 1462.: „quod Henricum de Graischaff sibi fidelem captum dimitti procuravit.“

(m) Baluz. et Reub.: Gerardus &c. (n) i. e. cautionis specie.

(o) Al.: Lyesheym.

disjectum nihilavit, et Gerolsteyn (a) obsidione vallavit, ubi in tanta aquarum penuria laboravit, quod nihil proficiens abhinc remeavit. Eodem anno Fredericus, comes Silvester, tertia die Septembris recognovit, quod castrum Dronecke, districtum (b) Marcha dictum, cum appenditiis, et Talvanch (c) teneat ab ecclesia Trevirensi in feodum, et super eo duplicia tradidit munimina literarum. Eodem anno dominus Baldewinus, praesente domino Karolo Romanorum rege, Moguntinensi et Coloniensi archiepiscopis, in vigilia Natalis Domini, in ecclesia Moguntinensi vesperas, et in capella regis matutinas et primam missam Natalis Domini celebravit, regem communicavit (d), et confirmationem multorum privilegiorum impetravit (e).

Et postea Trevirim reversus de curia regis Moguntiae celebrata (f) XV. Kalendas Februarii, infirmitatis molestia gravatus, receptis sacramentis, et auctoritate apostolica a poena et a culpa absolutus, spiritum Creatori, qui condidit illum, tradidit duodecimo Kalendas Februarii, circa crepusculum, in die S. Agnetis, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, more Treverico scribi consueto, anno nativitatis suae sexagesimo octavo. Sedit in episcopatu (g) annis quadraginta sex, septimanis sex, diebus quatuor, et vacavit sedes (h) dies duodecim; cujus exequias capitulum solemnissime per episcopum Olmuciensem (i), cooperante episcopo Aconense (k), et abbate . . . infulato, quarto decimo (l) Kalendas Martii, praesente domino Karolo rege et pluribus magnatibus, peragendo celebravit.

(a) Mart.: Gerctsteyn, omnino male. Gerolstein castrum, postea oppidum, in quibusdam chartis dicitur Gerhartstein, in aliis Gerholtstein.

(b) Mart.: distractum Marchadictu; male. Honth.: distractum M. dicta; etiam false.

(c) Baluz. et Reub.: „cum appenditiis de Talevanck.“ — Alii codd. Trevir.: „et districtum dominii de Marcka von Talvanck cum appenditiis &c.“

(d) „regi Eucharistiam porrexit“: cod. Lind.

(e) Vide Caroli IV. diplomata quatuor in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 167. sqq. — Conf. Günth. cod. dipl. l. c. pag. 608. sqq. — Plura alia Caroli IV. diplomata de anno 1354., necdum impressa, legimus in cod. dipl. Trevirico ms. Tom. I., qui in Bibl. publ. Trevirensi asservatur.

(f) Hic aliqua desiderantur in edd.

(g) Ibid. deest: in episcopatu.

(h) Ibid. omittitur: sedes.

(i) Ibid.: Ulmacensem.

(k) Nicolao Episcopo Suffraganeo, et postea Vicario generali in pontificalibus per archidioecesin Trevirensem.

(l) Baluz. et Reub.: XII. Cal.

Requiescit in posteriori choro ecclesiae Trevirensis (a), cujus anima paradisiaca capiat gaudia per aeterna saecula saeculorum. Amen.

Epitaphium praescripti domini, ut habetur in ejus tumba (b).

Hic Baldewinus jacet Antistes Treverinus,
Magnificus, justus, patriae lux, mente venustus.
Lutzlunburch natus: septeni denique gratus
Caesaris Henrici germanus juris amici.
Utilis ecclesiae pater hujus, dote sophiae
Quam bene respexit, augens per multaque rexit
Sex quadraginta fere simul annis, queis sibi vere
Guerra frequens crevit graviter, quia raro quievit
Vincere praedones, et castra per obsidiones.
Anno milleno C. ter L. I. ter, duodeno
Carne Kalendarum fuit exutus Februarum,
Quem pie rex Christe clementer ad aethera siste.
Amen.

(c) Domnus Baldewinus Archipraesul Treverinus

Caesaris Henrici septeni frater aprici
Augusti semper capit hic mundus bona quem per
De Leymburch natus, et Luczenburch generatus,
Claustra duo gratus Carthusis est operatus.
Istud formavit juxta muros Treverorum,

(a) Ibid. additur: S. Nicolai sepultus. — In occidentali choro: habet cod. ms. Trev., N°. 1462. sign. — Hujus codicis scriptor addit:
Christe tibi junctus defunctus sit probus iste.
Versus retrogradus.

(b) Hoc epitaphium deest in cod. S. Maximini. Apud Brow. (pag. 226.) legimus: „Aeneis laminis, quae effractae jam funditus periere, pro epitaphio rudes hi fuerunt „versiculi insculpti.“ — Vid. notam ad calcem voluminis.

(c) Praeter hoc epitaphium codices S. Max. et Trevir., N°. 1434. sign., et edit. Mart. abundant sequentibus versibus. Et nos hos versus satis rudes in editione nostra praetermittendos esse, nequaquam censuimus.

Quod bene dotavit pro summa denariorum,
Et consecravit, dum lux Thomae numeravit
Annum millenum C. ter, X. quatuor fere plenum,
Sunt appellati reliqui de Monte Beati.

Auwe (a) fundavit, Ek (b) Elzsteyn primitiavit,
Haec bene firmavit, et tum (c) Baldeyn vocitavit,
Gelsbergh damnavit, Russinberg (d) aedificavit,
Moncler vallavit, fregit, Sarsteynque paravit;
Heynselbach (e) stravit, Helckrus Sazroch (f) nichilavit;
Extraque vastavit Ulmen, Dunamque notavit.
Circum muravit Esch (g), Pilch (h), Meyen situavit,
Et libertavit Yranck, Witlich sociavit,
Irradicavit Leyscheym, quoniam spoliavit (i).

Pignore donatum cepit Bopart sibi gratum;
Hillinscheimque datum, Wesel, Bacherach sociatum.
Insuper emptatum Limpurch medium dominatum,
Et comitatum (k) Sterrenberch perpetuatum,
Districtum locum (l) Wendelinumque beatum;
Ad propriumque statum Keysersluteren (m) vocitatum,
Smydburgh optatum, sic Swarczenberg reparatum,
Fredenberg (n) ornatum, Coppe, Sarburch mediatum,
Windeck comparatum, dat Bergensem feodatum.

Vermich comparat hic, Juliacensem feodat sic,
Lotharium Baurumque duces sua feoda novare
Luczenburgensem fecerat comitemque Barensem,
Et Confluetinum (o), simul Yranck, et Roverinum (p),

(a) Baldenowe.
(b) El: ap. Mart.
(c) cum: ap. eund. — Baldeneltz.
(d) Russemberg.
(e) Al.: Hoenselebach.
(f) Mart.: Helekrus Satztoch.
(g) Kaysersesch.
(h) Mart.: Pisch.
(i) Ibid. deest: quoniam spoliavit.
(k) Ibid.: Counantum.
(l) Ibid.: lacum.
(m) Ibid.: Keysersuteren (Kayserslauteren).
(n) Ap. Mart.: Freudenberg.
(o) pro: Confluentinum.
(p) Ap. Mart.: Zoverinum; vitiose.

Suffodiens fontes fecit istos condere pontes.
Spira, Moguntina, Wormacia, cum Treverina
Sunt ibi commissae, sunt usuris quasi scissae,
Quas simul erexit, et protexit, bene rexit,
Debita persolvit, ut in vulgo fama revolvit;
Undique construxit. Deus optimus illi dux sit (a)!
Amen.

Luczenburch, Lymburch hic Baldewinus generatus,
Gratus erat virium, exuit orbis gemma capacis (b),
Pacis et erectae rector (c), jubar utile turbis,
Urbis protector, hector probitatis amore,
More beatorum construxit claustra bonorum,
Atque tyrannorum destruxit castra malorum.
Semper ei laus sit, nam plura prioribus auxit,
Urbes erexit, rex sit quoniam bene rexit.
Exit ab hoc mundo, mundo spiramine functus,
Unctus decessit, quem praesens tumba capescit;
Inque Kalos pleno transit Februi duodeno,
Anno milleno C. ter, L. que ter I. sub amoeno
Junctus tibi Christe, defunctus sit probus iste.
Amen dicant omnia.

Sequuntur domini archiepiscopi Trevirensis Bohemundi (d) *secundi gesta* (e).

CAPUT CCLX.

Post mortem domini Baldewini generale capitulum Trevirense conveniens elegit dominum Bohemundum, hujus nominis secundum,

(a) Ibid.: Deus omnipotens sibi duxit. (b) Ibid.: germina pacis.
(c) Ibid.: Pacis erector, rector.
(d) De Saraponte, ex Dynastarum Ebendorfiorum genere.
(e) Hic scriptor alius et alio stylo Gesta Bocmundi, Cunonis et Wernheri describenda suscepit. Gesta Boemundi II., justo ordine desiderantur in edd. Mart. et Honth.; sic quoque in codd. S. Maximini et Paris.; sed ordine chronologico leguntur in codd. Trevir., Eberh. Clus, illo N°. 1431. sign., et Lind. In praefatis edd. de Bocmundi brevis aevi episcopatu sermo est in historia Cunonis.

in archiepiscopum nonagesimum tertium (a) Trevirensem, anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo tertio. Qui confirmatus, omni sapientia et prudentia fuit adornatus, licet senio gravatus. Credebat autem (b), cum pace territorium episcopatus gubernare, et soli Deo contemplare. Quod videntes comites, militares et nobiles quamplures, ecclesiae Trevirensi juramentis constricti, proh dolor! juramentorum immemores, dictae ecclesiae munitiones et castra, quae quondam justo venditionis titulo domino Baldewino vendiderunt, unusquisque jam tamquam sua propria usurpaverunt, et conspiratione simul facta sibi diviserunt, et armata manu contra Bohemundum archiepiscopum rebellantes possederunt. Necnon comes de Starckenburg minus juste contra episcopum se violenter opposuit, totam provinciam devastando, spoliando, ac flammis consumendo depopulavit. Cui dominus Bohemundus armata manu restitit: ipsum comitem oppugnando tandem pacificavit.

Ita dominus Bohemundus magnis periculis involutus, cum prudentia utilissima remedia cogitando, quid faciendum esset contra tot oppugnantia et resistentia, quia senio aggravatus esset, et viribus deficientibus deficeret (c). Et incidit sibi consilium bonum. Recor-

---

(a) Cod. Trev., N°. 1434. sign., addit: post beatum Eucharium.

(b) Mart. et Honth.: Credebant.

(c) Anno 1354. Boemundus ratas habuit inducias sex annorum a Balduino an. 1353. cum civitate Trev. initas (Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 174. sq.). —

Agitabatur fortius hoc tempore quaestio de statu urbis, quam sibi subjectam contendebat Archiepiscopus, liberam et imperialem praetendebant cives, nixi variis Imperatorum chartis. Non inutile erit, pauca quaedam, quae habet charta Ottonis IV. Imperatoris de anno 1212., hic exscribere; sunt autem haec verba Ottonis: „Notum vobis facimus, quod nos prae oculis habentes sinceram devotionem dilectorum „fidelium nostrorum tam ministerialium, quam civium Trevirensium, quam habent erga imperium et nos, recepimus eos cum personis et universis rebus eorum, mobilibus et immobilibus, sub nostram et imperii specialem defensionem, „ab omni eos gravamine et injuria immunes esse decernentes &c.“ (Impressum legimus hoc privilegium pro urbe Trev. in Kyriandri Annal. pag. 231., et in Honthemii Hist. dipl. I. pag. 650.) — Chartae quorundam Imperatorum sequentium ejusdem argumenti sunt.

Quaedam folia mss. biblioth. Trev. ad annum 1364. notant: „S. P. Q. Trev. aperte „defecit ad democratiam, qua Principem non tantum exclusit possessione urbis, sed „etiam dominio Mosellae, leges municipales clericis dedit, et praetori parere renuit.“

datus qualiter honorabilis Cuno de Falckensteyn Moguntinam ecclesiam rexit, protexit et defensavit (a): utinam ipsum habere posset (b) in coadjutorem, maxime desideravit, et cum communi consilio capituli Trevirensis ipsum advocare disposuit; quod et fecit. Vocavit et petivit, ut Trevirim veniret, quia secum de negotiis arduis tractare vellet. Qui cum venisset (c), ipsum primo in canonicum majoris ecclesiae (d) elegit, et postmodum dominus Cuno audiens tot et tanta perfidiae incitamenta contra sanctam ecclesiam Trevirensem, animo motus spopondit fidelia coadjutorialia defensionis praestare, Deo juvante, juvamina; quod et fecit.

Primo tanquam leo rugiens (e) cum duce Luczenburgensi contra

Ibidem ad an. 1377. legimus: „Civitas Trev. iterum contra clerum insurgit, et S. „Simeonis aedem sibi pro arce et munitione deligit, occasione novi telonii Palatio- „lensis ab imperatore (Wenceslao) Cunoni concessi." — Sic et in eodem Msto ad an. 1389. legitur: „Senatus Trev. munit civitatem reparatis propugnaculis, et ex- „tructa quadrilatera turri supra portam S. Simeonis." — Conf. ea, quae jam supra dicta sunt — et additamentum ad hoc caput ad calcem voluminis.

(a) Henricus III., Moguntinus Archiepiscopus, Cunonem de Falkenstein, aedis Moguntinae Canonicum, sibi Coadjutorem elegerat.

(b) Mart. et Honth.: ut ipsum haberet.

(c) Ibid. non leguntur haec verba: Qui cum venisset.

(d) Ibid. desideratur: majoris ecclesiae.

(e) De Cunone scribit auctor coaevus Fastorum Limpurgensium: „Mehr solt du „wissen die Physionomie und Gestalt Herrn Cunen vorgenannt. Dann ich ihn offt gesehen „und geprüfet habe, in seinem Wesen, und in mancher seiner Manirung, daß er war ein „herrlich starker Mann, von Leib, von Person, und von allem Gebeine, und hatte ein groß „Haupt mit einer Strauben, eine weite braune Grelle, ein weit braun Antlitz mit bausenden „Backen, ein scharff Mannlich Gesicht, einen bescheidenen Mund mit Gleffe, etlicher maßen „dick, die Nase war breit mit gerunden Naselöchern, die Nase war in der Mitten „niedergedruckt, mit einem grossen Kien, und mit einer hohen Stirn, und hatte auch eine „grosse Brust, und Röthel-Farb unter seinen Augen, und stund auf seinen Beinen wie ein „Löw, und hatte gütliche Geberden gegen seine Freunde, und wann er zornig war, so bause- „ten und floderten ihm seine Backen, und stunden ihm herrlich und weißlich, und nicht übel."

Enotamus adhuc quaedam alia Cunonem concernentia, quae legimus ap. Trithemium, Nauclerum, et in Paralipom. Urspergens., et ap. Serarium. Sunt autem haec, quae genium temporis multum illustrant: Habuit anno MCCCLIX. Carolus Imperator Moguntiae colloquium cum Moguntino Archiepisc., Trevirensi et Coloniensi, itemque cum Saxoniae Bavariaeque Ducibus. Aderat etiam missus ab Innocentio VI. Legatus, quem ut cleri moribus reformandis potius, quam colligendis pecuniis operam daret, monuit Imperator. — Aderat Canonicus quidam ecclesiae Moguntinae, Cuno ille Comes Falkensteinius. Is caputium (capitium, penu-

quemdam capitaneum, qui dicebatur archipresbyter, qui totam provinciam disposuit depopulare, cum suo exercitu effugavit, devastavit; et sic patriam ab eorum insultibus cum duce Luczelinburgensi victoriose protexit. Item Philippum de Ysenburch non metuens cum suis complicibus, qui castrum periculo suae diocesis fundare et erigere disposuit (a). Cui obviam venit cum grandi exercitu, et manu valida ipsum effugavit, Philippum captivum duxit cum suis, castrum funditus destruxit, solo coaequavit. Terra illa hostili invasione liberata, pacem faciens venerabili domino Bohemundo denuntiavit. Cui congratulans dominus Bohemundus, Deum laudavit, qui sibi talem hominem in coadjutorem dedit.

CAPUT CCLXI.

Tandem dominus Bohemundus, cognoscens se viribus deficere, dominum Cunonem loco sui in archiepiscopum Trevirensem disposuit eligere et confirmare. Et sicut scribitur de sancto Valerio, Hipponensi episcopo, et Augustino, septima quaestione: Quamvis; ita

---

lam) habebat in capite auro gemmisque nimis pretiosum, quoad formam saecularis ac militarior, quam virum ecclesiasticum deceret. Cunoni Imperator dixit: „Praesta „mihi caputium tuum“, et deposito suo caputio, Imperator induebat caputium Cunonis, suumque vilius, de panno simplici, super caput Cunonis relocavit. Deinde ad Principes conversus dixit: „Quid vobis videtur? nonne militi videor in caputio si„milior, quam canonico?“ Deinde restituit caputium Cunoni, vertitque se ad Gerlacum Archiep. Moguntinum, et ait: „Domine Archiepiscope, vobis praecipimus sub „eadem fidelitate, qua nobis adstringimini, quatenus reformetis clerum vestrum, ut „abusum in vestibus, calceis, capillis, ac vitae usu tollant. Quod si non fecerint, „mandetis fructus beneficiorum suorum occupari, et fisco nostro praesentari, quos, cum „voluntate Papae, in honestos convertemus usus.“

Cujus sane praeclara monitio apud Cunonem, ingenio alioqui liberali ac sapienti praestantem, tantum valuit, ut Archiepiscopus postea Trevirensis, Administratorque Coloniensis magna cum prudentiae laude fuerit, ideoque et postea ad Moguntinum Archiepiscopum postulatus.

(a) „Philips von Isenburg bauete eine neue Burg, und schlug die auf einen Stein, nicht fern „von Limpurg und von Vilmar, und ward genannt Gretenstein, dann sein Liebge hiesse Gre„tha ꝛc. ꝛc.“: Fasti Limpurg. pag. 39.

Conf. diploma promissionis Philippi de Isenburg et haeredum ejus pro captivitate, 13. Febr. 1362. Adde urphedam XXXIIII captorum cum Philippo de 4. Sept. h. a. (Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 217. sqq. et 225. sq.)

ordinare disposuit, et sanctissimo patri Innocentio (a), sedis Romanae apostolico, cum communi consensu capituli literatorie notificavit, fideliter rogans, ut dominum Cunonem, suum coadjutorem, in archiepiscopum Trevirensem electum confirmare dignaretur.

Universalia commmuni utilitate facta praelaudanda semper sunt, et cordialiter conservanda. Et ecce insignia gesta domini Cunonis per multa dispersa sunt climata, et ad aures papae et cardinalium pervenerunt, qui eum diu ad magnam dignitatem promovere disposuerunt. Et hoc honorabili viro domino Bohemundo de curia Romana literatorie fuit insinuatum; et cupiens praevenire ipsum Cunonem, sibi a Deo provisum, ita reservare cogitavit, et ad hoc promovere procuravit, domino apostolico Innocentio patenti testimonio descripsit, et fieri petivit. Quam descriptionem dominus papa et cardinales gratanter accipientes, dominis reverendis archiepiscopo Pragensi, et episcopo Argentinensi hujusmodi inquisitionem examinare, et facti evidentiam sibi renuntiare fideliter demandavit: utrum morum decentia, animi prudentia dominus Cuno posset diocesim Trevericam (b) conservare, gubernare, et potentia corporali regere et defensare. Qui diligenti inquisitione et examinatione peracta, rescripserunt totum illud negotium ad utilitatem patriae et domini Bohemundi esse exortum, et precum instantia cordiali esset vix obtentum. Unde dominus apostolicus ipsum ad archiepiscopalis Trevericae ecclesiae dignitatem in Dei nomine sublimavit, consecrari (c) mandavit, et sibi existenti in diocesi Trevirensi pallium destinavit. Quem capitulum Trevericum, coadunatione cleri et populi, cum solemnitate qua decuit, solemniter acceptavit (d).

(a) Innocentio VI. (*b*) In edd. deest: Trevericam.

(c) Ibid.: consecrare.

(d) „Boemundo ad vitam assignantur annuae annonae frumentariae duceni tritici modii, „terceuteni siliginis. Vini Rhenani plaustra 20, Mosellani 30, et 6000 aureorum mo„netae florentinae“: Sic alia folia mss. biblioth. Trevir. — Non inutile erit, hocce loco addere quasdam rationes numismaticas, hoc tempore usitatas, ex charta nondum impressa, de anno 1356., 24. Aprilis, quae exhibet fundationem anniversarii in ecclesia S. Maximini pro Balduino Archiepiscopo. In hac charta legimus, monasterium accepisse „triginta florenos parvos de Florencia bonorum auri et ponderis, quorum „quilibet nunc valet novem grossos antiquos regales et quintam partem unius grossi,

Anno Domini MCCCLXII. Cuno, archiepiscopus Trevirensis nonagesimus quartus, consecratur, introducitur et confirmatur per dominum Bohemundum, ut praefatum est (a). Qui licet esset archiepiscopus, tamen fideliter obedivit, et voluntatem domini Bohemundi in omnibus adimplevit usque ad obitum ejusdem (b). Qui dominus Bohemundus obiit anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo septimo, in die Scholasticae virginis; sepultus in ecclesia Trevirensi (c). Dominus vero Cuno ecclesiam suam fideliter rexit, sublimavit divitiis, et honore ditavit, pacem in omnibus conservavit, et tam clero quam populo benigne praefuit.

Sed de eo infra, divina largiente gratia, amplius loquimur (d).

Gesta domini Cunonis de Falkensteyn, sanctae ecclesiae Trevirensis archiepiscopi.

CAPUT CCLXII.

Gesta Cunonis ante susceptionem archiepiscopatus (e).

Gesta notatu digna (f) literali sunt descriptione commendanda. Hinc est, quod vitam et actus domini Cunonis de Falkensteyn scribere intendimus, qui tamquam leo strenuus inimicis, et affabilis

---

„et quilibet grossus triginta denarios Trevirenses monetae cursibilis — et decem „clipeos antiquos, quorum quilibet valet duodecim grossos antedictos.“ (Chartularium S. Maximini.)

(a) „Dominus Cuno de Falkenstein inauguratur, et in area Kamphhoff dicta, prope tem„plum B. V. M. ad curiam episcopalem ei homagium praestatur.“ Sic in supra laudatis Mstis. Additur in his foliis: „Fridericus ab Hattstein hoc tempore vir erat „tam robustus, ut amam vini e terra sublatam ori admoverit et inde biberit!“

(b) In edd. deest: ejusdem.

(c) Cod. ms. Trev., N°. 1346. sign., haec addit: „In arce Sarburgensi finem vivendi „fecit anno 1367., decimo die mensis Februarii. Corpus in majori ecclesia Trevirensi „tumulatum est, ante aram sanctissimae Trinitatis.“ Cod. ms. Trev., N°. 1347. sign., haec habet: „Cum podagra graviter laboraret, in castro Sarburg vitam finivit. Tre„viris sepultus in latus chori septentrionalis.“ —

(d) Haec periodus in edd. desideratur.

(e) Cod. Eberh. Clus. addit hanc inscriptionem.

(f) Mart. legit: Gesta nota, digna &c. — Honth.: Gesta nova digna &c.

amicis, verus in dictis, jurejurando immutabilis, nec terrore concutitur, nec blandimentis immutatur, ut manifestius apparebit in processu (a). Hic dominus Cuno nobilibus ortus parentibus; scilicet nobilis, honorabilis et exspectabilis viri domini de Falkensteyn et de Myntzenberch (b), et gloriosae Johannae de Sarwerden filius fuit. Qui pueritiae tempora moribus et virtutum floribus adornatus percrevit. Anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo natus fuit, cujus fratres uterini fuerunt dominus Philippus senior, et dominus Johannes junior. Dominus quidem Philippus, frater domini Cunonis primogenitus, uxorem duxit filiam praeclarissimi domini de Hanauwe (c); sed dominus Cuno cum fratre suo Johanne, canonici ecclesiae Moguntinensis sunt ordinati, ubi dominus Cuno in adolescentia literarum studia est amplexatus, vitam et ingenium limpidioris capacitatis et intellectualis profunditatis est, Deo disponente, adeptus. Immo non solum clericali studio, verum etiam militari exercitio quamplurimum se mancipavit.

Cujus patre de hac luce per mortem sublato, dominus Philippus ejus germanus, fratrum primogenitus, in dominio successit, et strenue gubernavit. Tandem intervallo temporis elapso (d), eodem domino Philippo mortuo, comes Veldentiae et dominus Hanauwe (e), tamquam tutores et mamburni (f) filiorum (g) domini Philippi, intromiserunt se dominio de Falkensteyn et Myntzenberch contra voluntatem domini Cunonis et domini Johannis fratris sui. Dominus vero Cuno, quia senior fuerat domino Johanne, nolebat consentire in tutores praedictos, sed volens obtinere pro se et pro suo fratre dominium de Falkensteyn, non valebat (h), quia nullus officiatorum vel castrensium seu civium volebat eum intromittere, seu obtemperando obedire, quia dominus Philippus frater suus, tempore mortis suae, ita disposuit de castris, oppidis et munitionibus, et tradidit ea ad manus tutorum praedictorum anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo se-

(a) Conf. genuinam et originalem viri descriptionem, supra notatam ex Fast. Limp.

(b) Edd.: Mynizenberg (Münzenberg).

(c) Al.: Hanauw (Hanau).

(d) Edd.: intervalli temporis discursu.

(e) Heinricus Veldentiae Comes, et Ulricus Dominus de Hanau.

(f) Verba synonyma.

(g) Cod. Lind. legit: fratrum.

(h) In edd. deest: non valebat, quia &c.

cundo. Unde dominus Cuno motus animo videns dominium sibi innatum in manus alienigenarum translatum, conticuit et ad imperialia praesidia refugit, praedictos tutores et officiatos ad praesentiam domini Lodowici imperatoris citari fecit, et ad terminum destinatum eos vocari procuravit. Quo facto dominus Lodowicus imperator, tutoribus non apparentibus, sententialiter eos amovit a tutorio, et domino Cunoni commendavit.

Post haec dominus de Hannauwe contra imperatorem et ejus mandata rebellavit. Quapropter dominus idem de Hannauwe imperiali sententia fuit proscriptus, et de tribus castris suis fortioribus expulsus. Tandem imperialis dignitatis praesidio dominus Cuno roboratus, dictos tutores armata manu cum grandi exercitu hostiliter invasit, et dominum de Hanauwe prope Byschoffsteyn (a) cepit in praelio, et captione (b) violenta fidem tradere coarctavit, anno aetatis ipsius Cunonis (c) vicesimo secundo. Postea statim eodem anno cum valida manu apud Peddessheyn (d) convicit, et cepit comitem Veldentiae (e); et immediate facta fuit secum compositio, sic, quod tutores ambo resignarent sibi totum dominium, quod illud gubernaret et regeret per sex annos continuos; et frater suus Johannes cum filiis fratris sui Philippi, ulterius dominium tenerent et regerent simul et semel, usque ad annos discretionis junioris Philippi jam domini. Et sic tota rancoris materia fuit sedata. Ibi etiam dominus Cuno dominium exactionando, grandem pecuniam, scilicet summam triginta millium florenorum congregavit, quam summam ad ecclesiam Moguntinam sibi commissam asportavit.

CAPUT CCLXIII.

Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo sexto, aetatis suae anno XXVI., dominus Cuno praedictus est postulatus, et ab

---

(a) Bischoffstein ad Mosellae ripam, castrum pertinens, ut in chartis legimus, ad archidiaconatum sancti Castoris in Cardono (Carden). An primitus Nicetii Archiepiscopi, an Arnoldi castellum? —

(b) Edd.: traditione.

(c) Ibid.: anno suo; reliqua desunt.

(d) Al.: Peddensheyn.

(f) Al.: Beldentiae.

omnibus vocatus in provisorem ecclesiae Moguntinae, tempore domini Henrici de Virnenburch, archiepiscopi Moguntinensis, et postea depositi. Quam ecclesiam strenue rexit et gubernavit per novem annos, usque ad obitum domini Henrici archiepiscopi depositi praenominati; et hoc contra Clementem papam, et contra Innocentium suum successorem; et hoc propter juramentum, quod domino Henrico fecit. Quam ecclesiam invenit depauperatam, diversis debitis obligatam, maximis guerris oppressam, quam Deo juvante reformavit. Marchionem Myssenensem (a) ecclesiae Moguntinensi subegit, Lantgravium Hassiae, contra ecclesiam litigantem, strenue devicit et coegit, ut singulis annis ei dare ad cameram suam centum marcas argenti puri praesentaret, quousque pacem cum ecclesia habere recusaret.

Item contra Karolum (b), electum in regem Romanorum, se opposuit, et dominum Guntherum comitem de Swarczenburch elegit, et ante Franckfort in castris, et grandibus expensis in regem Romanorum statuit, et introduxit anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo.

Item anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo nono obsedit oppidum Oppenheym, et obtinuit suam voluntatem, et traditores ibidem damnavit.

Item anno Domini praescripto, circa festum (c) Ascensionis Domini, destruxit castrum (d) sancti Victoris extra muros Moguntiae (e); sed Moguntinenses, ipsum impugnare volentes, triduo expectavit, et cum eis praeliari desideravit: sed Moguntinenses timentes, nec venientes, tandem in pace cum suis recessit.

Item domino Gerlaco, per sedem apostolicam in archiepiscopum Moguntinensem contra dominum Henricum de Virnenburch confirmato, restitit (f), et extra episcopatum refugere fecit. Necnon terram co-

---

(a) Al.: Miszenensem, Mysenensem.

(b) Gerlacus vero, sedi Moguntinensi destinatus, Caroli IV. partes fovebat.

(c) In edd. deest: festum.

(d) Ibid. legitur: monasterium. Collegiata S. Victoris ecclesia muris erat cincta fossisque. Oppidulum (et castrum) dixisses, ait auctor Chronici colleg. S. Victoris, in Vol. II. Rer. Mogunt. ap. Joannem, pag. 611.

(e) Ibid.: Moguntinenses.

(f) Ibid. male omittitur: restitit, et.

mitum de Nassauwe penitus devastavit, et omnes villas et partem emunitatum suarum funditus hostiliter delevit. Postea substituto illo de Kirckil in provisorem ecclesiae Moguntinensis, et eodem capto a comitibus de Nassauwe, vinculisque et compedibus mancipato, potenter absolvit, et absque exactione liberavit, et ecclesiae Moguntinensi restituit (a). Quid pejus, malum pro bono reddere? Sic ille de Kirckil, per dominum Cunonem absolutus, cogitabat rehabere ecclesiam Moguntinensem. Dominus vero Cuno nolebat reddere, nisi prius solutis damnis et periculis. Videns hoc de Kirckil, malum cogitabat contra dominum Cunonem, mediante Ulrico de Cronenberch (b), qui fuit vicedominus et coadjutor domini Gerlaci de Nassauwe; et sic convenerunt, quomodo dominum Cunonem traderent, sive mortuum, sive vivum, et sic fraudulenter venerunt in Ayschaffenburch; in noctis silentio introierunt castrum, et usque ad cameram domini Cunonis pervenerunt. Ubi dominus Cuno videns se fore traditum, et audiens Ulricum de Cronenberch ita proclamantem: Quicumque adduxerit dominum Cunonem vivum vel mortuum, habebit centum florenos. Audiens hoc dominus Cuno, submisit se ad fossatum castri per arctam fenestram cum linteamine (c); et sic evasit ante ortum diei in crastino Simonis et Judae, circa annum Domini MCCCXLIX.

Item anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo oppidum Pingwe cum civibus volens rebellare, strenue reformavit. Volebant enim (d) Pingwenses eum capere cum sexcentis armatis ex Ringauwia, ante ortum diei ipsum quiescentem in lecto suo, dicentes: Domine Cuno trade nobis Clopp (e), quia sic oportet esse, aut morieris! Dominus autem Cuno, quia nudus erat, cogitabat qualiter

(a) Hanc periodum editores Mart. et Honth. ita legunt: „Postea substituto illo de Kirc„kil in provisorem ecclesiae Moguntinensis restituit.“ Reliqua omnia desiderantur.
In Alberti Argent. Chronico legimus: „An. 1348. mens. Febr. Conradus de „Kirckel, minister Moguntinensis ecclesiae, a Joanne juniore comite de Nassawe cum „multis armatis capitur, et Cuno de Valkenstein, canonicus Moguntinensis, in minis„terio per capitulum subrogatur.“

(b) Al.: Cronemberg (Cronenburg).

(c) Edd.: lintigamine.

(d) Ibid. deest: enim.

(e) Castelli munitissimi Clopp, prope Bingiam, anno 1689. a Gallis destructi, modo ruinae tantum visuntur.

evadere posset manus eorum; et allocutus est eos sermonibus blandis, ut expectarent adhuc modicum tempus (a), et quicquid posset pro utilitate patriae facere, libenter annueret. Et sic etiam hac vice per fenestram evasit, ad fossatum laboriose descendens (b).

Eodem anno Pingwenses videntes se fore deceptos, proposuerunt expugnare castrum Clopp, et pro se illud habere. Dominus vero Cuno, tunc existens in Erenfels (c) ex opposito Pingwe, nolens intrare oppidum propter traditionem, sed audiens clamorem populi et clangorem campanarum, videns Pingwenses velle castrum Clopp expugnare: statim surgens de lecto, congregans exercitum magnum, et primus in fossatum castri Clopp armatus prosiliens, castrum defendit, traditores captivavit, et quosdam exilio relegavit. Sic dominus Cuno ecclesiam Moguntinensem, in diversis periculis constitutam, cum providentia et labore gubernavit, et se totiens in mortem pro ipsa destinavit. O fidelis servus et prudens, qui (d) ita fideliter laboravit, qui (e) nec mori timuit, nec regem nec papam propter jusjurandum verebatur!

Tandem dominus Cuno videns dominum suum de Virnenburch, Henricum, viribus deficere, et morti appropinquare, cogitavit istud Evangelii: R e d d i t e, q u a e s u n t C a e s a r i s, C a e s a r i, e t q u a e s u n t D e i, D e o; volens strenue suum commissum terminare, veniens cum exercitu grandi et rege suo Gunthero de Swarczenburch in Eltfel, contra Karolum regem Bohemiae eum cupiens expugnare; sed dux Bavariae filiam suam Karolo tunc temporis desponsavit, et cum Karolo contra Guntherum Moguntiae venit; ubi Guntherus intoxicatus, sciens se non posse evadere, regnum resignavit Karolo, quia defraudatus erat per principes. Rediit (f) ergo Franckfort, et ibi mortuus et sepultus quievit anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo (g).

(a) Edd.: a d modicum tempus.
(b) Ibid. hic locus sic legitur: „annueret, et sic evasit per fenestram ad fossatum."
(c) Ibid.: E r i n f e l s. (d) Ibid.: q u i a. (e) Ibid. deest: q u i.
(f) In edd.: „quia defraudatus per principes rediit Franckfort."
(g) Conf. cap. 258. editionis nostrae.

CAPUT CCLXIV.

Tunc dominus Cuno animadvertens, domino Gerlaco a papa in archiepiscopum Moguntinensem (a) destinato viriliter restitit, et episcopatum sibi commissum defensavit. Omnes adhaerentes Gerlaco (b) et ejus partem foventes tam in spiritualibus quam in temporalibus spoliavit, ac exactione gravavit, carcerali squalore molestavit; et in opere hoc strenue perseveravit usque ad obitum domini de Virnenburch (c) archiepiscopi. Quo occulte de hac vita subtracto, capitulum Moguntinense dominum Gerlacum, a papa destinatum, in archiepiscopum acceptavit. Dominus vero Cuno territorium diocesis sibi commissum resignare penitus denegavit, nisi debita et damna sibi essent plenarie persoluta: et sic altercationis materia inter eos fuit exorta (d). Tandem principes inclyti et dominus Karolus rex, et dominus Baldewinus, archiepiscopus Trevirensis, cum aliis principibus Moguntiae (e) congregati, ad tractandum de statu regni, dominum Cunonem vocaverunt, et concordiam inter Gerlacum et dominum Cunonem fecerunt: ita ut Cuno Gerlaco (f) restitueret territorium Moguntinense, et ipse pro pignore, pro debitis, expensis et laboribus reservaret usque ad plenariam satisfactionem de munitionibus et castris sibi competentibus, scilicet Pingwiam cum oppido Erenfels cum teloneo; et sic pacificati et amicabiliter compositi, resignavit territorium et episcopatum domino Gerlaco cum honore et reverentia. Tunc rex dixit Cunoni: Cuno! intelleximus; estne verum, dominum

---

(a) In edd. non legitur: in archiepisc. Mogunt.

(b) Editores Mart. et Honth. hic perperam legerunt vel intellexerunt: Omnes adhaerentes sibi &c.

(c) Ibid.: Firnburg (deest: archiepiscopi).

(d) „Ex his dissensionibus magna pericula et incommoda in archiepiscopatu Moguntinensi „sunt exorta. Praedones enim circumquaque sedentes erecti sunt, et nemini pepercerunt. — Unusquisque, qui praevaluit, alium spoliabat, fugabat; tunc ve! omnibus „rurensibus circumquaque habitantibus, quia tam religiosi quam saeculares indifferenter praedabantur.“ Chron. miscell. ms., cujus verba inserta leguntur Tom. I. Serarii Rer. Mog. ed. Joannis, pag. 681., et Tom. III. Gudeni cod. dipl. p. 498.

(e) Mart.: Moguntinensi; male.

(f) Edd.: ita ut dominus Cuno ei &c.

Henricum de Vyrnenburch esse defunctum (a)? Cui dominus Cuno imperterrite respondit et viriliter: Domine rex! si dominus Henricus de Vyrnenburch adhuc in humanis esset, ista compositio et reformatio nullo modo intervenisset; et sic commissionis sibi factae laudabilem finem dinoscitur tradidisse (b).

Tandem rex dominum Cunonem adamavit, ei rebellionem domini de Wyrtinburch contra imperium querulose denuntiavit, petens, ut sibi fideliter contra eumdem de Wyrtinburch adhaereret in expugnatione rebellionis ejusdem. Dominus vero Cuno petitionem regis gratanter accepit, inflatamque superbiam illius de Wyrtinburch (c) cum armata manu et exercitu regali in nihilum redegit. Ipsum tamen pacifice cum rege pacificavit. Post haec dominus Gerlacus, Moguntinensis archiepiscopus, a domino Cunone castra et munitiones, quas pro laboribus et expensis sibi obligavit, ab ipso redemit in triginta millibus florenorum; et tamquam infamando propter quoddam foramen in Clopp factum subterraneum, propter cautelam effugiendi periculum praevisum, infamavit. Quam infamiam dominus Cuno coram rege et principibus tam prudenter et efficaciter defendit et se excusavit, quod ipso (d) cum honore, et domino Gerlaco cum pudore recedente, omnis infamia in nihilum redacta desiit.

CAPUT CCLXV.

De gestis domini Cunonis, postquam factus fuerat archiepiscopus Trevirensis (e).

Anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo secundo Cuno, electus (f) archiepiscopus Trevirensis, consecratur, introducitur et

(a) In edd. hic locus ita legitur: „intelleximus et est verum, dominum de Firnburg fore „defunctum." Lectio minus probanda.

Ex improviso (paralysi) illum obiisse ipso S. Thomae die anni 1353., memorant scriptores coaevi. — Quam vivens non poterat, moriens ecclesiae Moguntinensi pacem dedit.

(b) In Januario anni 1354. funesto dissidio modus imponitur ac finis Moguntiae.

(c) Sermo est de Eberhardo, Comite de Würtemberg.

(d) Edd.: ipse.

(e) Hunc titulum addit cod. Eberh. Clus.

(f) In edd. deest: electus.

confirmatur per dominum Bohemundum archiepiscopum (a). Qui factus archiepiscopus ecclesiam suam fideliter rexit et sublimavit, divitiis et honore ditavit, pacem in omnibus conservavit, et tam clero quam populo benigne praefuit.

(b) Non post multum temporis cives Trevirenses rebellare coeperunt, et eum tanquam indignum habere (c), et clerum civitatis graviter impugnaverunt; quibus cum sapientia restitit, eos ad imperatorem citavit, eos in curia imperiali devicit, eosque in expensis damnavit. Tandem concordia facta, ad cameram suam tria millia librarum denariorum Trevirensium ad tempora vitae suae, singulis annis dare et persolvere promiserunt, et sic pacificati sunt (d).

Post haec (e) dominus Engelbertus de Marca, archiepiscopus Coloniensis, cum capitulo, videns se et suam diocesim multis debitis et diversis gravationibus aggravatum, cogitavit communi consilio, qua ordinatione posset ecclesiam Coloniensem ab omnibus incommodis liberare. Cum suo capitulo communiter ad memoriam revocaverunt, qualiter honorabilis Cuno, archiepiscopus Trevirensis, ecclesias Moguntinensem et Trevirensem defensasset, gubernasset, rebus et honoribus ampliasset, ipsum in coadjutorem domini Engelberti unanimiter convocaverunt (f). Dominus vero Cuno, motus pietate, id domino Bohemundo insinuavit, et ejus consilio coadjutorium (g) episcopatus Coloniensis cum gratiarum actione accepit. Cui dominus Bohemundus congaudebat, quod suum electum etiam alii praeeligerent. Factus ergo coadjutor domini Coloniensis, ecclesiam a debitis absolvit, ac potentia rexit, et utiliter gubernavit. Nam comitatum in Arnszberch ecclesiae emit, omnes circumjacentes duces, comites, dominos,

---

(a) Vid. supra cap. 261. (b) Scilicet anno 1364.

(c) In edd. non legitur: et eum tanquam indignum habere. Conf. Magnum Chronicon Belgic. edit. Pistor. de an. 1654. p. 316. Hac occasione Cuno munimenta in Palatiolo infra Treviros antiquitus facta communivit fossis et muro alto et turribus.

(d) Vid. Kyriandri Annal. pag. 251. sq., et conf. Brow. Annal. II. pag. 236. sqq.

(e) Edd. non legunt: Post haec.

(f) Plurimi codd. mss. et edd. false nominant Ludolphum de Marca; erat enim Engelbertus III., nepos praedecessoris sui Adolphi II., Archiepiscopi Coloniensis, qui Cunonem nostrum Coadjutorem suum adscivit.

(g) Edd.: coadjutoriam. — „Her Cune Administrator vnd Momper van Colne.“ Sic habent variae chartae in cod. dipl. Rheno-Mos.

nobiles rebellantes expugnavit, raptores damnavit, et civitatem Coloniensem rebellantem, juribus ecclesiae injuriantem (a), ad satisfaciendum (b) compulit. Cives in Andernaco (c), contra episcopum repugnantes, expugnavit, judicio personaliter in civitate praesedit, et reos capitali sententia damnavit.

Tandem mortuo domino Engelberto (d), capitulum Coloniense dominum Cunonem vocavit, et ipsum unanimi consensu in archiepiscopum elegit. Sed dominus Cuno acceptare recusavit, et cum Trevirensibus remanere promisit, capituloque consilium dedit, si dominus apostolicus consentiret, ipse (e) administrator cum sollicitudine ecclesiam gubernaret, sicut huc usque; donec cum providentia ecclesiae de episcopo providerent. Tandem tempore aliquo transacto, dominus Cuno se deficere viribus considerans, capitulo Coloniensi suam administrationem cum honore, maximis solutis debitis, resignare dispo-

---

(a) In Chron. ms. membr., a quodam Coloniensi germanico idiomate exarato saec. XIV., et in bibl. Trev. N°. 1423. conservato, legimus: „In den Jairen vns herren M. CCC. „LXIX. geboit buschof Cuno van Treiere allen paffen uz Collen zu varen vmb „eyner fleschen wille de der burger meister her Johan van Koil Vils-„houen nam. In den Jairren vnsherren M. CCC. LXX. vp sente Matheis auen „wart vns der Sank weder." — Annales mss. ministr. ord. Minorum scribunt: „Anno 1369. Colonia interdicto per biennium subjacuit ob violatas exemptiones cle-„ricorum!"

Accuratius hanc rem memorant Annales Novesienses (pag. 588. sq.) his verbis: „Inter reipublicae gubernatores et clerum Coloniae simultas exo-„ritur. Senatus custodes duos ex civibus apud tumbam trium Regum constituere vo-„luit, velut et clerus; quia videbant, episcopos nimis leviter ecclesiae bo-„na oppignorare. Imponebant praeterea insolita vectigalia et exactiones. Eodem „tempore primum gerania vel tympana in usum apud Rhenum veniebant; quando vina „vel alia ad clerum necessaria ex navibus in littus extrahebant, mercedem poscebant. „Vinum etiam ne venderet clerus, a senatu interdicebatur; et ne quis vinum promat, „sive clerus sive civis, nisi a senatu constitutus; ne quis vinum a clero promtum emat. „His non attentis domini S. Joannis et S. Cordulae promebant, quia privilegiati. His „visis, jussit consul ex edicto senatus cuidam amphoram" (in Ms^to^ German.: fle-„schen, Flasche) „in emunitate eripi, idque vi. — Totus clerus vehementer sese se-„natui et communitati opposuit, eoque negotia direxit, ut senatus et communitas ex-„commuicaretur, et ecclesiastico interdicto biennio sunt subacti, et cle-„rus, jussu Cunonis administratoris ecclesiae Coloniensis, civitatem exiens, men-„sibus octodecim foris mansit. Cunone intercedente concordati sunt."

(b) Edd.: satisfactionem.

(c) Ibid.: in Andernacum.

(d) Engelbertus obiit anno 1368.

(e) Deest in edd.: ipse.

suit, petens ut consanguineum suum, filium comitis de Sarwerden (a), qui in studiis esset, in archiepiscopum eligerent; ipse vero eum in suis expensis per sedem apostolicam confirmare ordinaret. Cui consentiens capitulum, si curam gerere ipsius promitteret, donec ad notitiam ipsius episcopatus et capituli veniret; quod dominus Cuno gratanter accepit, et cognatum suum ad episcopatum Coloniensem promovit, et ad confirmandum et consecrandum suis expensis ordinavit; ipsius coadjutor fuit, et per aliquot annos in suis expensis tenuit. Tandem ecclesiae Coloniensi praesentavit, et ut personaliter episcopatum gubernaret, sibi fideliter indixit (b), salvis tamen quitantiis de omnibus proventibus domini Cunonis receptis. Qui dominus Coloniensis, in omnibus avunculum suum sequens, ecclesiam suam hostili manu defendit, cum adjutorio domini Cunonis, ut cunctis patet.

Dominus vero Cuno a Coloniensibus absolutus, post obitum (c) domini Gerlaci archiepiscopi Moguntinensis, a communi capitulo in archiepiscopum ejusdem ecclesiae petitur et eligitur. Quod dominus Cuno recusavit cum gratiarum actione; ecclesiam Trevirensem se tenere usque ad mortem eis nunciavit. Et sic remissis, imperator Karolus dominum Johannem, filium comitis sancti Pauli, suum consanguineum (d), Moguntiae episcopum eligi et confirmari (e) procuravit.

(a) Fridericum III. — Legimus in Chronicis Episc. Coloniensium mss. saecul. XIV. (biblioth. Trev., N°. 1432. sign.): „Fredericus filius comitis de Sarwer-„den, canonicus ecclesiae Coloniensis, mortuo domino Engelberto archiepiscopo „domino Trevirensi adhuc ecclesiam Coloniensem auctoritate apostolica gubernan-„te, ipse Fredericus XXVIII. annorum, per ecclesiae Coloniensis capitula con-„corditer postulatus est; cujus quidem postulationis effectum dominus Karolus IV. im-„perator, quam diu potuit, impedivit, quia ipse consanguineum ad ecclesiam Colonien-„sem potius promovisset. Dominus Vrbanus papa dominum postulatum XIIII. die „mens. Nov. sub anno M. ccc. lxx. praefecit Coloniensi ecclesiae in archiepiscopum et „pastorem."

(b) Vid. diploma Friderici Archiepiscopi Coloniensis de anno 1371. in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 252. sq.

(c) Anno 1371.

(d) Quibus ille Joannes natus fuerit parentibus, non una omnium est sententia. Scriptores nonnulli (Lazius, Bruschius, Guillimannus, Serarius, Bertelius, Balbinus, Schilterus et Hübnerus) Wenceslai, Lucelburgensium Ducis, filium faciunt. — Jacobus de Königshoven in Chron. Alsat. scribit: „Johans von „Line oder von Lüzelburg, ein Walich." — In Fast. Limpurg. §. 113., ubi de

Dominus vero Cuno in Treviri manens, ipsam prae Coloniensi et Moguntinensi praeelegit, rexit et gubernavit. Quis unquam talem virum vidit, cui tot honores et beneficia applauderentur?

CAPUT CCLXVI.

Dominus vero Cuno archiepiscopatum suum Trevirensem ampliavit (a), omnia castra et fortalitia firmavit, muros exaltavit, frumento et vini abundantia ditavit. Castrum Schonecke cum suis attinentiis a duce Lutzelinburgensi oppignoravit. Tandem resoluto a duce et ipso mortuo, a rege Wenzelao iterum oppignoravit majori pecunia. Ducem Lotharingiae (b) pecuniis concessis sibi amicabiliter propter pacem patriae reconciliavit; comitem de Wede (c) cum Isenburgensibus tamquam spoliatorem provinciae (d) expugnavit, et ad restitutio-

---

praelio Juliacensi sermo est, legimus: „Und der Graff von St. Paul von Welschland „blieb auff der Brabander Seiten, mit viel seiner Landsleute aus Welschland, und Johann „Ertz-Bischoff zu Maynts, der war ein Bruder des vorgenannten St. „Paul, wiewohl doch daß er ein Wahl war (i. e. ein Welscher)." Auctor epitaphii Joannis in Eberbacensis monasterii templo scripsit: „Joannes de Lutzelburg, „sancti Pauli comes." —

G. Chr. Joannis, in sua edit. Serarii rer. Mogunt. Tom. I. pag. 681. Joannem Wenceslai Ducis consanguineum statuit, non filium; filium vero Joannis Lucelburgensis, Comitis Ligniaci (de Linie), et Adelheidis Flandricae. Joannis ignorasse videtur sententiam Gestorum Trev., de qua apud eum nulla fit mentio.

(e) Edd.: eligere et confirmare.

(a) Vide inter alia documenta illud Caroli IV. Imperatoris, 31. Maji 1376., apud Honth l. c. pag. 265. sqq.

(b) In cod. ms. Trev., N°. 41. sign., legimus: „In qua concordia Cuno archiepiscopus „Joanni duci Lothoringiae dedit quindecim millia florenorum boni auri et ponderis „de Reno." —

(c) Wilhelmum Comitem de Wyde (Wied). Cod. Trev. N°. 1344. habet: comitem de Weda.

(d) Hac de re Fasti Limp. §. 116. sq. scribunt: „In derselbigen Zeit, zu Halbfasten, da „sollten die Niederländische Kauffleute mit ihrem Gewand den Rhein auffahren in die Meß „gen Franckfurt. Da sie kamen bey Andernach den Rhein auff, eine Meil Wegs, da kam „der Graff von Wiedt, und Velten von Isenburg, und nahmen da den Kauffleu- „ten mehr dann vier Tausend Gülden werth Gewand, und führten das gen Isenburg." — Conf. diplomata an. 1371. in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 250. sqq., et apud Günth. l. c. pag. 749. sq.

nem rapinae coarctavit; ecclesiam in Enggero (a), quae ejusdem comitis erat, sibi retinuit, munitionemque de ecclesia et villa fecit.

Imperatorem Karolum pluries recepit, eique cum suo exercitu in expensis abundanter providit. Primo quando fratrem suum, ducem Brabantiae, captum a duce Juliacensi resolvit, et quando filium suum Wenzelaum in regem Romanorum procurare curavit; quem etiam dominus Cuno cum aliis principibus electoribus in regem elegit ac coronari Aquisgrani promovit. Ipsum vero regem post mortem domini ducis Brabantiae, quando idem ducatus (b) sibi jure paterno est translatus, cum reverentia suscepit, et in expensis laudabiliter providit. Provinciam vero Trevirensem universaliter ab insultu et infestatione diversorum malorum satis (c) praemunivit cum exercitibus et expensis: primo contra quendam capitaneum, nomine Silvestrum; secundo contra dominum de Cossino cum suo exercitu, quibus si non restitisset cum potenti et valida manu, totam patriam cum violentia devastassent, sicut aliis provinciis fecerunt.

(a) Engers, Cunen-Engers. Vid. diplomata Wilhelmi, Comitis de Wied, an. 1371., et Johannis, Comitis de Sayn, an. 1374. ap. Günth. l. c. pag. 747. et 781. —

Joh. Phil. de Reiffenberg (Antiquitates Saynenses anno MDCLXXXIV. collectae, anno 1830. primum editae) haec scribit pag. 43. sq.: „Postquam Cuno Fal„kensteinius, Archiep. Trevir., an. 1371. Cunosteiniam contra Wiedae et Isenburgi „comites moliri coepisset, Joannes et Godefridus, Seynae comites, jure suo cedentes „ecclesiae Trevirensi subdidere; Joannes et Godefridus, Seynae comites, inquam, „non Joannes Godefridus Seynae comes, ut Browerus (Annal. Trev. II. p. 240. sq.), „nec Godefridus tantum, ut Masenius“ (Epit. p. 553.) „habet; Joannes enim, Seynae „comes, cui Elisabetha Juliaca uxor, fratrem et patruelem habuit utrumque Godefri„dum dictum, frater tamen post annum circiter 1326. e vivis excessit; patruelis ergo „Homburgi dominus fuit, qui, cum ejus ob pactum de non alienando, anno 1351. in„itum, ad hanc archiepiscopo Cunoni factam alienationem consensus requiratur, ces„sioni illi cum Joanne subscripsit.“

(b) Edd.: quando ducatum.

(c) Ibid.: diversorum malorum societate &c.

„Anno 1380.“ (habent folia mss. jam saepe notata) „triplex factio praedonum de„letur. Prima factio Rhenana dicebatur Leonum saevientium. Secunda „Westphalica Falconum. Tertia ad tractum Loganae dicebatur Cornu„torum.“ — Ad annos 1385. et 1386. haec folia addunt: „1385. Treviris apparet „terribilis cometa in aëre. 1386. plaustrum vini absque vase vendebatur Treviris „uno aureo; vas vacuum duobus vel etiam tribus aureis.“ — Cod. ms. Himmerod., „modo Trevir., N°. 1438. sign., haec tali modo refert: „Plaustrum vini venit anno „1386. tribus florenis, et exponenti proprium vas musto repletum fuit pro uno floreno.“

CAPUT CCLXVII.

De resignatione archiepiscopatus domini Cunonis, et de morte ejus.

Tandem honorabilis dominus Cuno sentiens se in infirmitate corporis ac debilitate gravari, coepit cogitare, qualiter ecclesiae Trevirensi de bono provisore provideret, antequam de hac luce per mortem discederet; et pluribus personis examinatis, nec inventis, quia multi sunt, qui honores appetunt, sed dispensationem honoris et laborem non quaerunt: implicatus ergo, quid faceret, ignoravit. Tandem inspiratione divina incidit sibi consilium bonum, ut Wernherum consanguineum suum de Falckensteyn, natum ex filia (a) fratris sui domini Philippi bonae memoriae, diu in curia sua probatum, tam in archidiaconatu Trevirensi, necnon in praepositura sancti Florini Confluentiae, ac praepositura sancti Paulini fideliter examinatum, simplicem et rectum, providumque inventum, promoveret ordinari in locum suum, quia idoneus et providus esset. Quod quidem consilium suis intimis consiliariis et amicis intimavit, quibus omnibus placuit. Et sicut dominus Bohemundus secum fecit, sic et dominus Cuno cum domino Wernhero facere disposuit, mittens suum legatum providum et honestum, scilicet dominum Johannem de Lynse (b), curiae Tre-

---

(a) Sic codd. mss. et edd. Idem asseritur in Broweri Annalibus. Probare interim conatur Reiffenberg supra laudatus (Antiq. Sayn. pag. 44. sqq.) Wernerum Philippi, fratris Cunonis, fuisse filium. — Conf., si libet, schema genealogicum ap. Honth. l. c. notab. pag. 293.

(b) Circa annum 1374. floruerunt Treviris duo viri illustres. Primus est ille in Gestorum textu nominatus Joannes de Lynse (rectius Joannes Herberdus de Linz) Officialis metropoliticus, et a Cunone Archiepiscopo ad Urbanum VI. Papam legatus in negotio resignationis factae Wernero a Falckenstein successori.

Alter est Petrus de Livania, ortus ex vico ad Mosellam, quem Leiwen hodie nominamus, laudatus a Trithemio Abbate vicino compatriota (in Chron. Hirs. II. ad an. 1374.) tanquam rhetor suo tempore facundus, poeta et astronomus nulli sua tempestate secundus. Inter alia ignota ingenii sui monumenta reliquit, narrante Trithemio:

1. Contra somniatas prophetias Joannis de Recpecissa Ord. Min. libros 5 metro simul et prosa.
2. Contra vanitatem Alchimistarum libros 3.

virensis tunc officialem, cum literis supplicationis ad dominum Urbanum papam; ut negotium illud domino apostolico intimaret, et de vita et honestate domini Wernheri, necnon de senio et debilitate domini Cunonis, et de utilitate patriae nihil reticeret. Quam petitionem dominus Urbanus papa cum cardinalibus gratanter accepit, dominoque Coloniensi, ac domino abbati S. Maximini (a), necnon domino abbati S. Mariae ad Martyres (b) hujusmodi supplicationem et inquisitionem examinare et facti evidentiam sibi renuntiare fideliter demandavit: utrum dominus Wernherus morum decentia, animi prudentia posset diocesim conservare, gubernare et defensare. Qui reverendi domini mandato apostolico obedientes, diligenti inquisitione et examinatione peracta, invenerunt dominum Wernherum in omnibus idoneum, tamquam virum approbatum, et archiepiscopatu dignum, renunciaverunt domino apostolico cum humilitate et reverentia, ut decuit, dominum Wernherum esse dignum, necnon illam resignationem esse factam ad utilitatem ecclesiae Trevirensis et universalis patriae, cum (c) benivolentia et promta voluntate domini Cunonis. Dominus vero apostolicus cum cardinalibus suis responsionem illam accepit, et factum approbavit, dominum Cunonem ab archiepiscopatu Trevirensi absolvit, et dominum Wernherum ad archiepiscopatum ecclesiae Trevirensis in Dei nomine sublimavit, confirmavit ac consecrari mandavit. Executoribus eisdem literis apostolicis stricte praecepit, ut rebelles et contradictores hujus utilissimae ordinationis per censuram ecclesiasticam coarctarent, donec obedirent et expensis satisfacerent.

Insuper domino Wernhero, existenti in diocesi Trevirensi, pallium transmittere promisit; et sic omnia circa dominum Cunonem et dominum Wernherum sunt debita forma consummata. Capitulum vero ecclesiae Trevirensis se aliquomodo opposuit, eo quod dominus Wernherus capitulariter electus non esset; timentes canonici, ne jus elec-

---

3. Contra indoctos Astronomos libros 2.
4. Pro defensione facultatis Astronomicae libros 4.
5. Introductorium Astronomiae pro eam discere volentibus.
6. Librum unum de nativitatibus judicandis.

(a) Rorico. (b) Wilhelmo.

(c) Edd.: et benivolentia &c.

tionis perderent. Sed tandem auditis causis et examinatis et inventis, quod pro utilitate ecclesiae et totius patriae factum fuerat, consensum dederunt, dominum Wernherum elegerunt, electum et confirmatum recipere unanimiter promiserunt.

Dominus vero Cuno domino Wernhero archiepiscopatum Trevirensem resignavit, et laudabiliter introduxit, et (a) ad castra et munitiones, et ad totam terram ipsius ecclesiae introducere, et sibi praesentare ordinavit cum debitis honore et solemnitate, cum abundantia magna vini et frumenti absque debitis solutis (b), cum pace et tranquillitate. Ita dumtaxat, ut asseritur, quod in centum millibus florenorum et multo amplius repertum est in meliori statu, quam dominus Cuno in suo introductu invenit, quia promtuaria omnia erant plena. Haec facta sunt anno domini millesimo tricentesimo octuagesimo octavo in Majo.

Dominus vero Cuno timens, ne juvenis Wernherus, electus et introductus, larga manu thesaurum ecclesiae expenderet, thesaurum sub sua custodia reservavit, non, ut quidam malae fidei putaverunt, et etiam promulgaverunt, non ut ecclesiae alienaret; sed ita reservavit, ut tempore debito domino Wernhero praesentaret. His omnibus ita factis, dominus Cuno, heu! quod sine (c) dolore dicere non possum, mortuus est (d). Et quia justus, quacumque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sepultusque est Confluentiae ad sanctum Castorem, eodem anno statim in Junio, quinta feria infra octavam Pentecostes: cujus anima requiescat in pace, amen! Dominus vero Wernherus domini Cunonis exequias fieri ordinavit statim in Julio post ejus obitum, scilicet in festo sancti Jacobi: ubi dominus Coloniensis (e), et honorabilis dux Bavariae Adolphus, cum multis principibus, comitibus, dominis nobilibus, secularibus et spiritualibus, cum debita reverentia exequias peregerunt; et dominus Wern-

(a) Edd. omittunt: et.
(b) In edd. omittitur: solutis.
(c) Edd. legunt: prae dolore.
(d) XXI. Maji 1388., in arce Welmich (Canoburg) ad Rheni oram, infra S. Goarem. — Ruinae hujus castelli a Cunone exstructi adhuc visuntur.
(e) Fridericus.

herus omnes expensas largiter fieri jussit, et elemosynas larga manu dari ordinavit.

CAPUT CCLXVIII.

Bulla domini Cunonis de quibusdam altaribus majoris ecclesiae Trevirensis procurandis (a).

„In Dei nomine amen. Cuno Dei gratia sanctae Trevirensis ec-„clesiae archiepiscopus, et sacri imperii per Galliam archicancellarius „ad perpetuam rei memoriam.

„Dudum recolendae memoriae reverendus in Christo pater et do-„minus, dominus Bohemundus de Saraponte, olim archiepiscopus Tre-„virensis, praedecessor noster, animadvertens sedulo, quomodo alta-„ria S. Nicolai et Agnetis, Georgii et S. Trinitatis in ecclesia Tre-„virensi, respectu servitiorum et laborum incumbentium paucis sunt „dotata reditibus, et specialiter SS. Nicolai et Agnetis altaria ante „dicta, quae ex primaria sui fundatione singulis diebus certis horis „diei singulas missas exposcunt. Considerans insuper, quod labori-„osum et difficillimum esset, uni presbytero omni die missam celebrare, „concepit quasdam salubres ordinationes infra scriptas. Et ut hujus-„modi ordinationes tanto ferventius quanto devotius servarentur, red-„ditus annuos singulorum altarium praedictorum disposuit, jussit et „fecit singulis viginti libris Trevirensium denariorum usualium censu-„alibus annuis augmentari. Verumtamen, sicut Domino placuit, morte „praeventus, ordinationes praedictas per ipsum devota et sancta mente „conceptas, non adimplevit totaliter juxta vota.

„Nos igitur pia intentione affectantes, ut sicut eidem domino „praedecessori nostro in archiepiscopali honore, altissimo disponente, „successimus; ita et in praeconceptis per ipsum saluberrimis ordina-

(a) In edd. alium titulum legimus, nempe: Ordinatio Cunonis archiepiscopi pro S. Nicolai et S. Georgii capellanis.

Vox Capella, et illa Capellani, vario modo in actis medii aevi occurrit. Vid. Du-Cange. — Hocce loco denotantur illi clerici, qui in designatis altaribus cujusdem capellae sacris peragendis officiis operam dabant, et qui posteris temporibus Vicarii dicti sunt.

„tionibus succedamus, et bona opera per ipsum inchoata non rema-„neant inexpleta. Ad laudem Dei omnipotentis et gloriosissimae Vir-„ginis Mariae Matris ejus, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum „ac patronorum altarium praedictorum, necnon ad capellanorum eo-„rumdem altarium commodum et profectum, de consilio venerabilium „devotorum nostrorum decani et capituli ecclesiae Trevirensis, juxta „mentem, propositum et devotum conceptum memorati praedecesso-„ris nostri ordinare et statuere decrevimus, ac ordinamus et statui-„mus per praesentes: ut deinceps capellani pro tempore altarium sanc-„torum Nicolai et Georgii praedictorum, in officiandis eisdem altari-„bus, mutuo sibi succedant (a); utque capellanus altaris S. Nicolai, „quod omni die circa horam diei officium missae exposcit, idem al-„tare in officio missae per unam integram septimanam deserviat, et „alia septimana integra immediate sequenti capellanus altaris sancti „Georgii idem altare sancti Nicolai simili modo in officio missae de-„serviat, ut est moris. Et pro hujusmodi septimana capellanus altaris „sancti Nicolai altare sancti Georgii, quod omni die officium missae non „requirit, ex debito laudabiliter deserviat, ut est moris. Qua quidem „septimana finita, capellanus altaris sancti Nicolai deserviat, et illa finita, „iterato praefatus capellanus altaris sancti Georgii altare sancti Nicolai, „et capellanus altaris sancti Nicolai altare sancti Georgii per aliam septi-„manam immediate sequentem deserviat; et sic deinceps alternis septima-„nis dicti duo capellani in deserviendo et officiando eadem duo altaria „mutuo vicissim sibi subveniant, prout utriusque altaris onus exposcit.

„Volumus etiam et ordinamus, ut illis vicibus et septimanis, qui-„bus alter ex dictis capellanis altare alterius eorumdem officiabit et „deserviet, capellanus deserviens capiat, habeat et recipiat ad opus „suum omnes et singulas oblationes altaris illius cui deservit (b), et „quae ad idem altare provenient pro tempore in pecunia numerata „duntaxat; aliis omnibus et singulis oblationibus in cera, ovis, thure, „et aliis quibuscumque rebus consistentibus proprio et vero capellano „ejusdem altaris nihilominus remansuris. Exceptis tamen diebus et „festis (c) SS. Nicolai et Barbarae, in quibus omnes et singulae ob-

(a) Edd.: subveniant.
(b) Ibid. legitur: altaris quod deserviet.
(c) Ibid.: diebus festivis.

„lationes, sive in pecunia numerata, sive quibuscumque aliis rebus ad „dictum altare sancti Nicolai pervenerint, erunt et esse debebunt „veri et proprii capellani dicti altaris sancti Nicolai, non obstante si „eisdem festis aut eorum aliquo capellanum altaris sancti Georgii „dictum altare sancti Nicolai officiare et deservire contingat.

„Simili modo decrevimus, ordinavimus, decernimus, ordinamus „et statuimus per praesentes, ut deinceps capellani pro tempore al„tarium sanctae Agnetis et sanctae Trinitatis, quorum alterum, videli„cet altare sanctae Agnetis ex primaeva sui institutione, omni die et „circa horam diei officium missae requirit, in officiandis et deservi„endis eisdem altaribus, singulis alternis septimanis mutuo sibi sub„veniant et subvenire debeant, prout de aliis duobus capellanis et al„taribus superius est expressum. Circa oblationes tamen ad ista duo „altaria pro tempore provenientes, sive in pecunia numerata, sive „quibuscumque aliis rebus consistant, ordinavimus et praesentibus or„dinamus, ut illis vicibus et septimanis, quibus alter ex eorumdem „altarium capellanis altare alterius officiabit et deserviet, capiat, ha„beat et recipiat ad opus suum omnes et singulas oblationes, quae „ad idem altare provenient pro tempore juxta morem. Volumus etiam „eosdem capellanos et eorum quemlibet obligari, constringi et arctari, „cogi et compelli per censuram ecclesiasticam, necnon privationem „altarium eorumdem et alia juris remedia opportuna, ad deservien„dum et officiandum altaria ante dicta juxta ordinationes nostras prae„dictas, et per praefatum praedecessorem nostrum devotissime prae„conceptas.

„Mandamus igitur, et sub excommunicationis poena districte „praecipimus eisdem capellanis et eorum cuilibet, quatenus hujus„modi nostras ordinationes sanctas, et salubres actiones, quarum (a) „redditus et proventns singulorum altarium praedictorum singulis „censualibus annuis (b), viginti libris Trevirensium denariorum „usualium, sunt adaucti, summopere (c) alacri studio et debita „reverentia suscipiant, et illis cum omni humilitate et devotione

(a) In edd.: „ordinationes sanctas et salubres, actione quarum &c.“
(b) Edd. legunt: annis.
(c) Ibid.: sunt adaucti summa, opere alacri, studio &c.

„obediant et intendant, praefatum praedecessorem nostrum et nos commendaturi (a) Deo omnipotenti, beatissimae et gloriosissimae Virgini „Mariae (b) Matri ejus, beato Petro et patronis altarium praedicto„rum, quotiens in eisdem altaribus missarum solemnia celebrabunt. „In quorum testimonium nos Cuno, archiepiscopus antedictus, sigillum „nostrum, et nos Nicolaus de Pictinga, decanus, et capitulum eccle„siae Trevirensis, quia praemissa et eorum singula de nostro consilio „processerunt, sigillum nostrum capitulare appendi fecimus ad prae„sentes. Datum anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo oc„tavo, sexta die Aprilis."

CAPUT CCLXIX.

Gesta domini Wernheri, archiepiscopi Trevirensis nonagesimi quinti, feliciter incipiunt.

Dominus Wernherus, archiepiscopus Trevirensis electus et confirmatus, nondum consecratus, clipeo patientiae se armavit, quia statim post obitum domini Cunonis bonae memoriae coeperunt tentationes ipsum invadere. Primo dominus Philippus de Falckensteyn (c), suus avunculus, thesaurum ecclesiae, quem dominus Cuno reliquit, petiit dicens, quod dominus Cuno tutor in juventute suae pueritiae fuisset dominii in Minzenburg (d), et collectum thesaurum inde asportasset, quem ecclesiae Trevirensi administrasset; illum rehabere vellet. Etiam dicebat (e), dominum Wernherum ad archiepiscopatus honorem (f) non venisse, si ipsum non promovisset, et sic cum indignatione (g) recedere disponebat. Dominus vero Wernherus patienter et sagaciter cum consilio suorum respondebat, quod dominus Philippus non commoveretur, nec ingrate reciperet, quia thesaurum, quem peteret, alicui dare sibi non liceret (h), donec exequias domini

(a) Ibid.: commendaturos.
(b) Ibid. deest: Virgini Mariae.
(c) Philippus Junior de Falkenstein, dominus de Münzenberg.
(d) Al.: Myntenburg (Münzenberg).
(e) In edd. deest: dicebant.
(f) Ibid.: ad archiepiscopatum.
(g) Ibid.: cum ingratitudine.
(h) Ibid.: valeret.

Cunonis cum devotione peregisset. Ibi cum consilio principum electorum imperii ac amicorum utriusque vellet facere, salvo honore, quod amici permanerent. Eadem forma dominus Coloniensis (a) etiam thesaurum petivit, quem dominus Cuno de administratione ecclesiae Coloniensis deportasset, immemor beneficiorum sibi factorum a domino Cunone, tam in promotione archiepiscopatus, seu quitantiarum omnium solutione. Cui dominus Wernherus benivole respondit, suum non esse, thesaurum ecclesiae alicui dare absque consilio illorum, quorum interesse videretur. Etiam quia (b) speraret, quitantiis (c) et aliis patentibus literis ipsum instruere, quod nihil ei teneretur, salvo tamen melioris affirmationis testimonio (d).

Insuper in Septembri dominus Karolus, rex Franciae (e), venit cum magno exercitu et inaestimabili contra ducem Gelriae, quem proponebat expugnare. De quo exercitu quidam contra dominum Wernherum se erigere proposuerunt. Statim dominus Wernherus se eis opponere disposuit, munitiones et castra sui archiepiscopatus munivit cum exercitu militari; ubi gravibus expensis semper expectavit eos, et expugnare cum Dei adjutorio disponebat: et ita usque ad recessum regis contra suos adversarios viriliter se tenebat.

Etiam licet praepeditus illis et aliis anxietatibus, impedientibus

---

(a) Fridericus.

(b) In edd. deest: quia.

(c) Quitanciis. Vid. promissionem Friderici, Archiep. Colon., 20. Junii 1371., apud Honth. l. c. II. pag. 252.

(d) In edd. legitur: „salvo tamen jure melioris affirmationis."

(e) Carolus VI. — Fasti Limp. §. 180. scribunt: „Anno 1389. zog der König von „Franckreich in Teutschland über einen Hertzogen von Jülich, und über den Hertzogen von „Geldern — — Auch so hatte der vor genannte König mehr dann Tausend Hundert reisi„ger Pferde, also, daß man sein Volck achtete an Sechs Tausend Ritter und Knechte, „ausgenommen die Schützen die er hatte. Und lag der König mit seinem selbst Leib zu „Feld mit grosser Gewalt, mit solcher Herrlichkeit und Herrschafft, als bißher an diesem „heutigen Tag nie mehr gesehen ward in Teutschen Landen, und führte mit ihm Müntzer, „die ihm alle Tage Gülden schlugen. — — Derselbige König ward rasend als ein Hund „in Dreyen Jahren darnach." —

Iste Carolus, cum in Britanniam minorem exercitum duxerat, ardore solis icto capite, ut fertur, in amentiam incidit, quae ex intervallo rediit.

Fasti Limp. praedictam Caroli VI. expeditionem perperam ponunt ad annum 1389. — „L'an 1388 aux mois de Septembre et d'Octobre, Charles fait une expé„dition dans les pays de Gueldres." (L'art de vérifier les dates.)

omnibus exclusis, se ad Deum convertit, ordinem presbyteratus suscepit, ac se in episcopum consecrari fecit secundum mandatum domini apostolici, anno Domini millesimo tricentesimo octuagesimo octavo in Septembri circa festum beati Matthaei. Etiam dominus Wernherus virtute armatus omnibus officiatis suis firmiter mandavit, ut omnes suos subditos religiosos, canonicos regulares, moniales, et eorum bona defenderent, gubernarent, et de manibus raptorum eriperent, et tamquam sua bona praeservarent. (a).

CAPUT CCLXX. (b)

Idem dominus Wernherus Johannem, comitem de Solmes (c), diffeodatum hostem cum pluribus nobilibus et satellitibus suis in conflictu cepit, qui ad castrum Monthabor deductus, tam diu vinctus servabatur, donec cum suis renuntiationibus et obligationibus liberatur opportunis. Idem Wernherus theloneum, quod Cuno olim a Confluentia ad Capellen transtulit, ad Engers posuit, anno Domini millesimo quadringentesimo secundo. Insuper dum tempore quodam cives Franckfortenses intra limites dominii temporalis domini Wernheri turres sive speculas temere aedificassent, congregato valido exercitu, ut fertur trium millium equitum, Franckfortiam armis petiit, propugnacula ipsa ad solum dejecit, ac demolivit. Item Wesalienses oppidanos, circa medium quadragesimae rebelles, ecclesiae suae plurimum abstrahentes, obsidione cinxit, et ad praestandum perpetrati facinoris emendae (d) literas strictius coarctavit. Item circa annum Domini millesimum tricentesimum nonagesimum quartum guerram gravem cum nobilibus de Arburch (e) gessit; ubi Wernherus fortalitium Welthenhusen cepit, et funditus destruxit. Eadem guerra tam atrociter ex utraque

---

(a) Edd. addunt: „Sit ergo nomen Domini benedictum in saecula. Amen.“; sed haec non leguntur in codd. Eberh. Clus., Trev., N°. 1434. sign., et Lind.

(b) Totum hoc caput desideratur apud Mart. et Honth.

(c) Solms.

(d) Emenda, i. e. satisfactio seu poena delinquentibus imposita.

(e) In chartis (ap. Günth.) legimus: „Wir Johan von der Marke Here zu Areberg &c.“ l. c. pag. 918. sq. — (Aremberg.)

parte continuata est, et tam diu, donec ipse comes de Arburch redderetur extorris: cujus quidem livor in nostram aetatem proserpsit. Cum comites silvestres ecclesiam Trevirensem diu molestiis affecissent, Wernherus inter bellandum castrum Droneck obsedit potenter; sed imbrium frequentia cum exercitu lassatus castra dissolvit, reque infecta abiit. Dissensione extunc per compositionem amicabilem sopita, arcem Wernersseck (a) de novo construxit; unde et a suo nomine idem castrum nominatur.

Anno Domini millesimo quadringentesimo secundo castrum ad muros Witlich eximie a fundo inchoavit (b). Wernherus ecclesiam Trevirensem laudabiliter annis triginta gubernavit: princeps majoris fortunae, minoris industriae; nam introitum a Cunone accepit opulentissimum, exitus ejus ferme pauper auro consumpto, promptuariis quoque vacuis (c). Fuit interim vir mirae tranquillitatis, et per omnia pacificus. Obiit autem anno Domini millesimo quadringentesimo decimo octavo (d) in die sancti Thirsi Martyris et ducis de legione

(a) Vid. Günth. cod. dipl. IV. pag. 97. sq. —

(b) Quidam codd. mss. referunt ad Werneri tempora hoc factum: „Anno 1403. in fossis „Praepositi ad S. Paulinum inveniuntur multa Christianorum monumenta signata XP.; „oratorium B. Magdalenae ibidem consecratur per Suffraganeum Trev. Conradum.“

(c) Cuno thesauros Wernero reliquerat; horum thesaurorum augendorum studio hic ad alchimiam conversus, vix non omnia dissipavit. Trith. (Chron. Hirs. II. p. 286. sq.) narrat: „Wernherus Archiep. magnitudine thesaurorum insatiabilis factus, si„mul et curiositate vana seductus, multis in pontificatu annis, alchimiae dedit ope„ram; quod ut verum demonstremus, duobus cito fiet manifestum: altero, quia noto„rium est usque in praesentem diem apud Confluentinos, quod in castello suo juxta „littus Rheni dictum Capella, in opposito oppidi Lanstein, alchimiae vanitatis profes„sores annis plurimis secreto tenuit operantes: altero manifestum erit hujus in eo „vanitatis testimonium, quia libri extant hodie plures de alchimia nomine ejus in„scripti, quorum vidimus nonnullos &c. &c.“

Conf. diploma capituli Metropolitani Trevirensis, laudi Werneri parum inserviens, quo a Bonifacio IX. petit, ut Wernero Archiepiscopo, mentis impoti, Fridericus Episcopus Trajectensis coadjutor detur (de anno 1399.) — (Raynald. continuat. Annal. Baron. Tom. XVII. ad h. an. — et Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 311. sq. —).

(d) In die S. Francisci: cod. ms. Trev., N°. 1434. sign. — Alia folia mss. referunt: „Wernerus moritur in arce Burenberg, et sepelitur Confluentiae in aede S. Castoris, „olim aedificata a b. Riza.“ — Ap. Brow. II. pag. 266. legimus: „Tumulus ei „Confluentiae in aede b. Castoris exadversum avunculi Cunonis sepulchro erectus cum „hoc titulo: Hic requiescit Dominus D. Wernerus de Königstein Ar-

Thebeorum, sepultusque est Confluentiae in ecclesia sancti Castoris in choro.

CAPUT CCLXXI.

(a) „Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam „rei memoriam.

„Apostolicae sedis providentia circumspecta singulorum fidelium, „praesertim ecclesiasticarum personarum actiones et consuetudines „laudabiles discutiens, circa statum earum prosperum diligenter invi„gilat, et ea quae in his ad ipsarum noxam et detrimentum, ecclesi„asticaeque libertatis diminutionem redundare prospicit, studet oppor„tunae provisionis remedio submovere. Sane nuper pro parte vene„rabilis fratris nostri Wernheri archiepiscopi et dilectorum filiorum „capituli, necnon cleri civitatis (b) et diocesis Trevirensis nobis ex„hibita petitio continebat, quod in dictis civitate et diocesi a longin„quis retroactis temporibus observatum et tentum est, et adhuc ser„vatur et tenetur, et quasi in praescriptam consuetudinem, quae me„rito non consuetudo, sed potius confusio seu corruptela dici mere„tur, introductum extitit, quod quotiens aliquem ex beneficiatis in „civitate vel diocesi praedictis testatum sive ab intestato decedere „contingit, archiepiscopus pro tempore existens de omnibus et singu„lis ipsius decedentis bonis se intromittit, eaque recipit et convertit „in suos usus; quodque propterea in eadem civitate et diocesi in per„sonis ecclesiasticis ac eorum rebus et bonis ecclesiastica succumbit „libertas, clerusque servili subditur conditioni; necnon beneficiati tam „a parentibus, quam a creditoribus eorum in necessitatibus suis sae„pissime derelinquuntur, ac defectus et damna gravia, et quandoque

---

„chiepiscopus Trevirensis, Qui Obiit Anno Domini M.CCCC.XVIII. „Quarta Die Mensis Octobris."

(a) Bina quae hic sequuntur diplomata, quibus a Papa Bonifacio IX. et Wernero Archiepiscopo clericis Trevirensis Archidioecesis jus testandi conceditur, desunt in editione Gestorum ap. Honth., qui ea tamen edidit in sua Hist. Trev. dipl. Tom. II. pag. 302. sqq. —

(b) Honth.: „et dilectorum filiorum capituli civitatis &c."; vitiose.

„penuriam sufferre coguntur; odia quoque et scandala non modica in-„ter clerum et laicos dictarum civitatis et diocesis pluries exorta „sunt, et timentur etiam in futurum (a) verisimiliter exoriri.

„Quare pro parte dictorum archiepiscopi, capituli et cleri nobis „fuit humiliter supplicatum, ut consuetudinem et introductionem, seu „potius confusionem et (b) corruptelam hujusmodi penitus submovere „et abolere, ac archiepiscopo Trevirensi pro tempore existenti de „alicujus alterius honestae subventionis auxilio in recompensam pro-„videre de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes „super praemissis salubriter providere, hujusmodi supplicationibus in-„clinati, introductionem et consuetudinem hujusmodi auctoritate apos-„tolica tenore praesentium penitus submovemus, et etiam abolemus; „et nihilominus quod archiepiscopus Trevirensis, qui pro tempore fu-„erit, in recompensam abolitionis hujusmodi fructus primi anni quo-„rumcunque beneficiorum (c) civitatis vel diocesis praedictarum, quo-„tiens ea vacare contigerit, salvo tamen jure camerae apostolicae et „cujuslibet alterius, recipere libere et licite possit, eadem auctoritate „concedimus per praesentes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc „paginam nostrae submotionis, abolitionis et (d) concessionis infrin-„gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare „praesumserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et „Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud „sanctum Petrum V. Calendas (e) Junii, pontificatus nostri anno oc-„tavo (f).“

CAPUT CCLXXII.

Sed et ipse reverendissimus dominus Wernherus archiepiscopus hoc praedictum statutum apostolicum per diocesim suam misit publi-

---

(a) Ap. Mart. deest in futurum. (b) Edd.: vel corruptelam.

(c) „Hos primi anni fructus ex omnibus suae Archidioecesis beneficiis in hunc usque diem „percepit Archiepiscopus; nisi quod Joannes Hugo Archiep. beneficiis curatis, in „inferiore Archidioecesi Trevirensi constitutis (eo quod pleraque tenuioris reditus ex-„istant) pro se et successoribus, hanc praestationem gratiose remiserit.“ (notat Honth.)

(d) Ap. Mart.: vel. (e) Ap. Honth. male: 6. Cal.

(f) Anno 1397.

care, ac ea praecepit diligenter observari, quae legimus in bulla ejus (a).

Bulla domini Wernheri, archiepiscopi Trevirensis, praedictam apostolicam bullam declarans (b).

„Wernherus, Dei gratia sanctae Trevirensis ecclesiae archiepis-„copus, sacri imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancel-„larius. Ad perpetuam rei memoriam.

„Militantis ecclesiae, ad solidanda in ipsius basibus fundamenta, „montibus sanctis licet immeriti communerati (c), ac in partem solli-„citudinis ex pastorali nobis credito officio convocati, curis excitamur „continuis, sedulisque mentis urgemur discursibus, ac noctes plerum-„que ducimus insomnes, ut juxta officii nostri debitum commissi no-„bis, ecclesiae fundamenta in subditorum nostrorum commodis et pros-„peritatibus foveamus; illorum praecipue, qui obsequiis mancipati di-„vinis: viri ecclesiastici ecclesiae fundamenta veluti firmissimae (d) „bases quotidianis consolidare noscuntur precibus, quibus auctore Deo, „plus armis militaribus, publicum bonum salubriora suscipit incrementa. „Pro quorum quippe (e) prosperitate voluntarios nonnunquam amplec-„timur labores, ab eis inquietudines et scandala, quantum nobis ex „alto permittitur, extirpare cupientes, ut dum eorum alleviamus onera „et scandala removemus, pacis auctorem in pace liberius, quod utique „affectamus, possint collaudare; nosque ex eorum tranquillitate quies-„cere ac recordato pacis auctori in extremo valeamus examine debi-„tam inde reddere rationem. Sane nonnulli bonae memoriae nostri „praedecessores immediati, archiepiscopi Trevirenses, aemulis atque

(a) Tota haec periodus desideratur in edd.

(b) Ex Werneri authentica, quae apud nos asservatur (Capsula K. N°. 9.), lectionem hujus chartae recognovimus.

Hoc diploma originale duobus sigillis munitum est, quorum unum Archiepiscopale elegantissimum cum Werneri effigie; alterum Capituli ecclesiae metrop., S. Petrum repraesentans. — Honthemius noster in sua Dissertatione de sigillis Archiepiscoporum Trevir. nullum Werneri exhibet (Hist. Trev. dipl. I. in fine).

(c) In edd.: commurati.

(d) Mart.: firmissimi.

(e) Ibid. deest: quippe.

„sinistris laicorum, qui, ut antiquitas tradit, oppido sunt clericis in-„festi, ceterorumque privilegii et honoris clericalis invidorum sugges-„tionibus inducti, immo verius seducti, bona clericorum ab intestato „decedentium (a) per suos officiatos capere procurarunt, et se de hujusmo-„di intromittentes, suis usibus applicarunt, quandam consuetudinem, ve-„rius abusum et corruptelam nullo jure fulcitam, immo reprobatam „allegantes; sic per eorum officiatos, ut capta (b) praeda inter se hu-„jusmodi dividerent spolia, frequentius, licet damnabilius, inferrent.

„Denique praefati aemuli adeo cupiditatis caecitate, quae mater „est omnium malorum, infecti, sub (c) fiducia hujusmodi bonorum prae-„fatis nostris praedecessoribus praesentandorum, non revera quae „praedecessorum praedictorum, sed fide ficta, quae sua fuerunt, quae-„rentes, quod etiam, dum in minoribus fueramus, saepius experimento „didicimus, dictos praedecessores nostros ad haec convertentes, immo „miserabiliter pervertentes et inducentes, quod ipsi clericorum bona, „praemissorum praetextu (d), sive ab intestato sive testati (e), et alias „qualitercumque (f) decedentium receperunt, spoliaverunt, et manus „violentas apposuerunt, ac inverecunde suis usibus applicaverunt. Et „illo pejus testamenta clericorum, et ultimas ipsorum voluntates ad „suas conati sunt voluntates et indulta restringere, quasi talia sine „ipsorum consensu et voluntate fieri, neque debite demandari execu-„tioni deberent, contra piissimas canonicas et legales sanctiones, cum „nihil sit juxta easdem, quod magis (g) debeatur hominibus, quam ut „supremae voluntatis libera permaneat dispositio.

„Ex quibus indubie divinae Majestatis oculus plurimum offende-„batur, cum viri ecclesiastici liberi facti sint (h), ut ab eis nihil prae-„ter divinum sit exigendum officium. Jus laedebatur publicum, quod „in sacris et sacerdotibus consistere perhibetur; libertates ecclesiasti-„cae, quarum ipsi ex credito sibi officio debebant esse conservatores, „penitus succumbebant: non modica etiam ex his scandala, rixae et

(a) Ap. Mart.: decedentia; vitiose.
(b) Ap. Honth.: rapta; minus accurate.
(c) Ap. Mart.: sed; male.
(d) Ap. Honth.: perceptu.
(e) Ibid.: testatorum.
(f) Ibid.: vel qualitercunque.
(g) Ap. Mart.: majus.
(h) Ibid.: sunt.

„brigae atque lites in nostra civitate et diocesi Trevirensi exorie-„bantur, modo inter defuncti clerici, sic spoliati bonis suis, parentes „et agnatos, modo inter ipsius creditores, universaliter inter clericos „et laicos de hujusmodi spoliationis improperio. Inde homicidia fuere „subsecuta; inde beneficium defuncti ex hujusmodi spolio divinis ste-„tit obsequiis (a) viduatum; defunctus clericus, plerumque veluti pe-„regrinus acola (b), omnibus bonis suis spoliatus, absque obsequiis „christianis consuetis ac ecclesiae suffragiis tumulatus permansit. Cle-„rus ubique in nostris civitate et diocesi patuit despectui, et quos ob „clericalis dignitatis honorem lex divina et humana prae ceteris voluit „decorari privilegiis et gaudere libertatibus, habebantur perfidis et „ab eadem lege damnatis viliores. Et idcirco viri scientia et mori-„bus illuminati, atque ecclesiae et diocesis nostrarum potiores, quo-„rum consiliis et auxiliis, veluti firmissimis basibus, praefatae eccle-„siae nostrae fundamenta firmabantur, cum acquisitis (c) etiam in „nostris civitate et diocesi ad alienas cogebantur se civitates et dio-„ceses transferre. Honestas tepuit ordinis clericalis, et divinum mi-„nisterium, proh dolor! inde lamentata suscepit detrimenta (d), in grave „et grande damnum et praejudicium nostri et ecclesiae nostrae Tre-„virensis.

„Nos itaque, qui clericorum nostrorum princeps et superior ex „vocali (e) merito et defensor ordinis clericalis participio, atque li-„bertatis ecclesiasticae conservator a lege divinitus sumus deputati, „non ad instar Juliani apostatae proprii ordinis persecutoris, sed mo-„re boni pastoris juxta evangelicam veritatem pro ovibus sibi com-„missis animam suam ponentis (f), hujusmodi scandalis, damnis et impro-„periis, nos et clericalem ordinem offendentibus, obviare, eaque pe-„nitus exstirpare, ac de nostris civitate et diocesi Trevirensi abolere „et evellere avide (g) cupientes; virique ecclesiastici nostrarum civi-

(a) Honth. addit: debitis.

(b) Sic in charta originali et apud Honthemium. Martene scribit in sua editione peregrinus aliquis. — Mstum Parisiense (secundum Faerberi variantium notam) habet: peregrinus aquila!! —

(c) Honth.: cum acquisita; omnino male.

(d) Ibid.: damna.

(e) Ibid.: vocabili.

(f) Mart. legit vitiose: ponentes.

(g) Ap. Honth. omittitur: avide.

„tatis et diocesis praedictarum per sacratissimas canonum et legum „sanctiones nobis et eidem, ob unius et ejusdem ordinis clericalis „dignitatem et honorem, libertatibus et privilegiis datis et concessis, „sicuti et nos gaudemus, ita et in suis gradibus, ne eadem professio „honore et turpitudine erubescat, libere gaudeant et licite perfruan- „tur. Et ut ecclesia nostra Trevirensis (a) in ecclesiasticis viris, „tanquam in suis basibus, firmo stabiliatur fundamento, atque divinus „cultus, quem nostris desideramus augeri temporibus, velut vitis ab- „undans in lateribus domus Dei undique coamplietur, multis dudum „et diversis desuper tentis et praehabitis tractatibus cum honorabili- „bus praeposito, decano et capitulo ecclesiae nostrae Trevirensis, „praetensam consuetudinem, quae potius corruptela et abusio fuerat, „spoliationes, receptiones, usurpationes bonorum clericorum praedic- „tas, pro nobis et successoribus nostris archiepiscopis Trevirensibus, „in perpetuum duximus tollendas, exstirpandas, abolendas, evellen- „das, revocandas, et ex certa scientia causisque supradictis penitus „cassandas (b), et praesentibus tollimus, exstirpamus, abolemus, evel- „limus, revocamus et cassamus, nullo unquam tempore de cetero du- „raturas. Et juris (c) si quid nobis, quod absit, in hoc damnato facto „et ausu temerario competiit aut competere potuit, pro nobis et suc- „cessoribus nostris, perpetuis, etiam ex certa scientia et causis su- „pra recordatis, renuntiamus temporibus, eodem nullo unquam tempore „per nos aut successores nostros utendum.

„Volentes et ex assensu et decreto capituli nostri praedicti in- „dulgentes, ordinantes, atque statuentes pro nobis et successoribus „nostris archiepiscopis Trevirensibus in perpetuum, ut praemissis huc- „usque dampnabiliter perpetratis minime obstantes (d), clerici nostrarum „civitatis et diocesis praedictarum cujuscunque dignitatis, gradus, „eminentiae, servitii vel officii seu conditionis existant, de bonis sive „de labore, sive de beneficiis, et alias (e) qualitercunque et unde-

(a) Idem false legit: ecclesiam nostram Trevirensem.

(b) Ibid.: causandas; male.

(c) Mart. et Honth.: juri.

(d) Ap. Honth.: perpetratis non obstantibus, clerici &c. Ap. Mart.: misericorditer obsistentes.

(e) Ap. Honth. deest: alias.

„cunque acquisitis, de cetero et temporibus perpetuis testari, et ea-„dem sua bona in vita vel post donare, legare, vendere, alienare, „et ad usus, quos appetunt, convertere, et de eis disponere, juxta „eorum omnem voluntatem et desiderium, libere et licite possint et „valeant. Quod si etiam absque hujusmodi dispositione aliquem cle-„ricorum contingat decedere, quod absit, agnoscat et recipiat ille „bona defuncti clerici, qui proximior alias ex jure successor legiti-„mus habebitur, absque contradictione vel (a) impedimento quocunque „nostris (b) et successorum nostrorum, aut aliorum quorumcunque. „Hoc salvo, quod quia (c) clericus beneficiatus primo et principaliter „illis tenetur obnoxius, a quibus beneficia recepisse dinoscitur: idem „clericus, si dignitatem habuerit, duas marcas argenti; si canonica-„tum, unam marcam; si ecclesiam curatam, unam marcam; si altare „seu aliud simplex beneficium, mediam marcam primo et ante omnia „in testamento suo donet et leget ad fabricam ecclesiarum, in quibus „hujusmodi beneficium seu officia obtinebat. Quod si plurimis (d) in „beneficiis fuerit, singulis ecclesiis suorum beneficiorum juxta modum „praetaxatum donet et leget hujusmodi marcas in testamento suo; „nisi clericus testator ex inspirata devotione uberiora ipsis ecclesiis „voluerit facere donata seu legata. Quod si clericus ab intestato „decesserit, agnoscentes bona sua juxta quantitatem et qualitatem „beneficiorum defuncti, primo et principaliter ecclesiis ipsis, in qui-„bus erat beneficiatus, marcas argenti integraliter persolvant, juxta „modum praetaxatum; ipsas ecclesias singulis aliis creditoribus prae-„ferendo. Quae praemissa omnia sic fieri et compleri per clericos „et eorum bona cognoscentes ordinamus, statuimus, et praecipimus „poenis sub infrascriptis. Et ut, quod nobis non licet, praefatis in-„dicemus nostris successoribus, nos pro nobis et dictis nostris suc-„cessoribus archiepiscopis Trevirensibus promisimus, et per praesen-„tes promittimus bona fide ac sub juramento ecclesiae nostrae prae-„dictae praestito, praefatos clericos seu viros ecclesiasticos ipsorum (e)

(a) Ibid.: et impedimento.
(b) Mart.: nostri.
(c) quia: deest ap. Honth.
(d) Ibid.: pluralis.
(e) Mart.: in suorum bonorum &c.

„bonorum liberam, ut praefertur, dispositionem, ac alios (a) in hujus-„modi bonorum successione praedictis nullo unquam tempore per nos, „nostros homines, vel officiatos quoscunque, praesentes vel futuros, „publice vel occulte, directe vel indirecte, quacunque causa vel oc-„casione impedire, turbare vel molestare qualitercunque, etiam qui-„buscunque arte vel ingenio. Et ob hoc districtius inhibentes univer-„sis et singulis officiatis nostris et ecclesiae nostrae Trevirensis, „praesentibus et futuris, clericis et laicis, cujuscunque conditionis „vel officii existant, atque eis sub privatione officiorum suorum ac „excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiarum (b) poenis, „quas ipso facto ex statuto praesenti volumus eos (c) incurrere, ultra „alias poenas in transgressores ecclesiasticae libertatis a jure promul-„gatas, et in virtute juramenti, nobis et ecclesiae nostrae praestiti, „firmiter praecipiendo mandamus, quatenus ordinem clericalem Dei „praecipue et ejusdem ordinis honore et reverentia prae oculis, si-„cut tenentur, habentes, de cetero bona clericorum civitatis et dio-„cesis nostrarum praedictarum viventium, et qualitercunque etiam de-„cedentium, nulla occasione, nullave arte vel ingenio capiant; domus, „horrea vel cellaria eorundem, invitis et contradicentibus executori-„bus vel proximioribus defunctorum, ut hactenus aliquando improvide „factum est, introeant vel conscribant, manus per se aut familiares „suos quoscunque ad eadem bona clericorum apponant, aut nobis „vel successoribus nostris vel etiam qualicunque modo, in toto vel „in qualicunque parte, reservent; sed clericos seu eorum executores „aut heredes de praemissis suis bonis libere disponere, ac eisdem „gaudere juxta desiderium suarum voluntatum permittant (d); salvo, „quod si quis officiatorum, vel alia ecclesiastica seu secularis persona, „contra quemque (e) clericorum occasionem aliquam movere voluerit, „faciat (f) coram dicti clerici judice competenti, coram eodem pro „meritis causae justitiam recepturus.

„Et ne quod una via salubri concluditur (g), alia damnabiliori

(a) Ibid.: aliorum.

(b) Ibid. deest: sententiarum.

(c) In edd. omittitur: eos.

(d) Honth.: permittatur.

(e) Id.: quemcunque.

(f) Id. addit: hoc.

(g) Honth.: praecluditur.

„adinventione aperiatur, volumus, et sub poenis praedictis statuimus „et ordinamus, ut si contingat, testamentarios quoscunque, etiam „cujuscunque personae, seu ipsarum ultimarum voluntatum executo-„res, de commissa sibi executione nobis seu successoribus nostris, „vel successorum nostrorum officialibus, aut aliis commissariis, com-„putationem facere ac rationem reddere, juxta sacri concilii Trevi-„rensis statutum (a), aut alias ex juris communis dispositione, quo-„tiescunque id fieri contingat, de quintantia seu recessu eisdem exe-„cutoribus per nos, nostros successores, seu nostros et nostrorum „successorum officiatos ac commissarios, dandis vel datis (b), sive de „sigillo cancellariae archiepiscopalis, sive de sigillo curiarum nostra-„rum Trevirensis vel (c) Confluentinae, non plus recipiatur ab eisdem „executoribus, nisi de quolibet testamento et ipsius executione et re-„cessu ac literis sigillatis, una marca argenti pro sex florenis cursi-„bilibus Rhenensibus (d) computata.

„Et insuper, ut nostra et capituli nostri praedicti (e) ordinatio „et statutum, adeo salubriter digestum (f) ob ecclesiasticae libertatis „dignitatem, perpetuis temporibus inconcusse et inviolabiliter obser-„vetur, statuimus, et una cum praefato nostro capitulo ordinamus „pro nobis et successoribus nostris in perpetuum, ut de cetero nullus „cujuscunque gradus, dignitatis vel conditionis existat, per dictum ca-„pitulum, vel ipsius qualemcunque seu quotamcunque partem, in ar-„chiepiscopum eligatur, vel provisus a sede apostolica ab eo capitulo „recipiatur, seu eidem in aliquo obediatur, nisi idem provisus primo „et principaliter juret, tactis corporaliter sacrosanctis (g), clerum ci-„vitatis et diocesis Trevirensis in suis conservare atque defendere „libertatibus et privilegiis, ad quod etiam juris tenetur praecepto, „atque praemissam nostram ordinationem et statutum inviolabiliter „observare, datis clero etiam desuper suis literis. Quam quidem or-„dinationem et statutum ac praemissa, si provisus a sede apostolica

---

(a) Vide notas nostras ad hoc caput in fine voluminis.
(b) Ap. Honth.: dandos vel datos; male.
(c) Ibid.: et.
(d) Ibid. deest: Rhenensibus.
(e) Ibid.: praedicta.
(f) adeo stabiliter &c.: ibid.
(g) Fortasse subintelligendum: Evangeliis.

„pro tempore ultra operosam dicti capituli nostri diligentiam, ad hoc „ut provisus promittat, et juret supradicta (a), exhibitam et impensam; „idem provisus, si (b) dictam nostram ordinationem et statutum pro„mittere et, ut praefertur, jurare contemserit seu recusaverit, quod „absit, ex tunc in antea praefatum nostrum capitulum eidem proviso „nullum caritativum subsidium, vel aliquod aliud cujuscunque exactio„nis genus in clerum vel populum civitatis et diocesis Trevirensis „aliquo modo concedat (c), vel ut dictus provisus hujusmodi caritati„vum subsidium, vel aliam sublevet exactionem quamcunque, suum „praebeat consensum tacite vel expresse, nisi prius dictam nostram „ordinationem et statutum promiserit et, ut praefertur, juraverit, da„tis clero desuper civitatis et dioceseos Trev. suis literis (d). Quod „si provisus occasione praemissorum dictum capitulum Trevirense „perturbaverit vel molestaverit, quod absit, clerus civitatis et dio„cesis praedictarum dicto nostro capitulo adhaerebit, et eidem effec„tualiter et pro viribus astabit; committentes nihilominus, nostra et „capituli nostri auctoritate, universis et singulis, praesentibus et fu„turis ecclesiae nostrae Trevirensis officiatis, eisque sub poenis su„prascriptis, et in virtute suorum juramentorum nobis et ecclesiae „nostrae praestitorum, districtius etiam inhibentes, ne hujusmodi „electo vel proviso aliqua castra, fortalitia, oppida, terras et posses„siones nostrae Trevirensis tradant vel assignent, seu eundem intro„mittant, tradi, assignari vel intromitti minime permittant, nisi prius „a capitulo nostro praedicto quod hujusmodi, ut praefertur, praesti„terit juramentum (e), et literas suas clero desuper dederit, et fuerint „per ipsius capituli literas patentes certificati. Ad hoc adjicientes „atque statuentes, ut de cetero nullus, cujuscunque etiam gradus vel „conditionis existat, in canonicum capitularem per capitulum ecclesiae „nostrae Trevirensis aliquatenus assumatur, nisi prius omnia prae„missa et praesentem nostram ordinationem atque statutum, corporali

---

(a) Honth.: praedicta. (b) In edd. deest: si.

(c) Mart.: in clerum vel populum Trevirensem aliq. mod. concedant; minus accurate.

(d) civitatis et dioceseos Trev.: haec desunt ibid.

(e) Honth.: super hujusmodi &c. &c. praestiterit juramenta.

„juramento mediante, promiserit se fideliter servaturum, et, quantum „in eo sit, efficaciter adimpleturum.

„Pro quorum etiam omnium praemissorum commemoratione per-„petua ordinamus, et sub poena supradicta statuimus, ut singulis an-„nis in perpetuum, semper crastino omnium animarum, ecclesiae col-„legiatae in civitate nostra Trevirensi, ut alias moris est, mane ad „ecclesiam nostram summam; in Confluentia collegia et ecclesiae ad „sanctum Florinum conveniant, aliaque ecclesiarum collegia et eccle-„siae parochiales in suis ecclesiis praedicto crastino solemniter et „cum devotione vigilias, et immediate post has missam animarum „decantent pro bonae memoriae nostris progenitoribus (a), domino „Cunone avunculo ac praedecessore nostro immediato, necnon Bo-„hemundo, Baldewino, aliisque nostris praedecessoribus et succes-„soribus, omnibusque aliis nostris et ecclesiae nostrae Trevirensis, „ac praedictarum aliarum ecclesiarum benefactoribus.

„Nos etiam omnibus (b) hujusmodi vigiliis et missis interessen-„tibus, clericis et laicis, confessis et contritis, beatorum Petri et „Pauli Apostolorum auctoritate confisi, quadraginta dies de injunctis „sibi poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In praemissis „quidem omnibus debita subsidiorum clericorum, ac consueta carnium „ac vecturarum, nobis et ecclesiae nostrae Trevirensi per abbates „et monasteria debitorum contributione atque praestatione, necnon „canonica correctione, nobis et successoribus nostris archiepiscopis „Trevirensibus a jure permissa (c) in facinorosos et delinquentes cle-„ricos, nobis et eisdem nostris successoribus semper salvis.

„In quorum omnium testimonium et roboris firmitatem praesentes „literas fecimus sigilli nostri majoris munimine roborari; exhortantes „etiam atque rogantes praefatos honorabiles praepositum, decanum „et capitulum ecclesiae nostrae Trevirensis, ut quia praemissae or-„dinationes atque statuta de ipsorum decreto pariter et assensu pro-„cesserunt, et nos illas una cum eis, ob publicum ecclesiae et dio-„cesis nostrae Trevirensis bonum duximus faciendum et confirmandum

(a) progeniebus: ap. Mart. (b) Ap. Honth. deest: omnibus.
(c) Ibid.: praemissa.

„quatenus etiam sigillo majori capituli praedicti praesentes nostras „literas faciant in testimonium praemissorum communiri.

„Et nos Arnoldus de Berwart (a) praepositus, Gerlacus de Lym„purg decanus (b), Robertus de Hoenecke archidiaconus major, Cuno „de Nuwenbeumburg (c) in Dikyrchen archidiaconus, Johannes de „Hamersteyn scholasticus, Arnoldus de Hoenecke, Theodericus de „Vrley (d), Henricus de Duna, Conradus de Hoemburg (e) custos, „Theodericus de Crummenauwe (f) cellerarius, Wynandus Bock can„tor, Egidius Wabe de Lycmen, Henricus de Maelberg, Henricus „de Fleckensteyn canonici, et totum capitulum ecclesiae Trevirensis „praedictum, publice recognoscimus per praesentes, quod considera„tis clericorum opprobriis, et effectibus miserabilibus inde secutis, „superius plenius enarratis, ac evidenti ecclesiae et diocesis Trevi„rensis publico bono attento, pluribus et diversis, ut per dictum do„minum nostrum gratiosum archiepiscopum Trevirensem praefertur, „inter nos desuper tentis et habitis tractatibus, praemissas ordinatio„nes atque statuta cum dicto domino nostro inivimus et fecimus, eas„que approbavimus et laudavimus, et praesentibus inimus, facimus, „approbamus et laudamus. Et nihilominus ut universa et singula, si„cut praemittitur, per dominum nostrum archiepiscopum praedictum, „suo et successorum suorum nomine, et nos ordinata et statuta incon„fracta inconcussaque inviolabiliter perpetuis observentur temporibus, „praemissa ordinata et statuta, mediante corporali juramento praestito, „promisimus et praesentibus promittimus nos fideliter servaturos, et, „quantum in nobis est, efficaciter impleturos; nec de cetero in antea

---

(a) Mart.: Berewart. — Honth.: Bewart.

(b) In cod. ms. Thielmanni Emmel, scriptoris rerum Limburgensium (bibl. Trev., N°. 40. sign.) legimus de hoc Gerlaco sequentia: „Quinque millibus aureorum „Rhenensium de vendito suo patrimonio perpetuam ac quotidianam Missam de S. Pe„tro cantandam aut legendam per octo summos vicarios ordinavit, uti litera origina„lis habet sub dato 7. Jan. anno 1414. — Idem domum juxta Majorem Ec„clesiam in honorem S. Banti instituit pro certis, quos dixere Ban„tinos. Executores testamenti ejusdem fuere Conradus a Brunsberg Can. et Joan„nes ab Heiden Vicar.“ —

(c) Sic in charta originali. Alii habent: Nuwenburg.

(d) Al.: Orley. (e) Homburg? (f) Mart.: Cromnaw.

„aliquem in canonicum capitularem ecclesiae nostrae praedictae ali„quatenus recipiemus, nisi publice et ante omnia (a), mediante suo „corporali juramento, promiserit, praemissa ordinata et statuta fideli„ter se servaturum, et, quantum in eo est, efficaciter adimpleturum. „Faciemus quoque hujusmodi ordinata et statuta ad alia nostra et ec„clesiae nostrae Trevirensis praecipue signare statuta. In quorum „etiam omnium praemissorum testimonium et veritatem praesentes li„teras fecimus capituli nostri majori sigillo, dicti domini nostri Tre„virensis sigillo compendenti majori, roborari. Datum, ordinatum, „statutum atque actum Treviris anno Domini millesimo tricentesimo „nonagesimo septimo, juxta stilum scribendi in civitate et diocesi „nostris Trevirensibus, die sexta mensis Februarii."

CAPUT CCLXIII.

Gesta domini Ottonis de Tzegenhayn (b), *archiepiscopi Trevirensis.*

Post mortem reverendissimi patris et domini Wernheri de Falckensteyn, archiepiscopi Trevirensis, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo octavo, in die sancti Lubentii confessoris (c) dominus Otto, comes de Tzegenhayn, praepositus et canonicus ecclesiae Trevirensis, per capitulum concorditer fuit electus, et per papam Martinum quintum confirmatus in archiepiscopum Trevirensem. Qui civitatem cum magno gaudio et solemnitate introductus fuit, cum mul-

(a) Honth.: in antea omnia; male. (b) Ziegenheim, Zigenhain in Hassia.

(c) 13. Oct. — Codd. Trevir., N°. 1434. et 1462. sign. de Ottonis consecratione hos rudes habent versiculos:

„Consecrat Ottonem Wirdunus Trevirensem,
„In die Gregorii cum praesule Wormaciense,
„Anno milleno C quater nonoque deno."

Conf. Brow. Annal. II. pag. 267.

Ejus quoque scriptoris, qui res ab Ottone gestas literis mandavit, nomen prorsus ignotum est; nec minus eorum nomina, qui historiam Trevirensem usque ad obitum Richardi perduxerunt, possunt crui: sed, ut rerum ab iis tractatarum ratio edocet, aut harum rerum aequales erant, aut certe iis proximi vixerunt: graves ergo semper testes sunt.

Sequimur lectionem codicis ms. Eberh.-Clusani.

titudine principum, comitum, baronum, nobilium et aliorum proborum virorum. Qui Otto, vir magnificus, in armis strenuus, ac Deo devotus, post consecrationem suam imperatorem Sigismundum adiit, et ab eo, more electorum, cum regalibus investitus fuit (a). Hic igitur Otto venerabilis sponsam suam, Treviricam ecclesiam (b), laudabiliter, magnifice et provide, tam in spiritualibus quam in temporalibus, undecim rexit annis: clericos et presbyteros ipsemet ordinando et consecrando, ac alia pia opera apud pauperes Christi exercendo; nobiles et ignobiles plurimum humiliter et quandoque satis rigorose regendo et tractando. Saepius noctes insomnes duxit, jejuniis et orationibus vacando, atque in terram se (c) prosternendo, eidem crebra oscula prae nimia compunctione et devotione imprimendo; etiam ut frequenter appropinquantibus solemnioribus festivitatibus, puta Paschae, Pentecostes, Nativitatis Christi, Assumtionis Mariae, se in aliquo loco devoto, videlicet congregationis (d) religiosorum et devotorum virorum, cum paucis suis recepit (e): quatenus eo liberius et expeditius servitudi Dei vacare et intendere posset; praevio per triduum ante talem diem festum in solo pane et aqua jejunando. Succedentibus sibi virtutum ac actuum virtuosorum cumulis, in diebus suis vitam castam et sanctam ducendo, corpus suum cum quotidiano cilicio castigavit.

Anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto venerandus iste antistes Otto, divino accensus zelo, et causa maximae devotionis, mare transivit, et sacrum Dominicum sepulchrum (f) per-

---

(a) Tota haec periodus desideratur in edd. Mart. et Honth.

(b) Edd.: „Qui Otto hujusmodi suam sponsam et ecclesiam &c.“

Ad noscendum Ottonis Archiepiscopi characterem, qui per excellentiam devotus Otto dicebatur, non parum etiam juvat Dominici de Borussia, Carthusiani Trevirensis, testimonium, viri horum temporum aequalis, et ab Ottone summe aestimati. Hoc testimonium legitur in Msto olim Carthus. s. t.: Aliquot exempla descripta ex Corona B. Mariae, idque imprimi fecit Honthemius (Hist. Trev. dipl. II. pag. 896. sq.).

Conferatur vero etiam, quod de Ottone, Metropolitanae ecclesiae Canonico, in animadversionibus ad calcem voluminis ex Trithemio notavimus.

(c) Omittitur in edd.: se.

(d) Ibid. deest: congregationis.

(e) Ibid.: reciperet.

(f) In edd. legimus: „Sacrum etiam Dominicum sepulchrum causa maximae devotionis „in hujusmodi sui episcopatus annis, semel personaliter &c.“

sonaliter et clandestine, absque scitu sui capituli et subditorum suorum, cum quinque aut sex personis sibi secretioribus visitavit; ubi fratribus Cordigeris apud Salvatoris nostri sepulchrum degentibus ornamenta pretiosa, armis suis signata, donavit (a): committendo interim terram suam et diocesim regendam et defendendam nonnullis comitibus et aliis nobilibus suae diocesis pauco numero, qui easdem in magna pace usque ad reditum praefati reverendissimi patris et domini Ottonis rexerunt et gubernaverunt (b).

Idemque dominus Otto duabus vicibus (c) personaliter cum maximis expensis et laboribus, cum multitudine gentium, nobilium et ignobilium armatorum, ad Bohemiam contra infideles haereticos Hussitas viriliter pugnando equitavit (d). Et post ejus ad suam diocesim reditum, suam sponsam ecclesiam et capitulum Trevirense zelo optimo et sincero reformare, et ad meliorem statum reducere cupiens, divinum implorabat auxilium (e): cui canonici capitulares Trevirenses fortiter se opposuerunt, illi resistere cupientes; prout se cum amicis et cognatis suis opposuerunt et restiterunt. Tandem sentiens ipse dominus et pater reverendissimus Otto, se non posse solum proficere

---

(a) De hac donatione silent Mart. et Honth. — Cod. Lind., codicum recentissimus, addit: prout hodie visuntur.

(b) In saepe memoratis codd. Trev., N°. 1434. et 1462. sign., de Ottonis visitatione terrae sanctae legimus sequentia:

„Anno milleno quater C vigesimo quinto
„Otto XC sextus archipraesul Trevirieus
„Marci nempe die, factum memorabile fide,
„Equitat ultra mare, tumulum Christi visitare,
„Cetera sancta loca aspexit mente devota,
„Octobris medio rediit cum corde jocundo."

(c) Anno 1420. et sq. — „Hic annus 1420. in omnibus praematurus fuit; hinc ille versus:
„Ruffi sancta dies (i. e. 27a Augusti) Musellae colligit uvas."
Sic alia folia mss. — Seriem chronologium scriptor minus stricte observat. —

(d) Eadem Msta hanc amplificationem habent: „Triplex exercitus Catholicorum contra „Hussitas fugatur a Zisca Duce haereticorum, qui pellem sibi mortuo detractam tym„pano servire voluit contra Germanos. Primus exercitus constabat ex Saxonibus, „Thuringis et Hassis; secundus ex Franconibus, Suevis ac Bavaris; tertius ex Tre„virensibus, Moguntinis et Coloniensibus: ductore Ottone, mandante Papa." —
Haec et leguntur in Broweri Annalibus manuscriptis.

(e) In edd. desiderantur haec verba: „divinum implorabat auxilium."

in hujusmodi sancto et bono opere inchoato, quendam legatum sedis apostolicae, Henricum cardinalem (a) de Anglia, de sanguine regis Angliae natum, secum Trevirim cum multitudine doctorum virorum adduxit; sperans inde consequi aliquam bonam reformationem et optatum fructum (b). Sed, proh dolor! sator mali seminis corda canonicorum Trevirensium obcaecavit in tantum, quod ipsi canonici tam

(a) Vintoniensem.

(b) Vide Statuta provincialia Concilii Trevirensis sub Ottone Archiepiscopo de anno 1423. in editione Coloniensi anni 1549., porro apud Hartzhemium (Concilia German. Tom. V. pag. 222. sqq.) et in Honth. (Hist. Trev. dipl. II. pag. 367. sqq.). Desideratur hujus Concilii editio in Concilior. ampliss. collectione per Mansi evulgata. Haec pauca observat Phil. Labbe (Tom. 28. pag. 1048.) ad annum 1423.: „De Concilio Trevirensi nihil certi apud idoneos scriptores reperi!?" Multum utique fructum, ait Honthemius noster, ab hoc Concilio habuit Otto; non tamen a Metropolitano Capitulo eum, quem speraverat. —

In Historia msta Carthusiae Trev. legimus haec: „Clerus solutior damnando inauditoque Concilio, reliquiis thesaurisque ecclesiarum direptis, alio commigrasset, nisi Princeps portas et muros civitatis claudi custodirique mandasset. Porro Archiepiscopus in exasperatis perduellium animis se nihil proficere consulto ratus, quatuor viros graves cunctisque honoratos, Joannem de Monte Suffraganeum (Episcopum Azotensem), duos Decanos S. S. Symeonis et Paulini, et Bernardum nostrum (Carthusianae domus Priorem) constituit, quibus mediantibus pax tandem rediit, testantibus antiquis his versibus (†) (incerti auctoris):

„Visitat Ecclesiam Legatus post Trevirensem
„In die Decembris, quae decima septima mensis,
„Hic nuncupatus Henricus, ab Anglia natus,
„Ac Cardinalis de Papae Latere missus.
„Sed post Canonicis est lis cum Praesule grandis,
„Nolunt statuta Legati sumere grata,
„Sed mox appellant, nec obedire curant.
„Praesul, ut haec servent, arctius ipse jubet.
„Hic sequitur mirum, quod est a nemine visum,
„Tollunt reliquias hi de Basilica cunctas,
„Et quo duxere, nullus potuit bene scire.
„Urbs claudit portas, per quindenamque seratas
„Summus Decanus excessit corpore sanus.
„Sed sunt reliquiae statim, pace facta, reversae.
„Hanc fecit Antistes, dictus de Monte Joannes,
„Binis Decanis huic domino sociatis,
„Paulini primus, secundus erat Symeonis,
„Adfuit et quartus Bernardus Carthusiensis.
„Quatuor aequales fuerant hi mediatores."

(†) Qui alibi non leguntur.

cardinali quam archiepiscopo praefatis restiterunt, ita quod ambo nil proficerent; sed absque aliquo optato fructu reformationis recesserunt, permittentes canonicos ipsos in suis antiquis consuetudinibus vel abusionibus (a).

Idemque dominus Otto in omnes pius, mansuetus, et religiosorum cultor; in pauperes clemens et mitis, qui maxime suis diebus monasteriorum ac cleri reformationi per civitatem et diocesim suas summopere studuit; nihilque ei, quod ad religiosum ac devotum pontificem spectat, abfuit; et reformavit in civitate Trevirensi quatuor monasteria nigri ordinis: adjutorium habens a Priore Carthusiensium ibidem (b). Idemque dominus Otto monasterium sancti Mathiae Apostoli, ordinis sancti Benedicti, extra muros Trevirenses, cum magnis laboribus et expensis ad regularem observantiam ordinis (c) reduxit, abbatem inibi deponendo et absolvendo, et quendam alium, in utroque jure Licentiatum, supra nominatum Priorem Carthusiensium, Johannem nomine (d), quem de licentia domini papae et sedis apostolicae de ordine Carthusiensium sumsit, et abbatem ad sanctum Mathiam fecit (e). Qui abbas cunctis diebus vitae suae cum omnibus monachis suis eandem observantiam continuavit laudabiliter; prout adhuc ibidem de Dei gratia observatur et tenetur.

(a) Concilium hoc, in sex omnino capita partitum, caput memorabile (quintum) habet de circulatoribus (in editionibus hujus Concilii nominantur quaestores), qui prava hujus saeculi corruptela, turpis ac sordidi quaestus causa nundinabantur indulgentias, et freti commentitiis bullis imperitae plebi verba dabant. Horum circulatorum legitur in Synodo prolixa descriptio. (Conf. Browerum ad an. 1423.) —
Addunt alia folia msta: „Praeter has leges ecclesiasticas, quibus clerum sanare „conatur, Otto Trevirense etiam forum munit legibus justitiae." —

(b) Tota haec periodus non legitur in edd.

(c) ordinis: deest ibid.

(d) Johannes Rode, Trevir, Officialis curiae Metropolitanae Trevirensis sub Cunone de Falkenstein Archiepiscopo, vitae solitariae captus desiderio secessit in Carthusiam, e qua jussu Papae Martini V. extractus, disciplinae regularis reformandae ergo, Abbatiae S. Mathiae anno 1421. praeficitur: vir tum a correcta dissolutione monachorum, tum ab editis super ascesi scriptis maxime commendandus. Per eum celebris Bursfeldensis reformatio monastica non parum accepit incrementi. Vid. additamenta in fine.

(e) In edd. haec pauca: „abbatem inibi deponendo, Carthusio ibidem sumendo, et in ab- „batem praeficiendo monasterio praedicto."

Idem venerabilis Otto caput gloriosi (a) Apostoli sancti Mathiae, quod pluribus annis in arce Erenbreitsteyn servatum fuerat (b), ad ecclesiam Trevirensem suam sponsam magnifice cum ingenti devotione (c) transtulit et apportari fecit (d). Denique pro decore ejusdem suae ecclesiae missam gloriosae Virginis Mariae quotidie solemniter perpetuo finitis matutinis inibi decantandam fundavit atque dotavit (e).

Fuit insuper iste archiepiscopus Otto maximus elemosinarius; nam inter innumera optimi animi bona illud quoque non minimum laudi suae accedit, quod omnia castra (f) suae ecclesiae reformavit et reaedificavit, eaque frumento et vino abundantissime replevit; non suae avaritiae causa, sed in pauperum subsidium, necnon ad reprimendum eo facilius hostes in futurum (g). Nam pauperibus sibi subditis, et maxime ruralibus, advenientibus in omnibus suis cellerariis et castris (h), siliginem in bono foro vendi et concedi fecit, animo (i) nihil ab eis rehabendi. Sed ne occasio otiandi daretur ipsis pauperibus, procuravit recipi ab eis cautionem de restituendo hujusmodi siliginem, licet nihil ab eis repetiit (k).

Anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quarto castrum et dominium de Kempenich, per obitum domini Johannis novissimi sine liberis masculis, ecclesiae Trevirensi devolutum, vi et potestate, armata manu debellavit, obsedit et cepit, et ad ecclesiae suae Trevirensis dominium reduxit, tanquam bona feodalia libere ad ecclesiam suam devoluta: fratribus de Schoneck (l) in eodem castro ex-

---

(a) In edd. desunt verba: venerabilis — — gloriosi.

(b) Ibid.: „caput S. Mathiae de castro Erenbreitstein"; cetera non leguntur.

(c) cum ingenti devotione: deest ibid.

(d) 11. Aug. 1422.

(e) Haec periodus deest in edd. — Alia folia mss. hanc fundationem referunt his verbis: „Anno 1428. fundat quotidianum sacrum in summo templo choraliter cantandum „post matutinas — Bischofs-Otten-Meß." —

(f) In edd., ceteris omissis, haec tantum legimus: Otto omnia castra &c.

(g) Ibid.: „non suae avaritiae, sed resistendi aemulis, et subveniendi pauperibus sibi subditis tempore caristiae, causa."

(h) Ibid.: „Quibus pauperibus advenientibus castris in omnibus cellerariis siliginem &c."

(i) Mart. et Hont. legunt: anno, et addunt in margine: forte pro anno, sed false.

(k) Ibid.: petiit.

(l) Petrus de Schoeneck duxerat filiam Joannis de Kempenich in matrimonium. Vid. diploma ejusdem in Günth. cod. dipl. IV. pag. 256. sqq.

istentibus ac resistere tentantibus, sed non praevalentibus. Inde non mediocris orta fuit altercatio; quae tamen capto castro, fratribusque se dantibus sopita est: nam vasalli ejusdem dominii anno sequenti feoda sua ab Ottone archiepiscopo recognoverunt (a). Wasserpillich contra duos fratres, milites de Gymmenich (b), cum magna multitudine gentium armatarum et expensis non modicis viriliter expugnavit, devastavit et totaliter in terram projecit. Castrum in Witlich (c) incoeptum ab antiquo usque ad superficiem terrae, ipse dominus Otto ulterius aedificavit, continuavit et construxit magnifice, sicut liquet intuentibus. Castrum juxta pontem Confluentinum vetustate neglectum reaedificari fecit (d).

Itaque ecclesiam Trevirensem cum principatu undecim annis pacifice gubernavit, et post innumeras sollicitudines atque labores reverendissimus antistes, deficientibus passim corporis viribus, durisssima calculi poena afflictus, aegrotare coepit. Rebus, quae saluti animae expediunt, abunde dispositis, Confluentiae diem clausit extremum, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo. Trevirim relatus ante altare beatae Mariae Virginis in majori ecclesia, semota omni funebri pompa, ut voluit, tumulatus (e).

Hic dimisit archiepiscopatum in omnibus refertum et opulentum, et coquinas bene provisas in castris et villis quasi omnibus. Unde abundantia temporalium, quam reliquit, facta est occasio dissensionis pro successoris electione (f).

(a) In edd. hocce loco rursus plura omissa sunt. (b) Gymnich.

(c) In edd. deest: in.

(d) Hoc factum anni 1428. non legitur in edd. — Alii codd. mss. scribunt: Burgum ad pontem &c.

(e) Tumba Ottonis, marmore nigro tecta, aeneis laminis varia caelatura insertis, inscriptionem continebat, quam exhibet Browerus (Annal. Trev. II. pag. 273.), quae partim ordine, partim verbis ab illa differt, quam hodie in praefata ecclesia legimus, lapidi satis humili incisam, his verbis: „Reverendus In Christo Pater, Dominus „Dnus Otto De Zigenham (sic), Sanctae Trevirensis Ecclesiae Archiepiscopus, Ec„clesiasticae Reformationis Zelator, Justitiae Et Humilitatis Exemplar, Cujus Anima „Requiescat In Pace. Anno Dni. 1429. Die 13. Mensis Februarii.“ (i. e. more Trevirensi.)

(f) Omnia haec (Itaque ecclesiam &c. usque ad finem capitis) desiderantur in edd. —

CAPUT CCLXXIV.

Sequuntur gesta domini Rabani episcopi Spirensis, in archiepiscopum Trevirensem a papa destinati.

Religiosissimo praesulo, domino Ottone rebus humanis exuto, venerabile capitulum Trevirense, in diversa scissum, bicipitem fecit electionem (a). Nam major saniorque (b) pars elegit canonice, illuminatum virum (c), dominum Jacobum de Syrck, apostolicae sedis prothonotarium (d), ecclesiae Trevirensis canonicum et schlasticum, Herbipolensem praepositum (e): ab altera parte dominus Fredericus de Crovia (f), praepositus ecclesiae Trevirensis, et dominus de Pittingen, canonicus ecclesiae Trevirensis et Coloniensis (g), cum comitibus de Vyrnenburch et aliis nobilibus vota sua transtulerunt (h) in nobilem virum dominum Udalricum (i) de Manderscheit, decanum majoris ecclesiae Coloniensis, virum virtute et probitate commendabilem (k), ipsumque cum domino Jacobo de Syrck eadem hora super altare posuerunt (l); a quo postea magna et prolixa controversia insurrexit, ut rei (m) exitus, proh dolor! edocuit. Exinde insigni ecclesiae Trevirensi magnum oritur malum; nam electus de Manderscheit, adjutorio comitum quorundam, qui tunc potentes habebantur, omniumque baronum militarium eisdem adhaerentium, haud mora possessionum, oppidorum, castrorum, munitionum, necnon subditorum huldas et fidelitates est assecutus: unde et domino coelecto, utpote viribus longe impari, facile resistere potuit (n). Unde cogitur dominus

(a) Mart. et Honth. legunt: „Post mortem venerabilis patris Ottonis de Tzegenhayn „capitulum Trevirense discorditer elegit, quia major pars &c."
(b) Ibid. deest: saniorque.
(c) Ibid. deest: canonice, illum. virum.
(d) apost. sed. prothonot.: non legitur ibid.
(e) Ibid. deest: Herbipol. praepos.
(f) Cröve.
(g) et Coloniensis: deest in edd.
(h) Ibid.: elegerunt.
(i) Sive Ulricum, ut hinc inde textus habet.
(k) In edd. deest: „virum virtute et probitate commendabilem."
(l) Ibid.: „Jacobo de Syrck altari deposuerunt"; omnino male.
(m) Ibid. deest: rei.
(n) Tota haec periodus desideratur in edd.

Jacobus opem summi pontificis quaerere (a). Ambo itaque electi post festum Paschae in diebus rogationum (b) se ad Romanam curiam transtulerunt, negotia sua prosequendo. Et fuit comes de Vyrnenburch hac de causa (c) cum certis nobilibus personaliter in curia Romana. Et propositis hinc inde negotiis domino papae Martino quinto, et testibus desuper examinatis, et partibus auditis: ambae partes vacuae de ipsa curia recesserunt (d). Unde electi ambo redeuntes sine confirmatione. Dominus Jacobus postea juri suo cessit, et domino Ulrico, si id saltem valeret, resignavit.

Dominus autem papa, nullum illorum confirmans, dedit, nescio qua de causa, tertium quendam, scilicet dominum Rabanum de Helmstet, episcopum Spirensem, virum prudentem, sed senem et canum. Qui nisi inductus maxime ducis Bavariae instinctu, ipsum coram summo pontifice promoventis, onus tantum nunquam subiisse creditur. Vicit ambitio veteranum, et avaritia, commune senectutis malum. Consules quoque ejusdem, bona S. Petri sitientes, seni omnia facilia suadent.

CAPUT CCLXXV.

Rabanus itaque (e), post adeptam confirmationem apostolicam, Sigismundum imperatorem Ratisponae adiit, anno millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, et regalibus investitus, confirmationem omnium privilegiorum ecclesiae Trevirensis obtinuit. Evestigio summa ipsi ecclesiae Trevirensi oritur calamitas. Nam canonici majoris ecclesiae timore et adulatione inducti, contra ordinationem papae indignantes, secundario dominum Ulricum de Manderscheit elegerunt; licet tempus potestatis eorum expirasset. Etenim civitates et villae et castra diocesis jam homagia fecerunt eidem Ulrico; inducti a comite de Vyrnenburch et ceteris nobilibus terrae. Verum quia idem

---

(a) Ibid. et haec desunt.

(b) Ibid.: et in Rogationibus.

(c) Ibid. deest: hac de causa.

(d) Sequentia usque ad finem capitis non leguntur in edd.

(e) Pleraque et hujus capitis inedita sunt. Sequimur lectionem codicum Eberh. Clus. et Lind. Ceteri codd. et utraque editio, Martenecana scilicet et Hontheimiana, adeo angustis terminantur limitibus, ut plurima hujus temporis gesta silentio transeant.

Ulricus nihil juris in diocesi habuit Trevirensi, sed tanquam invasor alienae haereditatis illam occupavit: ideo in diocesi Trevirensi positum est papale interdictum, quod quasi quatuor annis duravit (a); licet aliquoties per tempus propter certas causas fuerit relaxatum. Quapropter comes praedictus de Vyrnenburch, et ceteri nobiles indignati, de facto (b) sedi apostolicae se opposuerunt, mandata apostolica non curando; ex quibus non modica incommoda secuta sunt. Nam totius patriae comites, barones, militares, omnesque ecclesiae subjecti Trevirensi Udalrico adhaesere, summi pontificis mandata apostolica, supposito etiam ecclesiastico interdicto, floccipendentes; cuncta adversa tolerare parati; Rabanum secordem, veteranum, inertem aspernari; bellum incitare ausi; ac omnia agere, quae dilapidationi bonorum congruerent, atque eviscerationi promptuariorum, quae prudentissimus pontifex Otto, tutandae patriae gratia, non desolandae, liquerat, commoda reputarunt. Coarctaverunt etiam plebanos et presbyteros ceterosque tempore interdicti contra mandata apostolica se divinis immiscere, et aliqui id recusantes expulsi, quasi exulati fuerunt. Et quod pejus est, Damarus de Guntersdorff adduxit de Colonia aliquos profugos presbyteros, nescio quales, qui ecclesias in Monthabor, Nyderberch, Valender, et ubique super Mosellam, et alibi invaserunt; sacramentalia ubique de facto, licet jure prohibita, ministrando.

Facta est igitur guerra gravis inter episcopum Spirensem dominum Rabanum, et dominum Ulricum de Manderscheit; adjuvante dominum Rabanum duce Heydelbergensi; adjuvante autem dominum Ulricum duce Montensi et lanthgravio Hassiae (*). Quapropter, licet dominus Ulricus prius, cum esset decanus Coloniae, erat pius, benignus, et quasi omnibus dilectus; hic tamen factus est consilio suorum complicum severus tyrannus. Persequebatur enim clerum, et omnes

(a) Edd.: „quatuor annis, vel circa.“ Vid. animadv. ad hoc cap.

(b) Ibid.: licet de facto; male omnino.

(*) Hac tristi occasione, per utramque partem, patria Trevirensis multum spoliata est. In Ephemeride ms. Cathedralis ecclesiae Trev. antiquae legimus: „Tilmanus ab Haine vel Hagen, Decanus Metropolitanus hoc tempore, subscripsit oppignorationi aliquot locorum, quae anno 1436. Ludovico Hassiae Landtgravio per Ulricum facta est. — — Similia fecit Rabanus.“

divino et papali mandato adhaerentes. Et tempore interdicti coegit presbyteros cantare, celebrare, et populum communicare. In Confluentia autem interdictum toto tempore servabatur; nec ibi cogebatur aliquis cantare, aut alia divina celebrare.

Et quia civitas Trevirensis dominum Ulricum non receperat pro episcopo, sed dominum Rabanum a papa designatum: ideo factus est inimicus Trevirensium, et manu armata civitatem Trevirensem ultra integrum annum continue obsedit, positis supra montes circumquaque machinis et bombardis; sagittas intra urbem creberrime perperam jaculando. Et quamvis idem Ulricus adjutorio ducis Montensis et lantgravii Hassiae gauderet: civitatem tamen Trevirensem capere non valens, vacuus et confusus recessit (a). Apud Treviros tunc

(a) Ex antiquis civitatis Trevericae monumentis Kyriander (l. c. pag. 261.) specialia quaedam commemorat, quae hic adnectere operae pretium est: „Die trium regum „festo Wilhelmus a Staffel marschalkus domini Udalrici bellum apertum senatui po„puloque Trevirensi indixit anno 1433., factique sunt ejus adjutores dominus Wilhel„mus comes de Manderscheidt, domini Udalrici frater, et plurimi dioecesis praefecti. „Maximum hi damnum praedis et incursionibus civitati dabant: arcem etiam in Contz „occupaverant, quae cum vico ipso ac ponte, fluminis Sarae transitum connectente, „hactenus in potestate civitatis Trevirensis fuerat, quod varia literarum monumenta „testantur. — — Ipse quoque Udalricus simul cum Ruperto comite Virnenburgio ac „illius filio denuntiavit hostilia, sociosque sibi ascivit Theodericum Coloniensem et „Conradum Moguntinum pontificem, Stephanum Bojariae, Adolphum Juliae et Ber„giae ducem, Jacobum marchionem Badensem, Fridericum comitem Veldentziae, do„minum Richardum Hurdt equitem aliosque complures. Ducem praeterea Burgundiae „traxit in partes, eique duas dioecesis arces Welmich et Alcken concessit. Deinde „comes quoque de Spanheim hostis factus est. — Maximis igitur copiis contractis „Udalricus tandem die Jovis ante Palmarum eodem anno Chr. 1433. castra civitati „admovit, ingentem numerum bellicorum tormentorum adduxit: frustra tamen in ob„sidione atiquamdiu cum haesisset, de pace agi coeptum obsidiumque levatum est. — „Die Martis post festum Ascensionis medio fere Majo mense pacis arbitri utrinque „convenerunt ad vicum suburbanum Biverium trans Mosellam. — — Rabanus dein „archiepiscopus in urbem venit eodem anno, die lunae post festum divi Jacobi, mense „Julio exeunte, sed die sexto post rursum discessit. Confestim Udalricus ipsa die „divae Helenae medio fere mense Augusto maximum exercitum denuo ad urbem ad„duxit. Octo integris diebus e monte Martis, nunc divi Martini vocant, qui summo jugo „civitati ad orientem imminet, infesta tormentorum jacula projecit: ex aliis quoque „montibus undique machinis adacta tela, gravique admodum obsidione pressa civitas „et acriter oppugnata est. — — Tandem cum nihil in obsidione proficeret hostis, „urbe relicta castrum Schoneck in Eburonibus aggressus est, aeque tamen irrito „conatu. Ad eum modum toto quinquennio debachatum, priusquam res componeretur.“

erat Arnoldus de Syrck, Rabano adhaerens, Jacobi electi germanus, vir consilio et armis excellens, qui plura in hostes strenue gessit. Postea citatus in Basileam pro unione, ipse Udalricus ivit, sed vacuus rediit; quia consiliis acquiescere noluit.

Deinde pars Udalrici castrum Schoneck erga Johannem de Schoneck Rabano adhaerentem obsedit; sed iterum nil dignum memoratu actum est, et modicum profectum habuit, quia vacuus inde recessit. Comes tamen de Vyrneuburch veteri rancore se Rabano opposuit: plura damna et incendia atque rapinas, praesertim in pago Engersgauwe et parvae Confluentiae (a), in conspectu Rabani pertinaciter exercens; donec inter eos concordia facta, Schoneck Eiffliae, Schonenberch, Dune, Kempenich, Hamersteyn, pro pignore ultra summam quadraginta quinque millium aureorum, literis opportunis abunde assecuratis, acquisierit.

Omnia igitur praedictus Udalricus mobilia diocesis consumsit, et immobilia multa impignoravit alienis. Tandem utroque, tam Udalrico de Manderscheit quam Rabano de Helmstet, in expensis deficientibus, datum est negotium in manus episcopi Moguntinensis, Coloniensis, Wormaciensis, et ducis Bavariae, et aliorum nobilium plurimorum. Isti igitur, antequam de unione tractarent, fecerunt utrumque jus suum ponere in manus eorum. Et fecerunt dominum Udalricum de Manderscheit ponere castra, civitates et loca omnia diocesis Trevirensis in manus alienas; ita ut postea nullam haberet viam, sententiae unionis resistendi. Quod cum factum fuisset, definitus est per eos in superiori Laynsteyn modus, per quem dominus Rabanus mansit episcopus Trevirensis et etiam Spirensis usque ad tempus, in quo alteri resignaret convenienter, juxta formam compositionis factae.

Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto relaxatum est interdictum papale, in die sancti Stephani prothomartyris, quod fuerat quasi quatuor annis in diocesi Trevirensi. Deinde Ra-

Conf. varia diplomata in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 377., 380., 382., 384., 386. — Brow. Annal. Trev. II. pag. 273. sqq. — Vide etiam additamenta ad hoc caput in fine voluminis.

(a) Lützelcoblenz.

banus sinistro consilio in coadjutorem acceptat Johannem, Leodiensem episcopum, non sine Trevirensis ecclesiae detrimento singulari. Itaque dominus Rabanus de Helmstet, episcopus Spirensis, cui per praedictum papam fuit de ecclesia Trevirensi provisum, per aliquos de capitulo extitit intromissus. Qui etiam postmodum ecclesiam Trevirensem pacifice tenuit et possedit; licet comes de Vyrnenburch et quidam alii sibi rebelles fuerint. Coarctavit tamen idem dominus Rabanus praedictum comitem et alios, eidem praestare homagia post circumvallationem civitatis Trevirensis, et castri Schoneck, et post combustionem parvae Confluentiae (a).

Anno Domini millesimo quadringentesimo (b) tricesimo tertio, circa festum Epiphaniae Domini, et post, obsessa est civitas Trevirensis per supradictum Udalricum (c), ut superius dictum est: cujus coadjutor fuit etiam comes de Vyrnenburch cum aliis supra nominatis, et duravit illa obsessio quasi per duos annos; nec tamen gloriosam Trevirim capere valuerunt. In qua obsidione omnia, quae ille venerabilis Otto de Tzegenhayn, archiepiscopus Trevirensis, accumulavit, fuerunt consumta, et penitus ad nihilum redacta: videlicet in Lympurch, Monthabor, Erenbreitsteyn, monasterio Meynfelt, Meyen, Kochem, Witlich, Sarburch, ac aliis cellerariis totius diocesis Trevirensis (d).

(a) „Anno 1436. in vigilia undecim millium virginum": addunt edd.; false autem habet Honthemii editio: MCCCXXXVI.

(b) Ibid. minus accurate: MCCCCXXXI. et XXXII.

(c) Quidam codd. mss. addunt: „Udalricus instinctu cujusdam sagae, omnia felicia pro-„mittentis, obsidet Treviros irrito eventu."

(d) In codd. Trev., N°. 1278. et 1444. sign., et in edd. legimus in medio textu, incerti auctoris versus sequentes:

„Otto Tzegenhayn fuit antistes Trevirensis:
„Rectificans clerum fovit, expellens et Hebraeum:
„Quem refutant plerique proceres populi, quoque cleri.
„Ob haec flagellum post hunc suscepimus unum,
„Anno milleno vigeno subde noveno
„C. quater ascisse: moritur venerabilis iste.
„Hunc post Ulricus Treverorum stat inimicus
„Manderscheit dictus, in cunctis erat quasi victus,
„Quem Virnenburg statuens per eum populumque deludens,
„Annos plus quinque terram vastant utrobique,

Anno autem sequenti dominus Rabanus a consulibus Confluentinis fuit inductus in Confluentiam, ut reciperetur in episcopum terrae; sed indiscretum vulgus propter odium ipsius concursum tumultuosum fecit ad arma. Unde dominus Rabanus de foro sancti Florini et de domo communi ibidem sita, de loco in quo ad recipiendum homagia steterat, cito fugit in castrum in Confluentia situm. Et de isto castro fugit per parvulam portam stantem inferius in castro circa Mosellam; et sic per navim transiit, et fugit in Erenbreitsteyn. Verum consules Confluentini altera die venerunt in Erenbreitsteyn, ut dominum Rabanum, et nobiles et comites sic expulsos iterum placarent; et juraverunt publice ad sancta Dei Evangelia, quod de hujusmodi tumultu nullus eorum antea quicquam scivisset. Unde dominus Rabanus aliqualiter consolatus cogitavit iterum Confluentiam introire; sed tamen prius ivit in Bopardiam, ad ibi prius recipiendum homagium. Quo recepto ivit in Welmich, et ibi iterum recepto homagio, sequenti die venit in Confluentiam. Et ibi in foro sancti Castoris ante cimiterium homagium recepit, Confluentinis armata manu assistentibus propter rebellionem quorundam vitandam (a). Et sic tandem totam obtinuit aliam terram (b).

Tandem Udalricus de Manderscheit rerum suarum diffisus, dum

„Vallantes urbem multo populo Trevirensem.
„Spargunt hi clerum, spoliant, servant et Hebraeum:
„Obstant consilio papae et caesario justo,
„Spirensem Rabanum bene qui firmat statuatum.
„Ex his commissis extat locus hic sine missis.
„Multos tunc vanos cleros faciuntque prophanos.
„Schoneck hinc rectus Spirensis foedere nexus
„Istius castrum reputavit describere totum,
„Quod non ad votum poterant sibi facere notum,
„Nobilibus junctis cum civibus ac fere cunctis.
„Huic instant mense; plus laeduntur Schoneck ense
„Trigeno quinto post M. cum C. quater anno
„Christus respexit Trevirenses atque direxit,
„Pontifices simul ac proceres doctos sapientes
„Guerram foedantes ac terram pacificantes.
„Istos laudemus, semper Domino jubilemus."

(a) Paucis verbis hoc factum narratur in editionibus.
(b) Anno 1434. mense Junio.

Romam denuo proficisci niteretur, in itinere apud Thuregum (a) morbo interiit. Postremo rebus omnibus ecclesiae Trevirensis undique confusis, Rabanus omnino cessit; annua pensione reservata, capitulo consentiente, Jacobo de Syrck archiepiscopatum resignavit. Novem annis vexata et quasi ad nihilum redacta est insignis ecclesia Trevirensis: per idem tempus gravata debitorum onere ad quatuor centena millia florenorum (b)! Haeccine fundi Trevirensis calamitas ex Rabano rediit, haud forte sua culpa; sed quibus Ottonis potentia antea formidini fuerat, magis imputandum existimo.

Hic autem dominus Rabanus in occidua aetate constitutus, modicum profuit ecclesiae Trevirensi; sed omnia, quae habere potuit, sive in pecuniis, sive in clenodiis, adaptavit aut impignorandis fortalitiis suis, aut castris (c). Tandem inito consilio et tractatu cum domino Jacobo de Syrck, ipsam Trevirensem ecclesiam et diocesim eidem pro magna quantitate pecuniae, et ut dicitur, centum millibus florenorum (d), resignavit. Et per modicum tempus in diocesi Trevirensi rexit circa quatuor vel quinque annos; licet diocesis Trevirica per suos multum fuerit gravata et spoliata. Habuit enim quendam cancellarium, nomine Ernestum Dufel (e), qui libros, imagines, et plura alia, quae antecessores sui archiepiscopi laudabiliter servarunt pro posteris suis, furtive versus Spiram deportavit!! Qui quidem episcopus cum eodem cancel-

(a) Seu Turgea (Turgau in Helvetiis).

(b) „Ita ut ad exhauriendam magis, quam regendam dioecesin oblatus videretur", juste animadvertit Masenius (Epitome Annal. Trev. pag. 580.)

(c) Sic oppignorabat Limburg, Niederbrechen et Molsberg (ut habet diploma anni 1436. 22. Nov.) Ludovico Landgravio Hassiae, pro 22,000 florenis. (Cod. ms. dipl. Trev. Vol. I.) Facta fuit horum omnium reluitio, ni fallimur, sub Carolo Casparo Archiepiscopo.

(d) In Broweri Annalibus mss. legimus: „Telonium urbis Trev., vectigal mensurae „et ponderum civitati Trev. oppignorat: denique acceptis a summo Capitulo 60000 „aureorum, resignat Episcopatum Trevir.; immo totidem auri putantur soluti ejus „coadjutori (Leodiensi Episcopo)." — In cod. ms. Lind. legitur haec nota marginalis: Simoniaca resignatio!

(e) Edd.: Dusel, sed male; cod. Trev. N°. 1278.: Düfel. — Nefastum sane nomen hujus Cancellarii, patriarum rerum praedonis, in Trevirorum memoria!

lario modico tempore supervixerunt, a justo judice digna praemia recipiendo.

CAPUT CCLXXVI. (a)

De gestis domini Jacobi de Syrck archiepiscopi Trevirensis (b).

Jacobus de Syrck (c), scholasticus ecclesiae Trevirensis, circa annum Domini millesimum quadringentesimum trigesimum nonum de mense Maji ecclesiam Trevirensem est adeptus, et hic fuit in ordine episcoporum nonagesimus octavus.

Hic fuit multum astutus in negotiis, quod nullus potuit eum intelligere, neque de ipso confidere; quia semper in parabolis loquebabatur cum nobilibus suis, et nunquam cordialiter neque confidenter. Hic etiam fuit multum infestus toti clero, excepto capitulo Trevirensi, et hoc solummodo propter pecunias extorquendas, et extorsit maximam summam imponendo subsidia (d). Et impetravit aliqua pri-

---

(a) Hoc caput deest in editione Honthemii. Apud Martene illud vero legitur in fine editionis suae.

(b) Jacobi I. Archiepiscopi Gesta per diversos scriptores, horum temporum aequales, sed anonymos, posteritati relicta sunt. In codicibus mss. S. Maxim., necnon illis Trevirensibus, N°. 1278. et 1444. sign., qui hic desinunt, legimus textum, quem in praesenti capite 276. evulgamus. Codices mss. Eberh. Clus. et Lind. vero alium textum continent, in quo de isto Archiepiscopo fusius narratur per alium scriptorem. Capita 277. et 278. editionis nostrae exhibent hanc lectionem, quam etiam legimus ap. Honthemium; Marteneana vero editio eam non habet.

(c) Mart. legit: Syrch.

(d) Alia folia mss. Trev. addunt: „Jacobus I. de Sirck dissidium cleri et civitatis com„ponit, persuadetque clero auxilium charitativum, salvo jure libertatis et exemptionis „eorum ab omni vectigali. Sic consensit clerus in tributum sexannale pro vino ven„dibili pendendum civitati; sed observatum est postea, hac re plurimum immunitam „esse cleri libertatem, dum rapiebat fiscus quod non accipiebat Christus.“

Charta transactionis inter clerum et urbem Trev., sub auspicio Jacobi Archiepiscopi factae, germanico idiomate anno 1440. Palatioli exarata est. Arbiter cleri (Scheideman der paffheit, sic in charta) fuisse legitur Petrus Decanus ecclesiae primariae Moguntinensis, urbis vero (Scheideman von der Stade Triere) Arnoldus Junior de Monkeler. — Et hoc diploma deest in diplomatariis impressis. Ante oculos nobis est authentica hujus transactionis charta appenso Jacobi sigillo munita.

In hac transactione Archiepiscopus Obmanni officio functus esse videtur. Audi-

vilegia papalia per cameram apostolicam expedita, principaliter contra totam diocesim a domino Nicolao papa quinto, qui eidem extitit favorabilis. Quaecunque voluit, obtinuit, pecunia mediante. Tandem theloneum Bopardiense, et alia ibidem accidentia, comiti (a) de Catzenellenbogen, ad multa millia florenorum impignoravit (b), et cetera officia in diocesi etiam nobilibus pro pecunia tradidit; de suis incolis nemini confidit; forensibus a quacunque patria venientibus servitia secreta commisit, qui (c) ut frequenter, eidem subtrahendo fecerunt recompensam. Omnes suas neptes, filias videlicet Arnoldi fratris sui, comitibus copulari procuravit, ut progenies sua alta videretur: pro quibus maritandis diocesim suam exposuit, communitatibus nescientibus, nisi post mortem ejus. Infirmitas ejus incoepit in mense Novembri, et duravit usque ad mensem Maji quasi ad finem; licet medio tempore multotiens dicebatur mortuus Confluentiae et alibi in partibus circa Rhenum, quia infirmabatur in Palatiolo, in scholastria ibidem, quam pro tunc habuit, et adhuc dominus Syfridus Dreckenach, secretarius ipsius domini Jacobi archiepiscopi. Et infirmitas ejus fuit

---

amus Thielmannum Emmel in suo opere msto, cui titulus: Pagus Logenahe, de hoc officio optime disserentem:

Von dem Obmann.

„Zu Zeiten anfangs — und lange hernach ware noch kein gemeiner Landfriede, sonder der „starckes übermannte den schwachesten. Do dan eine sache entzwischen Stiffteren, Gemeinden, „Ritteren, Herren und Knechten mit dem wenigsten Cösten solte erkennet und verglichen wer„den; so wurden von beiden parteyen einer erkösen, welche zween dan vorthan den dritten „mann erkoren alß zum Obmann. Dieser nahme dan bericht ein von beiden Theilen, er„woge die sache und bename sich rathschlüße, dan zu Vrtheil — mit diesen schlußreden al„so: Dieses sagen ich Obmann recht seive und habens mich befraget bey „geistlichen, weltlichen, Edlen Ritteren und knechten, auch anderen vielen „guten leuten.

„Darüber dann würden beiden Theilen Brief und Siegel ertheilt."

(a) Philippo.

(b) Sic e. g. in diplomate quodam inedito de anno 1444. legimus: „Wir Jacob &c. Ertz„bischoff zu Trier bekennen — das wir rechter, redlicher vnd kundtlicher scholt „schuldig sin unserm lieben getrewen Ludwig Zant von Merle, Carisma von Sint„zig seiner ehelicher huyssfrawen vnd iren erben nuynhundert gute schwere Ryni„sche gulden — und da wir zur zyt so vil geldt nit hain — so hain wir „darumb &c. &c." — Oppignoravit ergo Jacobus dicto Lucovico castellum Balde„naw. (Cod. ms. dipl. Trev. Vol. II.)

(c) quoniam et: edit. Mart.

incurabilis ex nutu divino, quia pessime rexit populum suum, et avaritia excaecavit cor suum. Et obiit sine intellectu et ratione, vicesima die mensis Maji, sepultus in ecclesia S. Mariae Virginis ante chorum circa majorem ecclesiam, anno Domini MCCCCLVI (a).

Et licet fuerit in quibusdam actibus defectuosus, tamen etiam multa bona in vita gessit, reformando monasteria, dedicando per se ipsum ecclesias, et in festivitatibus, in collegiis, in monasteriis celebrando divina, et in coena Domini lavit pedes religiosorum, et communicavit eos omnes. Et sunt multa alia gesta ejus bona et laude digna, pro quibus misereatur ei omnipotens Deus. Amen (b).

CAPUT CCLXXVII.

(c) Anno igitur Domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono dominus Jacobus de Syrck, scholasticus ecclesiae Trevirensis, possessionem ejusdem ecclesiae nactus, a sede apostolica confirmatione obtenta, in castro Meynsberch (d) archiepiscopus consecratur.

(a) Quidam codd. mss. et edit. Mart. habent: 1455., sed false.

(b) Alia folia mss. ad annum 1442. referunt: „Burgemagistri seu Consules Trev. hoc „anno primum instituuntur, abdicato Magistro Collegii Scabinorum, idque permissum „est ad vitam principis.“

Jacobus I. Archiepiscopus anno 1446. 13. Januarii (nach gewonheit zu schreiben im Stiffte zu Trier, ut habet charta) foedus unionis percussit cum civitate Trevirensi (Burgermeistere, Scheffene, rait vnd burgere gemeinlich der stat Trier), quo mutuum sibi auxilium stipulantur. — Haec etiam charta deest in diplomatariis impressis; asservatur vero ejus authentica in bibliotheca Trev. (Caps. L. N°. 2.). Appensa sunt tria sigilla (Jacobi, civitatis magnum sigillum, et capituli Metrop.). Erant tum periculosa tempora, quorum indicia haec: Jacobus ab Eugenio excommunicatus; — conjuratio Nobilitatis adversus eum; — Jacobi cum aedis primariae Clero simultas; Cornelii Burgundi insidiis, qui nothus Philippi Ducis, et Praefectus Lutzemburgicae ditionis erat, Treviris petita.

(c) Sequitur alter textus de gestis Jacobi I., ab alio auctore scriptus.

De hoc Jacobo in cod. Trev. ms., N°. 29. sign., haec pauca legimus: „Vir multae „eruditionis et memoriae singularis. Nam ferunt eum in cancellaria sedentem pluri„bus copiosam dictandi scribendique materiam retulisse, ac demum in fine, quod cui„libet exarandum tradiderit, ubive inceperit vel cessaverit, fortissima memoria re„citasse.“

(d) Prope Sirck. — In chartis germanica lingua scriptis: Meinßberg. Postero tempore (saeculo XVI.) in ditionem Comitum Saynensium venit.

Vir profecto eminentis ingenii et industriae, qui quondam Renati, regis Siciliae (a), cancellarius fuit: Eugenio pontifici summo et Sigismundo caesari praecipue charus. Nam solus inter eosdem super differentiis post multiplicem tractatum pacem effecit.

Hic intrando possessionem archiepiscopatus in omnibus ecclesiae promptuariis non tantum reperit provisionis vini, bladi et ceterorum, ut pro se et familia sua refici potuerit una dumtaxat die. Omnia quippe castra, oppida, thelonea ac census ecclesiae impignorata et aere alieno gravata fuerunt. Nam antea episcopus Leodiensis pro coadjutoria Rabani summam sexaginta millium florenorum, pariformiter Rabano in cessione sua in numerata pecunia persolvit (b).

Anno suo primo, defuncto Alberto, Romanorum rege, Sigismundi genero, dominus Jacobus ingenio suo electionem Frederici tertii caesaris (c) elaboravit: qua de re ad electorum instantiam Austriam petiit, de coronatione regis tractaturus (d). Rege postea ad oras Rheni profecto, Romanam cancellariam, consentiente Moguntinensi archiepiscopo, dominus Jacobus gubernavit. Ibi primo privilegia ecclesiae suae sub regali titulo a Frederico impetravit (e).

Hic fuit multum astutus in negotiis, ita ut nullus potuerit (f) eum intelligere, nec de ipso confidere: quia (g) semper in parabolis loquebatur cum nobilibus suis, et nunquam cordialiter neque confidenter (h).—

(a) et Lotharingiae Ducis. Vide plura de hoc Renato in Kyriandri Commentariis de Aug. Trev. pag. 265.

(b) Conf. Gesta Rabani, cap. 275.

(c) In charta N°. 180. (ap. Günth. l. c. pag. 395.) legimus de anno et loco electionis Friderici sequentia: „Von Gottis Gnaden wir Diderich Ertzbischoff zu Mentz, Ja„cob zu Triere vnd Diderich zu Coelne &c. &c. — Als itzunt uff den neesten Dorns„tag nach sant Pauls Tag Conversionis geen Franckfurt eyn Koere eyns romischen „Konyngs zukunfftigen Keysers gesetzt ist zu doen &c.“ — In fine: „Gegeben „zu Lonsteyn uff Sondage sant Thomas Abent des heiligen Apostelen nach Christi „Geburt dusent vierhundert vnd in dem nuyn vnd drissigstem Jaire.“

(d) Ap. Honth.: contracturus.

(e) Vide diplomata Friderici III. in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 393. et sq. — in Günth. Cod. dipl. IV. pag. 419. sqq.

(f) Honth. legit: ita, quia nullus potuit &c.

(g) Ibid.: tum quia.

(h) Haec et plura sequentia de ingenio et moribus Jacobi ad verbum concordant dictis in cap. sequente; ita ut talis repetitio hic foret superflua.

Fuit autem mirum in modum pacis amator; nam saepe numero principibus, comitibus aliisque potentibus, inter se dissidentibus, ex sua prudentia, bella seu guerras maximis laboribus et impensis praecavere consuevit. Non tamen vir tantus caruit aemulis invidentibus; maxime enim his exosus erat, quibus praedae, caedes et cetera mala bono et honesto potiora fuerunt. Postea (a) complures comites, barones, circiter viginti, in ipsum conspiratione clanculum edita, animum habuere maximo exercitu, ut potentes erant, Trevirensem principatum invadendi, ipsumque antistitem adeo persequi, ut patria depulsum extorrem omnino redderent. Quod quidem instans malum, beatissimo Petro tutore, praecautum est; quia de hujuscemodi factione praesul plene avisatus, se ad defensionem, ut erat animosus, viriliter praeparavit. Inprimis namque centum carratas vini adversariis ademit, quas ipsi adversarii dolose, nomine cujusdam principis rem dissimulantis, de Mosella abduci procuraverant, usui belli, quod imminebat, applicandas, sibique servavit (b). Quo percepto machinantium animi perplexi a proposito praecipiti celeriori fine destiterunt, pontificem in suis dignitate et potentia sinentes. Non tamen quidam comes rancorem deposuit, sed animo indurato dominum Jacobum persecutus, in clerum praesertim collegii Limpurgensis tyrannidem exercens, multis

(a) Anno 1445.

(b) Brow. (op. c. pag. 283.) de hac conjuratione Nobilitatis scribit: „Jacobus Trevi-„rensis et Theodericus Coloniensis, ubi explicata fronte palam denique Eugenii (Pa-„pae) causam diutius non sustinent, et alienos ab eo se gerere animos ostendunt, „ambo ab Eugenio excommunicationis censura notati et expertes sacrorum munerum „judicati. — Secundum acre id Eugenii decretum, praepotentem tum Eifliae nobilita-„tem in caput conspirasse Jacobi inclinat animus. Siquidem in ejus memoria vitae, „viginti prope magnates, ut eum extorrem agerent, ac tota pellerent provincia, con-„jurasse reperio."

Gesta non faciunt mentionem de Jacobi Trev. et Theoderici Colon. Archiep. exautoratione per Eugenium IV. Papam. Legitur vero hoc instrumentum, datum Romae, 9. Febr. 1445. ap. Honthemium (Hist. Trev. dipl. II. pag. 406.). Res sane inopinata, quae magnos in Germania motus excitavit. Interim Eugenius IV. paucis diebus ante mortem suam (obiit 23. Febr. 1447.) dictos Archiepiscopos ad pristinos reduxit honores. Hoc restitutionis decretum signatum est Romae, die 5. Febr. 1447. (Honth. op. cit. pag. 408. — Conf. Kochii Sanctionem pragm. Germanorum illustratam, pag. 19. et 28. sq.) —

injuriis et opprobriis affecit: donec comes in peregrinatione ad limina sanctorum Petri et Pauli exul morte immatura obierit.

Ceterum nonnullos capitulares canonicos, domino archiepiscopo Jacobo rebelles, variis laboribus ac sollicitudine idem dominus Jacobus dignitatibus et beneficiis in ecclesia Trevirensi privari, aliisque personis sibi acceptis de his provideri fecit, maximis inde litium anfractibus ortis; nihil tamen destituti proficientes, omnes passim obierunt. Unde effectum est, ut archiepiscopus usque ad finem vitae a reliquis in timore et reverentia haberetur, nihil, quod expeteret (a), abnuere ausis.

Postea sub anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo, tempore jubilaei, juncto sibi Conrado Metensi episcopo (a), cum honorata comitiva (c) centum et quadraginta equitum peregre Romam proficiscitur. Pontificem Nicolaum quintum adiit: plura pro honore ecclesiae suae, etiam in usum suum, praerogativa, praesertim nominationes ad singulos collatores suae dioecesis, quibus multum provisum fuit, et quod apud Treviros Gymnasium erigi posset, impetravit (d).

(a) Honth.: expetierat.

(b) „En 1450, Conrad Evêque résolut de faire le voyage de Rome avec l'Archevêque de „Trèves son neveu, dans la vue d'y gagner les indulgences du jubilé, et d'expier „les fautes qu'il pouvoit avoir commises lorsqu'il avoit l'administration des affaires „de la Lorraine.“ (Hist. générale de Metz &c. II. pag. 653.)

(c) cum honesto comitatu: cod. Lind.

„Hoc anno 1450. Nicolaus Cusanus, ex Trev. pago Cus oriundus, ut Legatus apostolicus et S. R. E. Cardinalis venit Treviros, concionatur ad populum et „reformat clerum.“ Sic alia folia mss.

(d) Id est: studium generale, unisersitas studiorum. — Jacobus I. a Nicolao V., Pontifice Romano, diploma geminum obtinuerat, anno 1454.; in quorum primo legimus: „Cum sicut accepimus, venerabilis frater noster Jacobus de Sirck archiepiscopus „Trevirensis, et prout etiam dilectus filius noster Arnoldus de Clivis literarum apostolicarum abbreviator, et ipsius archiepiscopi secretarius ac in Romana curia pro„curator nobis retulit, in ejus civitate Trevirensi tanquam loco insigniori et magis „ad hoc accomodo et idoneo, in quo aëris viget temperies, victualium ubertas, cete„rarumque rerum ad usum humanum pertinentium copia reperitur, desideret plurimum „fieri et ordinari per sedem apostolicam studium generale in qualibet licita facultate „&c. &c.“ — At vero Jacobus hujus praeclari operis summam non absolvit; sed jacuit hoc negotium Academiae usque ad ad annum 1472. Vid. additamenta nostra ad hoc caput in fine voluminis.

Item fuerunt complures istius praesulis et ejus ecclesiae hostes acerrimi, inter quos erat praecipuus Johannes, comes de Marca et Arburch. Insuper nonnulli nobiles principes castrorum Kaldenfels (a), Riffinberch (b), Vaitzberch, Tzeppenfelt (c), Montfort &c., qui quotidianis guerris archiepiscopum et ejus patriam lacesserunt, quibus magnifice restitit. Nam dum plures nobiles cum satellitibus in castro Riffinberch retenti acrius in hunc principem ejusque subditos saevirent: die quadam (d) habito conflictu circa octoginta equites adversariorum capti sunt, et ad artissimas servitutum obligationes compulsi. Inter alios quidem Johannes Hurte de Schoneck, officiatus ecclesiae juratus, qui in limitibus Eyffliae potentior videbatur, comiti supra nominato haud dissimilis, Jacobum archiepiscopum singulari odio multisque contumeliis et opprobriis affecit, adeoque dominum suum irritavit, quod archiepiscopus ipse, adjutorio comitis Ruperti de Vyrnenburch, exercitu valido atque copioso eundem aemulum incautum, nil tale metuentem, sed archiepiscopum cum comite parvipendentem appetiit; castra et oppida Hyldesheym, Castelberch, Manderscheit et Schoneck-Eyffliae triduo ademit sub anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, circa festum natalis divi Johannis Baptistae. His ita egregie peractis reliquos minutos hostes perculsos egit, quod ab infestatione solita facilius destiterunt. Nihilominus Johannes Hurte cum multis hostem ultro se declarat: incendia, praedas, homicidia et similia per patriam continuando; licet incassum, archiepiscopo diutine sibi fortiter resistente.

Sequenti anno ortis dissensionibus inter Theodericum, Moguntinensem archiepiscopum, Stephanum, ducem Bavariae, Jacobum, marchionem Badensem, ab una parte, et Fredericum, Palatinum comitem Rheni, ab altera; unde verebatur, peringentes potuisse exoriri guerras: magnificus praesul Jacobus, instituta ad Wormatiam dieta, aestate media partibus hinc inde comparentibus, sex hebdomatibus pro concordia tractans, tandem sufferentiis triennalibus, modo compromissi, bellum, quod acerrimum imminebat, ea vice sustulit, atque

(a) Ap. Honth.: Haldenfels.

(b) Reifenberg.

(c) Ap. Honth.: Keppenfeldt.

(d) Ibid.: et die quadam; male.

praevenit. Et licet ecclesia Trevirensis debitorum oneribus nimium fuerit gravata, ipse tamen archiepiscopus, ut erat magni consilii et providentiae, patriam tranquille rexit, tutando subditos spirituales et saeculares pro posse; nec dedignabatur ea de causa soldatis et satellitibus grandem exponere pecuniam.

CAPUT CCLXXVIII.

Inter alia fuit religionis cultor (a). Conventum Minorum in Confluentia maximo labore, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, ad regularem observantiam reduxit; canonicos regulares in insula Confluentina et in Everhartz-Clusa (b) ab initio reformatos primus in diocesi Trevirensi instituit; cujus basilicam ipsemet solemniter consecravit, quemadmodum saepenumero circa summas festivitates officia divina in sacris ordinibus celebrandis, aliisque ad executionem pontificalium laborum spectantibus se pronum exhibuit (c). In sacratissima die coenae Domini crisma sanctum conse-

---

(a) Eo tempore Canonicorum collegii S. Simeonis in urbe Trevirensi mores et incerta vivendi norma a Jacobo Archiepiscopo instaurati et temperati sunt. Hoc factum speciale praetermisit scriptor noster.

In collectione nostra chartarum Trev. possidemus (Caps. K. N°. 17.) diploma originale exhibens visitationem et statuta ecclesiae collegiatae S. Simeonis a Jacobo Sirckio Archiepiscopo anno 1443. 8. Sept. erecta. Ad calcem horum actorum legimus subscriptionem autographam Jacobi Archiep. et Decani Mathei de Meyen aliorumque Canonicorum.

Haec nova statuta a Johanne S. Angeli Diacono Cardinale in Germaniae et aliis partibus Legato a latere specialiter deputato, et subcommissario specialiter deputato Nicolao de Cusa, Archidiacono Brabantiae in ecclesia Leodiensi, ad requisitionem capituli S. Simeonis, approbata et ratificata sunt.

Diploma Joannis S. Angeli, vi cujus Nicolao Cusano hoc negotium committit, datum est Confluentiae 2. Januarii 1449. — Illud Cusani, in quo ordinatio confirmationis legitur, datum est Treviris, eodem anno, 7. Junii. (Caps. G. N°. 1.)

Diplomataria impressa non habent haec statuta et diplomata.

(b) Honth.: Clausa.

(c) Anno 1443. 17. Decembris Joannes de Monte, Ordinis Praedicatorum, Azotensis Episcopus, Suffraganeus Trevirensis jam sub Ottone Archiepiscopo, Confluentiae obiit. Suffraganeatus usque ad annum 1451. vacasse videtur; hoc enim anno Aegidius, Ordinis Carmelitarum, sub titulo Azotensis Episcopi ad suffraganeatum a Jacobo Archiepiscopo promotus est.

crare, familiam suam sacra eucharistia communicare solitus fuit. Idem palam Viennae (a), dum apud caesaream Majestatem fuerat, fecisse constat. Accurate pro administratione ecclesiae Metensis apud utrumque apicem, assentiente Conrado, Metensi episcopo, laboravit, obtentis literis opportunis, in finem, ut ea assecuta, oppressum archiepiscopatum Trevirensem refocillare posset; sed morte praeventus conatu frustratur honestissimo.

Deinde anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, circa festum Epiphaniae iterum, famulatu praelatorum, procerum ornato, caesarem in generali conventu nationis Germanicae, causa (b) praeparandae expeditionis erga Turcas ad novam civitatem (c) Austriae indicto petiit, et inter agitandum coram imperiali Majestate, audientibus omnibus principum et communitatum oratoribus, exhortatoriam fecit orationem, minime segni parcens caesari, quod a plerisque laudatum est. Multa tunc pro se et ecclesia Trevirensi coram caesare tractavit; novam omnium privilegiorum ecclesiae suae confirmationem sub aureis bullis in forma uberiore impetravit. Ceterum Ladislaum, Ungariae et Bohemiae regem potentissimum et excellentissimum, in Vienna Austriae tunc degentem, convenit, plurima tractans, praesertim quod idem rex potentissimus feoda ducatus Lutzenburgensis in persona propria ab archiepiscopo Jacobo acceptavit, praestito corporali juramento ac literarum munimine ad instar majorum suorum Lutzenburgensium ducum, cujus verus et indubitatus fuerat haeres (d). Insuper Jacobus antistes, ut ecclesiam suam in pace et quiete conservare posset, cum christianis-

(a) Austriae.

(b) Honth.: causae.

(c) (Neustadt.) — Conventus Neostadensis.

(d) Conf. diplomata in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 419., 421., 423. — Browerus (op. cit. pag. 289.) narrat: „Imperator regalium tabulas XXV. die mensis Aprilis ei munifice confirmavit, novaque privilegia liberaliter indulsit. At Jacobus patrimonii magis ecclesiae suae angustias, quam animum erogantis aestumans, porro „majorem in modum a Friderico plura postulare pergebat: atque ibi tunc animo certe „suboffenso ad eum Imperator: Si non facis, inquit, petendi finem, ego „negandi principium inveniam.“ Id inter memorabilia Friderici dicta Aeneas Sylvius retulit. —

simo principe Francorum rege Carolo (a), ejusque primogenito delphino Viennensi (b), aliis quoque principibus circumvicis confoederationem iniit. Matrimonium inter Ludowicum, Bavariae ducem, comitem palatinum electorem, Philippi patrem, et Margaretham, Amedei quondam Sabaudiae ducis filiam, conclusit; pluraque egregia in principatu Trevirensi aedificia confecit.

Postremo eo ex Austria reverso circa festum sancti Michaelis, anno quo supra, ut opinabatur, veneno tortus, adversa valetudine Palatiolum navigio venit, aegritudine indies ingravescente. Infirmitas ejus incoepit in mense Novembri, et duravit usque ad mensem Maji. Et infirmitas ejus fuit incurabilis ex nutu divino, quia pessime rexit populum suum; excaecavit enim avaritia cor ejus (c). Et obiit sine intellectu, rationis expers, diu ante mortem loquela privatus, vicesima octava die mensis Maji (d), anno pontificatus sui decimo septimo. Trevirim relatus, et in choro basilicae beatae Mariae Virginis (e) tumulatus. Praesul quidem omni laude dignissimus, si tantum laboris pro ecclesia, quantum pro extollenda familia impendisset.

Ejus tempore, ut supra tactum est, exorsa est domus gloriosae Virginis Mariae, quae Clusa Everhardi dicitur (f); ad quam praefatus dominus Jacobus miro afficiebatur affectu; quam creberrime devotionis causa visitavit, eamque studiose promovere curavit; cujus et primam ecclesiam personaliter devotissime dedicavit. Licet enim

---

(a) Carolo VII. — Vid. Promissionem Jacobi, Archiep. Trev., Regi Galliae factam (1444. 13. Febr.) et reciprocam promissionem Regis Jacobo factam (1444. 23. Febr.) in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 398. sqq.

Conf. super illa foedera, quae Rex Galliae cum quibusdam Germaniae Principibus percussit. Trithemium (Chron. Hirs. II. pag. 412.) — Daniel (Hist. de France II. pag. 1167.) — Müller (Reichstags Theatrum I. cap. 16.) — Adde Lunig (Teutsches Reichs-Archiv Part. special. Cont. II. Abtheil. I. pag. 34.) — —

(b) Post mortem patris Ludovicus XI. dictus.

(c) Vid. cap. 276. (d) 1456.

(e) Ecclesiae Metropolitanae conjunctae. Epigraphe rudis sepulchri legitur ap. Brow. II. pag. 289.

(f) De initio Clusae Eberhardi fusius disseritur in cod. ms. Trev., N°. 1276. sign., sub titulo: Historia hujus domus. Vide additamenta ad hoc caput in fine voluminis.

idem venerandus archipraesul fuerit in quibusdam actibus suis defectuosus &c. &c. (a).

CAPUT CCLXXIX.

Sequuntur gesta domini Johannis II., marchionis Badensis, archiepiscopi Trevirensis (b).

Post discessum reverendi praesulis domini Jacobi de Syrck, venerabile capitulum Trevirensis ecclesiae, pro futuri electione pontificis, diem vigesimam primam mensis Junii anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto indixit. Dissidentibus inter se primum capitularibus, una pars ad venerabilem Dytherum, ex comite de Isenburch-Budingen, canonicum capitularem declinavit: altera vero pars praestantior, in qua fuerunt reverendi patres Conradus (c) Metensis, Gwillerinus (d), postea Virdunensis episcopus, Philippus de Syrck praepositus, Henricus de Gryffenclae (e) decanus Moguntinensis, Emundus de Mailberch decanus Trevirensis, Johannes Gryffenclae, Johannes Beyer archidiaconi, Philippus de Seveneyo cantor,

---

(a) Quae sequuntur usque ad finem capitis, omnino concordantia sunt textui, quem legimus in cap. 276.: censemus igitur, ea hic esse praetermittenda.

Legimus in cod. ms. Petri Maier (†) sequentia: „Anno 1456. prima Maji ist „hochgemelter Erzbischoue Jakob schuldig gewest aller schuld an pfantschafften, versatzten, „Schlessen, Ampten und fust CC^m. LXX^m. IIII^c. XXV. fl., davon noch ufzeichnongen vor„handen." — Maier suum Mstum ad finem perduxit anno 1537., et die 24. Decembris ejusdem anni Joanni de Metzenhausen Archiepiscopo exhibuit. Argumentum libri est: De juribus et privilegiis Archiepiscoporum Trevirensium. — Exemplum hujus codicis possidet bibliotheca Trev. (Scriptores rerum Trev. mss. Tom. III., N°. 41. sign.)

(b) In historia Joannis Badensis usi sumus prae aliis codice ms. Trev., N°. 1281. sign., qui singularem hujus Principis vitam accuratius quam reliqui exaravit, et cujus scriptor horum temporum aequalis fuisse videtur.

(c) Bayer a Boppardia, Episcopus Metensis.

(d) Guilhelmus ab Harancourt. — Vid. Histoire ecclés. et civile de Verdun, pag. 397.

(e) Greiffenclauw.

(†) Petrus Maior Ratisbonensis (de Ratispona: sic ejus subscriptio in charta de anno 1507.) Secretarius erat Joannis Badensis, Jacobi Badensis et Joannis de Metzenhausen Archiepiscoporum. Sub hujus regimine functus est etiam Praetoris officio in urbe Confluentina.

concapitulares, alterius fuerant sententiae. Et post tractatus varios capitulum concordatum est ad formam compromissi in nonnullos praelatos, qui deliberatione praehabita decernerent in futurum archiepiscopum postulandum: postularunt ergo illustrem principem Johannem, patre genitum inclyto Jacobo (a) Badensi marchione, matre vero Margareta (b), Caroli Lotharingiae ducis filia, annum agentem vicesimum secundum; optimae indolis et acuti ingenii pro sua aetate adolescentem (c). Causa autem talismodi postulationis fuit Trevirensis praepositus memoratus, cujus opera in aemulorum odium factam postulationem constat. Post publicationem postulatus ipse ad summum altare deducitur; campanis pulsatis, et hymnum Te Deum laudamus solemniter choro decantande, super altare, ut moris est, elevatur: astantibus Dythero de Isenburch cum suis, actum postulationis reclamantibus (d). Crastino die postulatus princeps, comitante illustri principe Carolo, Badensi marchione germano suo, ad Palatiolum venit, evestigio de voluntate et mandato capituli in possessionem castrorum et oppidorum Pfaltz, Witlich, Cochme, Erenbreitsteyn, Engers, et ceterorum mittitur.

Interea princeps iste, tametsi innoxius, primo ingressu adversitatibus agitatur. Nam Jacobo praesule longa aegritudine, ut superius

---

(a) Browerus Joannem dicit Bernardi filium.

(b) Al.: Catharina, sed perperam.

(c) Eodem fere tempore, anno 1457., Georgius Badensis, Joannis frater, Conradi Metensis Episcopi coadjutor electus est. Vid. Histoire de Metz, II. pag. 654. — Cod. Trev., N°. 29. sign., hanc profert de Joanne Badensi sententiam: „Adolescentior „quidem aetate, alacer tamen animo et ad quaevis humanae vitae gerendae accomo„datissimus; et primo quidem negligentius egit, ductus animi quadam hilaritate, ac „ubi virum induit, virilia quoque aggressus est."

(d) Praeter Dytherum Isenburgicum alium adhuc Joanni Badensi objectum aemulum intelligimus ex Aeneae Sylvii German. c. X. ubi: „Postulaverunt", inquit, „ca„nonici ad ecclesiam" (Trevirensem) „Joannem marchionem Badensem, cujus aetatis „defectum singularis virtus redemit, et majorem suorum imagines suppleverunt. — „— — Annuit votis Romanus praesul, quamvis Philippus Burgundiorum princeps „potentissimus, ac de Romana ecclesia optime meritus, alium ex domo Bavariae in „illa ecclesia peteret, suis circumdata dominiis, pontificem."

— Hac ex causa sine dubio accidit, quod in foliis Broweri nostri mstis legimus: „Anno 1502." (refert vir celeberrimus) „Ordines patriae constituunt, ne posthac „ullus Archiepiscopus recipiatur, nisi a primario Clero electus."

dictum est, laborante, ipsoque adhuc vivente, nonnulli principes, praelati, comites, proceres, burgenses, subditi Trevirensis principatus, interea confoederationem seu unionem (a) confecerant, ea intentione, ne deinceps, capitulo in electione discordante, divisio, lites ac controversia partialitatum, ut olim, orirentur; insuper ne subditi ecclesiae contra juris ordinem ac libertatem gravarentur seu opprimerentur. Non, inquam, inficior, permultos habuisse conatus honestissimos; non tamen defuere utriusque status homines, aliud in pectore gerentes (b), qui magno studio clanculum agitarent, pro nutu proprium, quem animo conceperant, nancisci praesulem. Ex eo fundamento postulatus ipse a vasallis homagia, et ab oppidanis patriae debitas et consuetas fidelitatum obedientias diu assequi non poterat. Confirmationem apostolicam tandem a Calisto, pontifice maximo, die Crispini et Crispiniani, obtinuit, maximis labore et expensis (c). Remorationis causa fuit, Dytheri oratoris in urbe (d) factum praepedimentum. Adepta igitur confirmatione, et pallio ex urbe advecto (e), error vulgi paulisper sedatur. Nihilominus super interpretatione memoratae unionis diu disceptatum; tandem bonis mediis concordia parta. Confluentini, Bopardienses, Wesalienses, cum aliis oppidis Monthabor, Lympurch, Meyen &c. &c. praestiterunt alterutrum juramentum principi. Sicque ingens turbatio, quae grande periculum prae se ferre

---

(a) Vid. diploma germanicum celebris hujus unionis Comitum, Dominorum et Nobilium Archidioecesis Trevirensis, anno 1456. 10. Maji. in Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 423. sqq. — et ap. Lunig (Spicil. eccles. Cont. I. p. 233.). — Fuit deinde haec confoederatio anno 1457. 18. Aprilis auctoritate Friderici Imp., tanquam Aureae Bullae cap. XV. contraria, cassata (Honth. Hist. Trev. dipl. pag. 428.). Cassavit etiam hoc foedus Papa Calixtus III. Nec tamen plenum effectum utraque haec cassatio obinuit, ut colligere licet ex narratione sequenti scriptoris Gestorum Joannis II.
Interim ex hoc diplomate clare apparet, hoc jam aevo neo-electis Archiepiscopis Trevirensibus a Capitulo ecclesiae Metropolitanae certas capitulationis leges ad jurandum esse propositas.

(b) Verba: aliud in pect. ger., non habet Honth.

(c) „Pro pallio et confirmatione sua dedit XLI. M. florenorum in auro, de qua summa „sunt instrumenta et quitanciae.“ Sic legimus in cod. ms. praefati Maieri, qui quandoque etiam lingua latina in suo opere usus est.

(d) Roma. — Oratoris in urbe factum praepedientis: ap. Honth.

(e) Alia Mss[ta] habent: Adeptis ig. conf. et pall. ex urbe advectis.

verebatur (a), facilius, quam credi potest, felici fine sopita (b) est.

Deinde anno quinquagesimo (c) octavo princeps idem cum ordinata comitum procerumque comitiva caesarem in Austria adiit: ibi solemniter de feodis ac regalibus investitus, innovationem ac confirmationem privilegiorum ecclesiae Trevirensis literis imperialibus obtinuit (d). Anno postmodum sexagesimo magna principum, comitum ac nobilium stipatus caterva (e), scilicet XXIIII^or (f) centena equitum (inter quos aderant Theodericus Coloniensis archiepiscopus elector, Fredericus palatinus Rheni comes de Spaenheym, Carolus Badensis marchio, Georgius Metensis episcopus, Philippus comes de Catzenellebogen), stipatus idem archiepiscopus Trevirensis Johannes civitatem Trevirensem introivit apparatu decoro: a civibus fidelitatis juramenta de more accipiens (g).

Inter Christofforum marchionem Badensem et Odiliam de Catzenellebogen matrimonium tractavit; pari modo cum Engelberto comite de Nassauwe et Breda, ac Zymburga, Christoffori marchionis memorati sorore (h): celebratis utrimque solemniter nuptiis apud Confluentiam mense Februario (i). Cum illustrissimo Philippo, duce Burgundiae potentissimo, ejusque filio Carolo foedus percussit. Ea res

---

(a) Honth.: videbatur. (b) potita: ibid.

(c) quingentesimo: sine dubio lapsus calami ap. Honth., vel in Msto quo usus est.

(d) Vid. diplomata Friderici in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 432. sqq. et in Günth. Cod. dipl. IV. pag. 537. sqq.

(e) comitum ac nob. st. caterva: deest ap. Honth.

(f) XXIIII^or: non legitur ibid.

(g) Hunc solemnem Joannis Archiepiscopi in urbem ingressum (Inridt Bischoff Johans von Baden) quidam anonymus, testis oculatus, descripsit idiomate germanico. Mstum originale, modo asservatum in bibl. Trev., N°. 1529. sign., publicae luci tradidimus anno 1819. (Trier'sche Chronik, pag. 31. sqq.). Conf. Browerum (op. c. p. 293. sq.)

(h) Varii codd. et edit. Honth. male scribunt: sororibus. Vid. in Rittershusii Genealogia Imperat., Regum, Ducum, Comitum &c. tabulam Marchionum Badensium, in qua legimus: „Christophoro nupta fuit Ottilia Philippi senioris Comitis in Catze-„nelnbogen filia. — Habuit sororem Zimburgam, nuptam eodem anno 1468. Engel-„berto Comiti Nassovio in Breda. Altera soror Catharina uxor fuit Georgii Comitis „de Werdenberg, et tertia Margaretha Abbatissa in Liechtenthal.“
Conf. Brow. op. cit. II. pag. 297.

(i) Cod. ms. Trev., N°. 1281. sign., addit: anno 1469.

Lutzenburgensium conatus adversos (a) haud mediocriter finivit (b). Consimiles uniones ea de causa cum plurimis principibus et magnatibus finitimis iniit: quo ecclesiae Trevirensis subjecti a tyrannorum insultu hactenus praeservati sunt. Per omne tempus sui regiminis paci studuit summa tranquillitate, ultra quam antea compertum sit. Si enim quandoque invasores evenerant raptores aemuli (c); maluit illos parvo pacisci, quam subditorum damna, incendia et hujuscemodi experiri; nec id sine magnis expensis efficere potuit: permultos quippe ex comitibus, baronibus, militaribus, clientulis, pecunia familiares sancto Petro constituit (d). Comites de Arburch, qui cum prioribus ecclesiae Trevirensis archiepiscopis ad centum annos usque in praesens tempus solebant esse hostes acerrimi, in vasallum ecclesiae Trevirensis comparavit (e): pariformiter complures alios magnates, proceres, feodatorios suos constituit (f). Anno sexagesimo quarto a tribus episcopis suffraganeis, Trevirensi, Metensi (g) et Wormatiensi, in castro Sarburch archiepiscopus consecratur.

Ceterum anno salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, dum caesar conventum expeditionis in Turcas Ratisponam indixerat, Johannes hic archiepiscopus cum fratre germano (h) Marco, Badensi marchione, pluribusque comitibus et familia ornatissima Ratisponam venit, septem hebdomatibus inibi moratus. Postea oppidum Baden et Argentinam secutus, caesareae Majestatis obsequentissimus. Venientem postmodum caesarem ad urbem Trevirim anno eodem (i),

---

(a) Honth.: adversarios. — Hoc confoederationis instrumentum legimus ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. pag, 445. sqq.)

(b) Idem legit: juvit; minus juste.

(c) Ibid.: invasores, raptores et aemuli emerserant.

(d) Ibid.: „permultam quippe pecuniam plures ex comitibus, baronibus et clien„tulis familiares &c.“

(e) Vid. chartam dominorum de Aremberg (Johan von der Marke Herre zu Arburg — vnd Euerhart von der Mark eldester Sone zu Arburg &c.) de anno 1665. ap. Günth. (op. cit. IV. pag. 590. sqq.)

(f) Sic e. g. accepit Fridericus de Kesselstatt ab Archiepiscopo Joanne investituram feudalem castri Füren (Foehren). Charta est de anno 1482., quae non legitur in Honth. Hist. Trev. dipl. (Cod. ms. dipl. Trev. Vol. I.)

(g) Ap. Honth. desideratur: Metensi.

(h) Ibid.: cum fratre suo Marco &c.

(i) Anno 1473.

III. Cal. Octobris (a), praesul iste in palatio honorifice suscepit. Carolus Burgundionum dux potentissimus, diadema regale ambiens, Trevirim magno fastu petiit (b), sed spe concepta frustratus, inglorius abiit: et ea de causa Johannem archiepiscopum singulari odio postmodum persequebatur. Nam paulo post idem dux subditos archiepiscopi exactionare conatus, multa per suos minatur; cui praesul exhibuit virilem resistentiam, et suos ab hujusce molestia magnifice tutatus est. Praeterea in manutenendis ecclesiae Trevirensis juribus, privilegiis ac dominiis animum adhibuit stabilitum; nec unquam passus est ea diminui. Cum Trevirorum civibus honestam fecit multorum defectuum compositionem; adeo, ut pauci antea archiepiscopi cum eisdem tam pacifice et tranquille vixisse noscantur (c).

CAPUT CCLXXX.

Item castra et dominia Schoneck Eyffliae, Kempenich, Dune a comitibus de Vyrnenburch, qui ea jure pignorationis ad septuaginta annos possederant, pro summa quadraginta millium aureorum (d), et partem dominii Lympurch pro sex millibus florenorum redemit.

(a) Textus plurimorum codd. et edit. Honth. hic corruptus est scriptorum incuria; scribunt enim false: mense Octobri, cum scribere debuissent: III. Cal. Octob. Constat, Fridericum Imperatorem Treviros venisse die 28. mensis Septembris, et ibidem per menses ferme duos conventum solemnem Principum celebrasse.

Quidam oculatus testis narrationem suam hujus facti germanice scriptam incipit his verbis: „Es ist zu wyssen, das vnnser aller gnedigster Herre der Romisch kayser an sanct „michaels abind des gegenwertigen lxxiii Jar gein Trier kommen ist.“ (Neue Mittheil. a. d. Gebiete hist. antiq. Forschungen ꝛc. im Namen des Thüring. Sächs. Vereins herausg. von Förstermann, II. Bd. 1. H. S. 79. ff.)

Vid. Arnoldi de Lalaing Epist. de congressu Friderici III. et Caroli Ducis, ad Treviros, ap. Freherum Rer. Germ. script. II. pag. 302. sqq. edit. de anno 1717. — Trith. Chron. Hirsang. II. pag. 481. sq. — Kyriand. op. cit. pag. 263. — Brow. op. cit. II. pag. 300. sq.

Adde. etiam notas nostras ad hoc cap. in fine voluminis.

(b) Conf. caput 281.

(c) Folia mss. Trev., N°. 1346. sign., addunt: „Habuit Joannes Cancellarium Ludolphum ab Enscringen, quem Joannes Trithemius magnis laudibus celebravit, „virum doctissimum, omnis antiquitatis cultorem ac solertissimum indagatorem, philosophum summum, sagacissimum juris interpretem.“ —

Conf. additamenta ad caput 277.

(d) Vid. diploma de anno 1484. ap. Günth. tom. cit. pag. 662. sq. — Addamus hoc loco

Item tempore suo plurima utriusque sexus monasteria, praesertim ordinis sancti Benedicti, reformationi subjecta sunt: utpote Lacense, Mediolacense, Theologie (a), Schonauwe, Gronauwe, Tyersteyn (b), sanctae Agnetis in Treviri (c), insula juxta Confluentiam (d), Valendra, Engelport, et post nobilium dominarum monasterium regale (e) sanctae Irminae in Horreo Trevirensi (f). Conventus etiam fratrum Minorum in Lympurch ad observantiam reductus est. Item pro honore et utilitate collegiorum diocesis apud summos pontifices insigne

---

argumenta quinque authenticarum chartarum nullibi impressarum, quas nuper dono accepimus. Sunt autem haec:

1°) Pius II. Papa Joanni Archiep. Trev. facultatem concedit, ultra illa 30. millia, et 6. millia flor. Rhenens., quae antecessores Archiepiscopi levassent, adhuc alia 15. millia floren. a Clero suo exigendi. Anno 1461. 7. Aug.

2°) Commissio executionis praecedentis bullae, de eodem dato.

3°) Paulus II. Papa facultatem tribuit Joanni, etiam Clerum quatuor Decanatuum in partibus Gallicanis et Luxemburgensi ad solvenda subsidia coercendi. Anno 1464. 14. Nov.

4°) Sixtus IV. Papa Joanni facultatem tribuit, ad redimenda castra Schoneck et Kempenich, 15. millia flor. a Clero suo et omnibus beneficiatis cum cura et sine cura exigendi. Anno 1479. 3. Febr. (†)

5°) Charta Germanica lingua exarata, cujus argumentum est: Churfürst Johann von Baden verspricht dem Domkapitel, bey Erhebung der Subsidien von der Geistlichkeit, Commissarien aus dem Domkapitel darzu zu ziehen. 1458. 23. Jul.

Nescimus, an scriptor noster ex inscitia vel ex consulto has res silentio praeteriit (††)?

(a) i. e. Tholeyense. (b) Honth.: Fyersteyn.

(c) Vid. diploma Johannis Archiep. de anno 1460. ap. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. pag. 440. sqq.) — Ad eundem annum 1460. alia folia mss. Trev. sequentia referunt: „S. P. Q. Trevirensis petunt ab archiepiscopo magistratum sibi confirmari eadem „forma, qua antecessor eos adstrinxerat, idque permittitur, et sequitur inauguratio.“

(d) „Ex valle Ehrenbreitstein transferuntur religiosae virgines in insulam inferiorem, et „loco earum substituuntur Augustiani fratres, anno 1496.“ Sic praef. folia mss.

(e) In edit. Honth. deest: regale.

(f) Anno 1495. — Vid. diploma Joannis II. in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 497., et conf. Brow. II. pag. 313.

(†) Conf. etiam bullam ejusdem Sixti IV. (1472. 12. Apr.), qua permittit Jacobo Archiepisc., ut pedagia, telonea, gabellas &c. exigat a bonis ecclesiasticis (Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 457. sq.)

(††) Sic et silent Gesta de Joannis Archiep. gravissimo vitae discrimine. Evenerat enim propemodum, ut funesto exitu Cochimensi in arce obrueretur, cum anno 1499. pulvis nitratus subter ipsius cubile evibraret. Browerus (Annal. edit. Masen. II. pag. 315.) dicit: igni fortuito concepto; Kolb vero (Series Archiepiscoporum Mogunt., Trevir. &c. pag. 132.) aperte et palam scribit: pulvis pyreus de industria subjectus et accensus. Sic et alii suspicantur.

impetravit privilegium super electione decanorum et eorundem personali (a) residentia.

Gymnasium Trevirensem sive Universitatem a Jacobo, ut praemissum est, dudum impetratam (b), de novo erexit (c). Utrum erecta in futurum diu conservari possit, ex fortuna pendere crediderim (d)! Circa divina satis intentus, Virginem gloriosam praecipue venerari solitus est: jejuniis et contemplationibus in abdito frequens. Pro laude et gloria ejusdem intemeratae Virginis festum praesentationis ejusdem per suam diocesin instituit, jejunio bannito divinisque officiis solemniter singulis annis celebrandum. Opus insigne historiarum Dei genitricis sculptum basilicae ejusdem in Confluentia dono dedit. Mitram pontificalem pretiosam, una cum lituo seu baculo pastorali, ac cyrothecas (e) decore comparavit. Pro rebus etiam bellicis bombardas, tentoria, aliaque in his necessaria fieri fecit. Naves insuper cameratas, pro navigio principis ubilibet usu, splendide (f) fabricari disposuit.

Item omnia ferme castra et arces ecclesiae Trevirensis claris reformavit aedificiis; multa aedificia nova in eisdem funditus erexit: ut claro conspicitur in Erenbreitsteyn, Engers, Duna Eyffliae, Berenkastel, Sarburch, Kilburch, Schoenberch (g), et cetera. Palatium

(a) personali abest ap. Honth. (b) Vide caput 277.

(c) In Kyriandri Commentariis, pag. 269., legimus: „Anno Christi 1472. inter archi-„episcopum Johannem II. et senatum Trevirensem convenit, uti pontifex acceptis abs „civitate duobus aureorum millibus, impetratas non pridem a Nicolao V. papa bullas „traderet: insuper cum in curia Romana longe plus posset quam civitas, novum im-„petraret diploma, quo bullae superiores, et gymnasio destinatae praebendae certo numero „confirmarentur. Signatam mox apocham pontifex numeratorum sibi duorum millium „aureorum dedit Confluentiae die lunae post festum S. Valentini (mense Febr. exe-„unte) anno Christi 1472. more Trevir., literisque die Veneris sequenti ad senatum „perscripsit, legatos civitatis tradita pecunia vicissim juxta conventionem bullas re-„cepisse; proinde ludum, inquit, in Dei nomine inchoare, atque, uti „oportet in talibus, facere potestis. Post haec senatus passim tale scriptum „publice proposuit &c. &c." — Conf. additamenta nostra ad cap. 277. ad calcem voluminis.

(d) Finem habuit universitas nostra saeculi proxime superioris exitu.

(e) Ap. Honth.: cyrothecis. — lituo seu: non legitur ibid.

(f) Ibid. deest: splendide.

(g) Schoenburg: ap. Honth. — Cod. ms. praef.: Schonenberg.

Trevirense egregia structura decoravit. Curiam in Confluentia prope ecclesiam sancti Florini pene dirutam insigni opere ad valitudinem reduxit; pari modo castrum ibidem. Curiam archiepiscopalem Franckfordiae eximie reparavit. Castellum Kerlich, venationi aucupioque deditum, a fundo exstruxit. Praecipuum tamen, celebrique memoria (a) dignum opus in arce Erenbreitsteyn effecit, triennio completum; videlicet puteum quadraginta cubitorum altitudinis, durissima petra perfossa, scaturientem aquam, qua domus ista prius eguit, undamque (b) coquinae ministerio reliquisque necessitatibus abunde praestantem. Arcem (c) Monthabor aedificio admodum splendido summeque necessario decoravit; puteum quoque in fossato castri magnae profunditatis fieri fecit; pari modo undam pro familiae domus usu (d) exuberanter largientem. Item thermas ad sanctum Bertricum (e), antea pene desolatas, ingenti studio reparavit, eximia domo (f) cum cameris, aulis, atque pro balneo aestuariis, eademque muro firmissimo circumdedit.

Ipse etiam archipraesul, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, monasterium conventus in Valle Molaria (g) ordinis fratrum Eremitarum beati Augustini de observantia instituit: translatis antea beguttis ad moniales monasterii Valender (h), quas tunc pari modo reformationi subjecit. Anno sequenti, dum oppidani Bopardienses infidorum pravo consilio seducti in juris archiepiscopi

---

(a) Opus incoeptum fuit anno 1481. — Alia folia mss. habent: „Joannes curat fieri pu-„teum Ehrenbreitsteinianum, perrupta rupe, profunditatis 280. pedum usque ad ve-„nam aquae vivae repertam, et intra triennium fuit opus perfectum.“

(b) undam: ap. Honth. (c) Arcem: deest ibid.

(d) Ibid.: pro familia domus; deest: usu.

(e) Has thermas definitive acquisierat Joannes Archiepiscopus an. 1487. ab Henrico de Pirmont, filio. Conf. Günth. Cod. dipl. IV. pag. 679. sq. — Vid. plura de his thermis ap. Harless in suo libro: Das Bad zu Bertrich rc. S. 153. ff. Coblenz, 1827.

(f) eximia domo: ibid. deest.

(g) Molenheim infra Ehrenbreitstein. — Vid. diploma Johannis II. de anno 1500. apud Günth. op. cit. IV. pag. 731. sq.

(h) In praefato diplomate legitur: „quod cum alias post translationem priorisse et con-„ventus sororum seu monialium ordinis canonicorum regularium de reformatione ex „Valle Molaria, sub nostrae solitae archiepiscopalis residentiae loco seu arce Erem-„breitsteyn sita, ad Bellum Locum (Schönstatt) prope Vallendram. &c.“ —

ejusque sanctae Trevirensis ecclesiae diminutionem plura clanculum impetrassent praetensa privilegia, hisque pertinaciter molirentur inhaerere, neque moniti resipiscere curarent: praesul Johannes, contra morem (a), qui paci atque tranquillitati semper studuit, incitatus nonnullorum principum ac magnatum adjutorio, arta Bopardiam obsidione cinxit, et paucos post dies in deditionem suscepit (b). Et quamvis ipse princeps eodem tempore congruentem cives severius arcendi habuerit occasionem; tamen ex solita benignitate, receptis huldis et fidelitatum juramentis suapte clementem sese exhibuit. Quanta vero ingratitudine oppidani Bopardienses paulo post erga principem se ostenderint, clarum est; cum ab ipso omnino defecerint, aliisque factionum machinatoribus adhaeserint (c).

Item orta inter archiepiscopum et nobilem (d) Cunonem de Wynnenburch (e) dissensionis materia, dum idem miles se praesuli satis rebellem ostenderet, etiam illustrem principem palatinum comitem (f) concitaret: adeo, quod is, etsi vasallus Trevirensis ecclesiae, ad arma prorumpere molitus fuerit. Unde praesul ipse castrum Bylstein (g) arta obsidione vallavit, diuque coram illustribus principibus, duce Johanne de Bavaria (h), et magno comite de Wyrtenburch (i) certatum: tandem res per eundem comitem, obsidione soluta, bonis mediis in tranquillum finem infra mensis spatium redacta est, anno millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo.

Item defuncto Nicolao advocato ac domino novissimo de Hunolsteyn sine haeredibus, praesertim masculis, Johannes archiepiscopus

---

(a) contra morem: abest ap. Honth.

(b) Relationem de hac obsidione per Archiep. Joannem Badensem anno 1497. facta nobis reliquit Petrus Maier (ap. Honth. in Hist. Trev. dipl. II. pag. 501. sqq.). — In Chronico Sponh. Trithemius scribit: „Cives (Boppardienses) duodecima obsidio-„nis die se Pontificis imperio submiserunt."

(c) Vide acta publica in Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 501. — 524.

(d) Ap. Honth. deest: nobilem.

(e) Vide diplomata de anno 1488. in Günth. op. cit. IV. pag. 686., 688. sq. 691. sq. — In his chartis legitur Wunnenberg, Wynnenberg, etiam Winemberg.

(f) Johannem. (g) Beilstein.

(h) Idem Jodannes, ut supra. „Wir Johan von Gots Gnaden Pfaltzgrafe by Ryn, Hert-„zog in Beyern, vnd Graue zu Sponheim &c." Sic in chartis.

(i) Eberhardo, Comite de Würtemberg.

equitum peditumque armata manu potenti castrum et dominium Hunolsteyn, privilegiorum antiquarum literarum virtute, tanquam feodum devolutum consequitur, ecclesiaeque suae Trevirensi addidit. Non tamen id sine grandi pecunia accessit; nam pro nonnullorum feodorum ecclesiae Trevirensis per advocatos antea impignoratorum tuitione, tum pro unica Henrici advocati filia, baroni Salentino de Isenburch (a) nuptui tradita, circa decem millia florenorum Rhenensium expendere oportuit. Ceterum, comitatum de Salmis in Arduenna (b) idem archiepiscopus erga nobilem Petrum, dominum de Rysferscheit, pro decem millibus aureorum, vero exemptionis titulo, comparavit. Item Marcetum oppidulum cum suis attinentiis pro tribus millibus florenorum haeredibus de Syrck per Rabanum archiepiscopum dudum impignoratum redemit.

Deinde anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, cum inclytae Trevirensis ecclesiae regimini quadraginta annis praefuisset, et jam viribus deficeret, sibi in coadjutorem atque successorem destinavit illustrem principem Jacobum, marchionem Badensem, ex filio fratris germani nepotem (c).

(a) Honth.: Eysenburg.

(b) De Comitatu Salmensi vide Bertholet (Histoire du Duché de Luxembourg, III. pag. 274.). Credit idem auctor, Comites Salmenses de familia Comitum Luxemburgensium originem sumsisse.

(c) Gestorum scriptor, sic et Browerus (Annal. Trev. II. pag. 315.), hanc Coadjutoris electionem in an. 1497. rejiciunt; sed minus juste, cum jam anno 1493. Jacobus Badensis a Joanne Coadjutor publice proclamatus esset. Vide diploma Joannis: Datum Erenbreitstein uff sambstag nach Sebastiani 1492. more Trevirensi (21. Januar. 1493.). — Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 491. sq.

Pro solutione annatarum et bullarum Coadjutoriae dicti Jacobi in curia Romana, Joannes Archiep. et Jacobus Coadjutor 20,000 flor. credito accipiebant. Vid. diploma super hanc rem de an. 1500. ap. Honth. (l. c. pag. 525. sqq.)

Aliud memoratu dignum, nullibi impressum, historiam Capituli metropolit. ecclesiae eo tempore concernens, exhibetur in Catalogo ms. Praepositorum hujus ecclesiae (olim in tabulario antiquo Metropol.), in quo legimus:

„Anno 1492. Bernardus ex Comitibus de Solms, Canonicus Capitularis, electus „est in Praepositum Trevirensem. Post hujus obitum, an. 1503., Everhardus „ab Hohenfels, Decanus, electus est in Praepositum; et licet eodem tempore quidam Cardinalis S. Rom. E., de Cesarinis nuncupatus, eandem Prae„posituram, ac si apostolice vacaret, a summo Pontifice impetrarit, nihilo-

CAPUT CCLXXXI.

De solemni convivio, quod Carolus dux Burgundiae praeparavit apud sanctum Maximinum juxta Trevirim principibus invitatis, tempore hujus archiepiscopi Johannis de Balneis (a).

Anno Dominicae incarnationis millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, una dierum in Octobri (b), dux illustrissimus Carolus de Burgundia habuit invitatos serenissimum dominum Fredericum, imperatorem Romanorum, Maximilianum, ejus filium, cum omnibus ducibus et comitibus, qui Treviris erant cum praetacto imperatore: cum hoc omnium aliorum principum ambasiatores (c) et legatos invitaverat. Praenominatus imperator circa nonam horam ante meridiem cum praenominato populo visitabat claustrum sancti Maximini. Praecessores ejus erant bene armati, et induti quoad usum militarem (d): comes Everhardas de Wyrtenburch, Vitus de Rechberch, dominus Johannes Speth, et Wilhelmus de Wernaue. De post venerunt duo

„minus cum postmodum de Capituli privilegiis et praescripta consuetudine in utroque „mense Praepositum eligendi informatus fuisset, a sua praetensione ultra destitit, „adeo ut praedictus ab Hohenfels in quieta Praepositurae possessione usque ad diem „obitus sui permanserit; quin etiam, eodem adhuc vivente, Leo Papa ejus nominis „decimus privilegium Capituli de libere eligendo Praepositum in utro„que mense confirmarit anno 1514."

Alterum factum in eodem Msto, ejusdem argumenti, notatur hoc modo:

„Anno 1519. Joannes de Metzenhausen, Decanus, electus est in Praepositum Tre„vir. — Eodem tempore Princeps Joannes Cardinalis a Lotharingia, nun„cupatus Episcopus Metensis, de et super praetacta Praepositura Trev. Apostoli„cam provisionem obtinuit, eandemque insinuari fecit. Verum habita „informatione de specialibus Capituli privilegiis, et antiquissima, nunquam intercepta, „consuetudine, Joannes a Metzenhausen electus in quieta possessione permansit." —

(a) i. e. Badensis. — Hic titulus non legitur ap. Honth.

(b) „De quinta post festum S. Francisci": refert cod. ms. (monasterii S. Maximini, modo bibl. Trev., N°. 1253. sign.), in quo hoc convivium descriptum legitur. — „Ad „diem Nonarum Octobrium": scribit Brow. op. cit. II. pag. 300.

Carolus Dux Burgundiorum, tempore conventus, mansionem in monasterio S. Maximini extra civitatem habebat.

(c) In Honth. edit.: Ambassadores.

(d) ludum militarem: cod. praef. S. Maximini.

australes pariformiter (a) induti, nudis brachiis, solis clipeis ad hastiludendum. Imperator vero indutus erat tunica pretiosa deaurata fusca (b), ante pectus crucem auream (c) habens. Obviabatque ei Carolus dux Burgundiae ante portam sancti Maximini, eratque indutus tunica aurea lapidibus pretiosis et perlinis (d) intexta, in valore centum millium ducatorum. Intermedio vero praenominati sex in armis militaribus coram principibus hastiludio se ostendebant. Expedito illo descendebant hi duo principes de equis: conjunctis brachiis (e) intraverunt ecclesiam. Erat altare ornatum pretiose in praenominata ecclesia sancti Maximini. Primo quatuor scabella, et supra unoquoque scabello sex imagines, et unumquodque tale longitudinem habuit alterius dimidii brachii. De post unum scabellum duodecim Apostolorum deauratorum et argenteorum. Sexto vero scamno decem imagines aureae; in lateribus vero argenteae et deauratae, et iterum quatuor imagines argenteae et deauratae (f). Item decem cruces cum imaginibus penes imagines stantes, quarum sex sunt aureae cum lapidibus pretiosis; quatuor deauratae. Quatuor cantelabra, duo deaurata, duo vero argentea. Quatuor angeli aurei in longitudine unius brachii. Una capsa aurea, in qua erat sanctus Paulus primus Eremita, et sanctus Antonius. Unum tabernaculum cum paribus imaginibus aureum et ornatum lapidibus pretiosis. Lilium vero unum aureum cum lapidibus pretiosis; in quo lilio erat unus de clavis Christi (g),

---

(a) Ap. Honth.: pariter.

(b) „Induebatur imperator purpura intertexta auro“: Lalaing. epist.

(c) maxime pretiosam: addit Ms. S. Maximini.

(d) et margaritis: cod. Lind. — „Dux praeter pileum vestem gestabat ducalem.“: Lalaing. — Narratio germanica, supra nominata, dicit: „in kostlichen kleidern mit „großen edelen gesteinen, Rubin, demant vnd große perlin, das man die cleinot scheezt auff „C M gulden.“ — Fragmentum aliud germanice scriptum, industria D. Pauli Wigand detectum et in Vol. I. operis: Archiv für Gesch. u. Alterthumskunde Westphalen's, 1826. pag. 126. sq. impressum, habet: „Unde hadde an enen ghulden rock myd „parlen vnde eddeleme stene ghemaket vnde ghestiket.“ —

(e) Ms. S. Maximini: conjunctis manibus.

(f) In fragmento praefato legimus: „Dar na X bylde ydel Gold, VI bylde suluers ouer „ghuldet elen lank.“ — Altera relatio germanica: „Do hett de herczog ein altar zu„gericht mit cleinoten, der hett funf staffel, die waren alle mit heiltumb besezt. Do hat er „XVIII silber vergulte pilder, die da hoher waren dann ein elle.“

(g) Cod. ms. S. Maxim.: unus clavus trium Christi.

et de ligno sanctae Crucis. Et super hoc adamas in longitudine duorum digitorum. Pretiositas vero lilii erat ducentorum millium florenorum (a). Et tantum de altari.

De ornamentis refectorii (b).

Post missam vero praenominati principes intraverunt refectorium conventus sancti Maximini. Refectorium autem sic erat ordinatum et ornatum. Primo erat ibi trisarium decem scabellorum per modum graduum, et unumquodque scabellum in latitudine (c) erat decem et octo palmarum; ita quod se ostendebant a parte pedis usque ad testudinem. Desuper vero erant subsequentia clenodia. Primo triginta tria vascula, quorum major pars aurea, residua argentea; deinde septuaginta cantri parvi et magni, centum crateres ornati lapidibus pretiosis et margaritis. Alterum dimidium centum (d) pithgiri argentei; sex naves. Item duodecim scutellae ad lavandum manus, aureae et argenteae: sex unicornua, quorum duo ostenderunt se in longitudine trium brachiorum. Item sporta fragmentorum argentea; sex amphorae duodecim quartarum. In praesenti refectorio erant tres tabulae ornatae, et omnia instrumenta desuper argentea: ita ut quilibet suum habuit craterem argenteum, et duo habebant unum cantrum deauratum; et refectorium circumdatum erat pannis aureis et perlinis (e).

Ordo sedendi (f).

Item in prima mensa superiori parte (g) sedebat imperator Fredericus in medio. Juxta eum a dextris Maguntinensis, Trevirensis,

---

(a) Vnde se ys beter den III mael C dusent gulden. Ita fragmentum.

(b) Haec verba non leguntur ap. Honth.

(c) Cod. ms. S. Maxim.: in longitudine.

(d) Ibid.: centum quinquaginta, omisso: dimidium

(e) „Concessum in coenaculum“ (scribit Arnoldus de Lalaing) „quoddam grande, „ornatum aulaeis, in quibus exactissimo opere res Alexandri ejus, qui Orientem per- „domuit, erant intextae. Hujus rei praecipua admiratione, qui curas studiaque sua „interius norunt, ajunt ipsum“ (Carolum ducem) „teneri (†). In medio sella eminen- „tior, gradusque quibus adibatur, subsellia quoque instrata auro.“

(f) Hic titulus deest ap. Honth. (g) Ibid. omittitur: parte.

(†) Bernae in Helvetia asservantur quaedam Caroli Audacis aulaea (h. Gobelins dicta), in quibus res C. J. Caesaris intextae sunt.

Leodiensis, Trajectensis (a) episcopi. A latere sinistro illustrissimus princeps et dux Burgundiae Carolus, hujus solemnissimi convivii liberalissimus author, Maximilianus dux Austriae, Stephanus dux Bavariae, Ludovicus dux Bavariae. In secunda vero mensa a parte dextra sedebat episcopus Eustatensis, Carolus marckgravius de Balneis (b), Christophorus marckgravius de Balneis, ambasiator et consulatus Alberti ducis de Brandenburch, imperator Turcarum (c), Hugo comes de Muntphort (d), Joist (e), comes de Hohenzorn (f), Udalricus, comes de Muntphort, Crafft comes de Hohenloch, Adolphus comes de Nassauwe, Philippus comes de Nassauwe, dominus de Ylen magister curiae ducis Maximiliani. In altera vero mensa a latere sinistro sedebat episcopus Metensis, Everhardus comes de Schonenberch, Albertus marckgravius de Balneis, Jacobus Crafft (g) miles et legatus ducis Sigismundi de Austria, Udalricus comes de Sultz, Schaffart comes de Liningen, Otto comes de Hennenberch, Alwick comes de Sultz, Fredericus comes de Lust (h), praepositus majoris ecclesiae Trevirensis natus de Syrck, Georgius comes de Liningen, Everhardus comes de Sunnenberch (i).

Cibaria vero principum erant in primo transitu tredecim; et illos praecesserunt decem tubicines, quatuor fistulatores, et duo buccinatores; quos praecesserunt duodecim comites, induti aureis vestibus, heraldi duodecim (k). Ad secundum vero transitum duodecim dapes;

(a) Ibid.: Trajacensis. (b) Badensis.

(c) Erat is Calepinus, Mahometis II., Turcarum Monarchae frater, qui Romae, jussu Calixti III. baptizatus, Calixtus Osmannus dictus est — Relatio germanica hoc speciale addit: „Und als man nun sitzen wolt, da truck der Turckisch kaiser das wasser „unserm herren keyser. Die kurfürsten hillten das hanttuch vnnd das beckin."

(d) Monfort. (e) Jacobus. (f) Hohenzollern.

(g) Jacob Trapp: in relatione germanica. (h) Lost.

(i) In epistola Arn. de Lalaing haec de ordine sedendi legimus: „Consedit imperator, ad dexteram erant episcopi Moguntiacus, Trevirensis, Metensis, filius imperatoris, marchio Balnearum, post Ludovicus et Albertus duces Bavariae, comites „Montis vigilantis (Montbeliard) et Wirtebergensis, filius Thurci, et clarissimorum „virorum magnus, quantum locus capere poterat, numerus. Ex altero latere dux „Burgundiae, episcopi item Leodiensis et Trajectensis, reliquaque aulicorum nobilitas."

(k) „Praecedebant ducem pro numero gentium quibus imperat (caduceatores nescio, an „nomenclatores dicam, vulgus Gallorum Heraldos vocat) genus hominum Galliae Germanisque, et reliquis ad Occidentem nationibus usitatum: Lalaing. —

ad tertium autem transitum decem dapes. Peracto vero prandio apportabantur triginta ciphi cum confectis, quorum primus ciphus est aestimatus in valore sexaginta millium florenorum. Praenominatorum hospes, ipse videlicet Carolus dux Burgundiae, sexcentos homines in curia sua habuit, qui omnes fuerunt induti aureis et argenteis vestibus, singuli juxta statum suum maxime pretiosis (a).

CAPUT CCLXXXII.

De domino Jacobo marchione de Baden, archiepiscopo Trevirensi.

Defuncto et sepulto domino archiepiscopo Johanne secundo (b), quaedam dissensio in electione novi pastoris succrevit: majori parte

(a) Trithemius noster, hujus temporis scriptor, narrat (Chron. Hirs. II. pag. 481.): „Carolus habebat secum ministeriales ex Burgundia, et aliis nationibus plures, qui„bus furtum et rapinam sub poena mortis interdixerat, et si quis ei furtum aut rapi„nam fecisse delatus fuisset, etiam in re minima, sine misericordia mox eum fecit „suspendi. Hujus rei gratia, ne procul abesset supplicii furca delinquentibus, arbo„rem nucum foris ante monasterium S. Maximini, in quo degebat, in horto cujusdam „pauperis pecunia comparavit; in quam suae nationis malefactores, quotquot delati „vel accusati fuissent, suspendit. Unde et suis metum incussit, et laudem sibi jus„titiae apud omnes Mosellanos acquisivit. Nec frustra duodecim aureis nummis dic„tam arborem comparavit; in qua multi successive, sicuti tunc vidimus, fuerunt „suspensi pro variis criminibus."

(b) „Annus 1503. Joanni fatalis extitit, quando nono Februarii die, in arce Ehrenbreit„steiniana supremum diem clausit, jam pene septuagenarius. Exsequiae illi Treviris „institutae solemnes, sepultura humilis in occidua templi parte, sub caelato, non ta„men inscripto cenotaphio.": Masenii Epit. Annal. Trev. pag. 621. —

Trithemius (Chron. Hirs. II. pag. 595.) refert sequentia, quae quidem ex parte falsa sunt in temporis calculo, sed alia memoratu dignissima exhibent. „Anno 1503." (ait Mosellanus noster) „19. mensis Febr." (rectius: die 9.) „quae fuit Dominica „sexagesimae proxime post festum S. Valentini Martyris, obiit Joannes ex marchio„nibus de Baden archiep. Trevirorum, anno pontificatus sui 57., aetatis vero 79." (hic iterum manifestus error calculi in scriptione aut impressione), „cujus corpus in „majori ecclesia Trevirensi fuit sepultum in sarcophago, quem sibi fecerat in vita „praeparari. Reliquit ecclesiam satis tenuem, et aere non parum gravatam alieno, „cujus inopiae causam nonnulli triplicem assignarunt. Prima fuit bellum, quod cum „Boppardiensibus habuit, in quo plus quam centum florenorum millia expendit. Se„cunda fuit nimia ejus in alienos clementia, quippe qui multis multa contulit ingratis, „et qui nihil tale vel ab eo, vel ab ecclesia Trevirorum meruerunt. Ex cujus „ore paucis ante obitum mensibus audivi: Nihil, inquiebat, magis

eligente generosum dominum Jacobum Badensem marchionem, nepotem praedicti archiepiscopi Johannis; reliqua vero minori parte illustrem dominum Georgium Palatinum, praepositum majoris ecclesiae Maguntinensis. Dominus Jacobus, adhuc vivente avunculo suo Johanne, coadjutor constitutus fuerat, pallium et confirmationem a sede apostolica pro successione in archiepiscopatu obtinuerat: quapropter interdicto subjecta aliquanto tempore fuit civitas Trevirica, sed citius absoluta. Dietae aliquoties celebratae fuerant concordationis gratia: tandem, quo nescio actore (a), dominus Georgius domino Jacobo cessit, et sic episcopatum ipse quiete rexit.

Vir erat integer, benignus, liberalis, literis sufficienter imbutus, quas a Philippo Beroaldo accepit (b), eratque praeclari ingenii et excelsi animi: cujus suscipiendam et observandam beneficientiam idem (c) Philippus non tacuit (d). Romae qualiter susceptus et acceptus fuerit, Jacobus Wymphilingius (e) explanat.

„cruciat animum meum, quam eorum ingratitudo, quibus non merentibus benefeci: quoniam ecce quos exaltavi de stercore, fecique „magnos et divites, jam contemnunt me, et partes contra me sequuntur mihi adversas. Causam deficientiae tertiam suorum quidam alchimistarum deceptionibus adscribentes eum plus quam triginta millia florenorum in ea „vanitate referunt expendisse. Quam ipse de se opinionem suorum et novit et redarguit esse falsam, asserens me aliquando praesente sub jurejurando, quod in alchimistarum schola, ne dicam sophistria, quingentos, et non plures magistris errorum discipulus instituendus exposuisset auri florenos. Sit ita vel non sit, tribus „calamitatibus pressum constat, quarum occasione pauper evasit."

(a) Caesar Maximilianus, cum Pontifice, suam interposuit auctoritatem.

(b) Vide epistolam Philippi Beroaldi (Senioris), in pervetusta Bononiensi academia professoris celeberrimi, ad Jacobum (ap. Brow.)

(c) Ap. Honth.: iisdem, male.

(d) Legi meretur Beroaldi Hendecasyllabon, in quo non Jacobi solum, sed et Germaniae laudes exprimit. Non alienum est, aliqua hic inferre;

„Tres nuper quoque regulos Badenses
„Lautos, magnificos, probos dedisti.
„Inter quos Jacobus enitescit
„Lingua, dexteritate, comitate,
„Cultu, munditiis, nitore, victu
„Clarus, munificus, potens, disertus,
„Splendorque et columen scholasticorum:
„At Germania praepotens alumnos
„Ad nos consimiles subinde mitte!"

(e) Wimphelingus (scribit Trith. De script. eccles. ed. Colon. 1546. pag. 387.) Slet-

Principibus omnibus erat charus; imperatori tam sanguinis affinitate, quam applicationibus dotibusque variis convinctus. Hoc uno idem imperator Maximilianus se sapientiorem et expertiorem habere dicebat neminem, cui tutius regni imperiique negotia crederet, cui singularius et specialius adhaereret.

Jam erat excellentissimus princeps et archiepiscopus venerandus in opere, ut res patrias augmentaret, impignorata redimeret: cum (a) ecce omnium rerum acerbissima, mors, praeter spem et opinionem, inque totius provinciae dispendium, illum invadit; cum aliquot diebus apud Coloniam Agrippinam infirmitate laborasset (b), et novem annis ecclesiae Trevirensi praefuisset (c). Quod propere insinuatum fuit dominis majoris ecclesiae Trevirensis; et missis quibusdam de capitulo (d) Coloniam, corpus exanime navigio ad Confluentiam detulerunt, et in ecclesia sancti Florini Confessoris (e) sepelierunt.

CAPUT CCLXXXIII.

De gestis domini Richardi Griffenclae (f), *archiepiscopi Trevirensis.*

Venerabili domino Jacobo, archiantistite Trevirensi, ex hac luce mortis justissima lance subtracto, convenientes domini cathedralis ec-

stetensis, natione Teutonicus, presbyter ecclesiae Spirensis fuit, qui etiam in Heidelbergensi academia docuit. Conf. Brow. (Annales II. pag. 320. sq.), in quibus nobis relatum est: „Jacobus (Badensis) perlustrata Italia, Romae deinceps in magna celebritate famae vixit, honorifice ac perhumaniter primum ab Innocentio VIII., „dein ab Alexandro VI. cultus et habitus. Atque ipse quidem, quod ad antiquitatem urbis Romanae pertinet, quidquid aut retrusis e locis, aut veterum lapidum, „aut nummorum observationem collectum erui potuit, duobus comprehendisse libris; „et hoc eo ipso titulo ac nomine inscriptos, memoriae posteritatique dicasse proditur.“

(a) In edit. Honth.: tum.

(b) Anno 1511. mortuus est Jacobus II. in florida aetate necdum annorum quadraginta. De mortis genere vide plura in notis et additamentis nostris ad hoc capud ad calcem voluminis.

(c) Episcopatum annos octo, mensem unum, dies unum et viginti gessit. — Jacobi funus transportatum est nostris temporibus (1808) in urbem Badenam. Vid. historiam hujus translationis ap. S. F. Gehres (Reuchlin's Leben ꝛc. Carlsruhe 1815. pag. 185. sq.) — Epitaphium ejus, quod Richardus fieri curavit, legitur ap. Brow. (Annal. Trev. II. pag. 326.)

(d) Richardo a Greiffenclau, Christophoro Rineco, Georgio a Leyen, et Joanne a Modersbach. Vid. Brow. op. cit. pag. 326.

(e) Ap. Honth. deest: Confessoris.

(f) Greiffenclau a Volrats.

clesiae ejusdem diocesis substituerunt unanimiter et concorditer eligentes generosum dominum Richardum Griffenclae, cantorem ejusdem ecclesiae, virum probum et morigeratum (*). Confavebat huic electioni clerus et populus universus; applaudebant omnes, talem se nactos gavisi dominum (a). Sed et imperatori adeo placuit haec uniformis electio, ut dolorem de morte domini Jacobi defuncti hujus successione deliniret. Is igitur praesul Trevirim veniens, divinum cultum, vesperas maxime et missam frequentavit; praecipuis festis solemniter celebravit, et quod alii archiepiscopi suis suffraganeis

(*) — — Bonus pacis bellique minister
(ut Virgilii verbis utamur) dici poterat Richardus noster.

(a) Die 14. Maji 1511. Richardus electus est. — Die 17. Maji ejusdem anni capitulum Metropolitanum Trevirense intimat statibus patriae, ut Richardum electum pro Principe suo et Archiepiscopo agnoscant, eique homagium praestent. Vid. Honth. Hist. Trev. dipl. II. pag. 585.

„Confirmatus est a Julio II. Pontifice anno 1512, consecratus Treviris eodem an„no in die Pentecosten 30. Maji in majori ecclesia Trevirensi ab Uriele, Archiepisc. „Moguntino, astantibus sibi in pontificalibus Wilh. Argentinensi et Reinhardo Wor„matiensi Episcopis, praesentibus Philippo Coloniensi Archiep., Ludovico Comite „Palatino, Friderico Duce Bavariae, Georgio Episc. Bambergensi, et aliis quam„plurimis Praelatis, Comitibus, nobilibus et militaribus. In die Udalrici 4. Julii in „majori ecclesia Trevirensi Richardus primam suam celebravit missam. Joannes de „Moderspach gestabat crucem et Gerlacus de Isemburg ensem.“ Haec specialia legimus in foliis mss. coaevis (Scriptores rerum Trev. Tom. III., N°. 41. sig.)

„Eodem anno 1512. die 11. Aprilis Maximilianus I. Imperator Trevirim venit ad „comitia celebranda cum Vriele Moguntino et Philippo Coloniensi Archiepiscopis, ac „Ludovico Comite Palatino Rheni, Principibus Electoribus, et multis aliis Imperii „Principibus. Venerunt eodem Laurentius Campegius Julii II. Pontificis Legatus, „Claudius Massiliensis Episcopus, Ludovici Galliarum Regis orator, oratores quoque „Regum Hispaniae, Angliae, Poloniae et Navarrae.“ Hoc factum, quod Gestorum scriptor omisit, referunt alia folia mss. Trev. Loquuntur fusius de eo Trithemius (Chron. Hirs. II. pag. 674. sqq.) et Browerus in Annalibus ad annum 1512.

Maximilianus Imperator anno 1517. Treviros rursum adiit. Praetermittit etiam scriptor noster deliberationem de novi Imperatoris electione post Maximiliani mortem 1519., et sententiam famosam Richardi, in conventu Electorum Francofurti propositam, quam pro Francisco pronuntiabat. — Quaestio erat, an Galliae Rex Franciscus, an Hispanorum Rex Carolus, an vero Germanus quispiam esset eligendus? Ap. Sleidanum (Comment. de statu relig. et reipubl. ad an. 1519.) et in Broweri Annalibus haec deliberatio copiose relata est. — Silet quoque Gestorum scriptor de colloquiis, quae habebat Richardus cum Martino Luthero in Conventu Wormaciensi. Vid. Sleidanum ad annum 1521.

episcopis committere solebant', ipse per se ipsum perfecit. Dedicavit in monasterio sancti Mathiae Apostoli (a) novum chorum sumptuosissime erectum, et summum altare ornatissime excultum. In monasterio sancti Maximini, ipsa festivitate omnium Sanctorum, benedixit multa cum solemnitate abbatem Vincentium authoritate apostolica. Idem archiepiscopus Richardus dicavit et sacravit campanas majoris ecclesiae, magnis impendiis noviter fusas.

Sed quid attinet, de ordine et familia hujus viri plura dicere, quid de prima aetate et adolescentiae studiis? Illud maximum ac singulari attentione recolendum esse videtur, quod, cum capituli consensu ad sedem archiepiscopalem promotus fuerit, tanta fide et charitate eam sit complexus, ut nullis objectis difficultatibus (b), quamvis multa et periculosissima certamina ingruerint, de dignitate tamen ejus et incolumitate unquam desperaverit. Quam enim dimicationem non suscepit pro hac re publica, aut quod litis discrimen non subiit? Nam ut inde incipiam, quod sicut honoris ita turbationis ejus initium fuit. Eodem enim die, quo electus in principem altari impositus fuit, nobilis quidam ac potens (c) arma sumpsit ad occupandos hujus sedis fines, quibus nisi consilio et moderatione hic praesul potius quam armis occurrisset, non sine magno incommodo utriusque partis id certamen fuisset discussum.

Quid quod brevi post tempore bellum subsecutum est, imminens mediis finibus hujus provinciae, quo vir bellicosus, comes acerrimus, infestis armis in nos ita incurrit, ut nisi iste defensor praevenisset, vim illius sufferre non posse videremur (d). Illud autem quis satis commemoret, quod longo post intervallo postea concitatum est atrox atque exitiabile bellum (e), huic ecclesiae satis onerosum, si quo

---

(a) Ap. Honth. deest: Apostoli. (b) Ibid.: difficultatibusque; male.

(c) Robertus Virneburgius, Abbas Prumiensis.

(d) Dictus ille Abbas Prumiensis, quod iracundia summa esset (ut ait Browerus l. c. pag. 327.) inimicitiasque haberet etiam veteres cum dioecesi ex finium controversia, et aliarum rerum ancipiti jure conceptas, propinquorum opibus atque potentia fretus, bellum movere dioecesi, et armis lacessere insuetum belli praesulem ausus est. Conf. verba Barthol. Latomi, scriptoris coaevi, ap. eundem Browerum l. c.

(e) Bellum Sickingianum anno 1522. exortum est. Extant de eodem, praeter hoc Gestorum Trev. opus, Barth. Latomi „Factio (editio secunda habet Actio) memo-

coeptum fuerat consilio, perfectum fuisset: si non Deus omnipotens Sanctorumque innumerabilium defensio, quorum sacra pignora in hac urbe coluntur, hoc protectore, vim ejus depulissent a nostris capitibus; si a moenibus et tectis hujus urbis et a sacris templis antiquissimis arma ejus non tantummodo arcuissent, sed poenas etiam debitas exegissent ab eo, qui cum nulla justa et probabili causa arma sumpsisset ad evertendam hanc sedem: prius ruit in easdem poenas, quas nobis inferre cogitaverat.

Ingens siquidem nobilium et bellicosorum hominum manus conspiraverat adversus hanc sedem, duce et auctore Francisco Sickingen nomine, qui potentibus principibus et opulentis civitatibus formidabilis erat, qui tanta spe incitabatur ad hoc bellum, ut praedam ejus (a) nondum adeptam inter suos distribuerit. Tanta enim confidentia ferebatur, ut fretus opum suarum viribus, quas undique contraxerat, invictum se fore contra hunc populum, et urbis hujus ac principatus eversorem haud dubie futurum brevi tempore affirmaret. Itaque subito et improviso exercitu, dissimulato quem peteret, nullo more vel jure belli observato, non bello indicto (b), ne quid spatii esset ad circum-

---

rabilis Francisci de Sickingen, cum Trevirorum obsidione, tum exitus ejusdem (metrice descripta, et impressa apud sanctam Ubiorum Agrippinam in aedibus Eucharii Cervicorni. M. D. XXIII.) Recusum legitur hoc historicum poema in Schardii Rer. Germ. II. pag. 121. sqq. — Joan. Scheckmanni „Historia ms. excidii Maximiniani an. 1522. in bello Franc. a Sickingen.“ — Huberti Thomae Leodii „Historia de Franc. a Sickingen rebus gestis et calamitioso obitu“ in Freheri Rer. Germ. Script. III. pag. 252. sqq. — Scriptis his coaevis lucem dat monumentum illud historicum et coaevum, quod imprimi fecimus et ab oblivione vindicavimus sub titulo: Wie Frantz von Sieckingen den Stifft beschediget und die Stat Trier belegert hait im September des Jairs 1522. (Trier'sche Chronik, 1820. pag. 81. sqq.) — Vide plura ad hoc cap. in animadversionibus et documentis in fine voluminis. Conf. etiam Broweri Annal. II. pag. 337. sqq. et Güntheri Cod. dipl. V. pag. 202. sqq.

(a) In edit. Honth.: praedam suam; minus bene.

(b) Occasionem et causam invasionis Sickingianae in Treviros aliam memorat Joan. Scheckmannus in Ms. supra citato, cujus argumentum in additamentis fere integrum enotavimus. — Conf. etiam Sleidanum in suis Commentariis de statu relig. et reipubl. (Lib. III. pag. 43. edit. 1555. fol.) hac de re ita disserentem: „Vera „belli causa fuit, non religio, sed quod Richardus duos quosdam, suae ditionis ho„mines, pro quibus ille fidejusserat, non sisteret judicio: sic enim habent literae, „quibus amicitiam ei Franciscus ad exitum Augusti mensis renunciat.“ — Tum etiam confer Günth. Cod. dipl. V. pag. 208. sq., et chartulam, quam exhibet Ernestus Münch

spiciendum, armata manu fines nostros ingressus est. Cumque oppugnatum aliquamdiu et bombardis dejectum cepisset oppidum sancti Wendalini (a), direptis bonis miserorum civium, et captivis abductis nobilibus viris, qui illic in praesidio locati fuerant: eodem exercitu populabundus caedem ac vastitatem ingenti terrore, quocunque incedebat, ferens secum, ad hanc urbem accessit non amplius quatriduo, postquam ad urbis ejusdem incolas certum belli indicium perlatum fuerat. Atque hic sane cum se primo speraret capturum hanc urbem, et in potestate habiturum nostra bona: hic noster praesul prudentissimus quanta animi praestantia ad resistendum se objecit (b), ut ne quos in suam fidem aliquando et tutelam recepisset, contra vim inimicorum unquam indefensos esse pateretur. Equidem judicio multorum hac tempestate haec civitas vetustissima concidisset; nisi Richardus pontifex affuisset, et tanta virtute et consilio objicere caput suum pro hac sede et civium incolumitate paratus fuisset.

Jacebant plebis consilia circumventa tam subito et inexspectato discrimine: civium arma jam pridem otio diuturno et quiete elanguerant. Vix trecenti equites intra muros erant, quos ex stipendiis contraxerat subita trepidatio. Quibus fretus princeps cordatus, cum hostis jam muros tormentis quateret, et quanta vi potuit urgentissime instaret, confirmata reliqua multitudine, ipse stationes disponere, partiri onera, affari populum, militem hortari, consultari cum belli ducibus coepit, ac per omnia boni principis partes agere et subire (c).

---

in opere: Franz von Sickingen's Thaten rc. II. S. 199.; documentum porro, quod publicavimus anno 1820. (Trier'sche Chronik.)

Errat ergo hujus historiae scriptor, asserendo, Sickingium nullas transmisisse diffidationis literas (non bello indicto). Sed an justo tempore et loco? alia quaestio est. Legimus enim in aliis Mss.: „Die 29. Augusti vespere hora 6. literae dif„fidationis Sickingianae in arce Ehrenbreitstein receptae fuerunt.“

(a) Al.: Wandalini. (b) Ibid.: objicit.

(c) „Nos vario interea muros urbemque labore
„Munimus, vastosque agimus telluris acervos,
„Et trabibus late insertis, valloque rigenti
„Obstruimus portarum aditus, et robore crebro
„Duramus firmos postes, machinasque globosque,
„Pulvereasque paramus opes, et turribus altis
„Inferimus: subeunt operas puerique puellaeque,

Quibus rebus effectum est, ut civibus et aliis intra urbem fortiter repugnantibus, cum omnibus jam animus redditus esset, hostis infra paucos dies, frustra tentato aditu et omni pactionis sollicitatione (a) rejecta (b), turpiter decedere coactus sit: nullo ex civibus vel propugnatoribus laeso; cum interim complures ex adversa parte cecidissent. Non credo, sine magna virtute et divino quodam auxilio hoc tantum periculum fuisse depulsum. Profecto Deus immortalis hunc virum in eum locum dignitatis pervenire voluit, ut esset, qui

---

„Officioque vacat tota plebs omnis in urbe:
„Ipse etiam turres lustrans et moenia princeps
„Circuit, invigilansque operis cuncta ordine curat.“

Ita Latomus in suo poemate supra citato. Armatus etiam poeta fuit:

„Ipse ego, qui placidis fueram sacer ante camoenis
„Tranquillae pacis studiorum cultor et oci,
„Non ulla expertus bella aut Mavortia regna,
„Exceptis vatum ingeniis, clarisque loquentum
„Librorum pugnis, horrendo corpore ferro
„Accingor &c. &c.“

(a) Cod. Lind.: sollicitudine.

(b) Postremo, ad blanditias versus, immissis jaculo in urbem schediis, promisit Franciscus a Sickingen immunitatem omnem civibus, solumque sibi adversus Archiepiscopum, clerum et monachos dimicationem susceptam esse ostendit. Ipsas schedas inspexit Browerus, quarum sententiam latine redditam legimus op. cit. II. pag. 344. Erant autem in originali germanico hujus argumenti: „Liebe Burger, Ich bin nit hey, „daß ich begehre Euwers leibß blutß vnd guetß. Aber Euwer Ertzbischoff hat so viell weder „mich gehandelt vnbilligh, daß ich zu solchem Vornehmen gnugsam verursacht bin. Daruff „Christlicher lieb gehn Euch der erbietenß, wan Ihr mir dy stade dieses tagß vfgeben vnnd „laßen wille, aber gehn deß Bischoffs vnnd alle Inwohnen Pfaffen vnnd Munich mir mein „Willen vnnd Handt gegen ihren Haab vnnd guettern vorbehalten haben.“

Franciscus von Sickingen.

(Ex cod. ms. monast. S. Maximini, modo bibl. urbis nostrae.)

Latomus hoc factum refert tali modo:

„Quin etiam blandis vulgus mutabile scriptis
„Sollicitat, jaculisque leves trans moenia chartas
„In medios spargit vicos, turbasque frequentes:
„Accipiant portis se, et dedita moenia pandant,
„Invisumque genus cleri cum praesule tradant,
„Incolumi mansura statu murosque laresque,
„Et gentem antiqua sub libertate tenendam.
„Sed neque pollicitis, ullo aut terrore moveri
„Pectora fida queunt, casusque paratus in omnes,
„Perstat in immoto cum principe robore Trevir.“

periculosis temporibus hanc urbem forti et constanti animo tueretur; qui non commoveretur objectis periculis; non spem in alio quam in Deo poneret, sed prudentia et consilio pugnaret contra injuriam fortunae; et cum juris disceptatione non posset, labore saltem et periculo libertatem suorum tueretur.

Itaque vix sex mensium spatio interjecto princeps iste Richardus progressus in hostium fines cum exercitu, adjunctis auxiliis (a) principum lantgravii Hassiae et comitis Palatini (b), quos salutari foedere sibi conjunxerat, arces validissimas dejecit, atque ipsum suum hostem in propria spicula dejectum vidit; qui prior arma intulerat, qui manus violentas a templis non continuerat. Quod si commemorare voluero, quae ab illo antistite, tam foris et in consilio imperii, quam domi et apud suos, vel consulta prudenter, vel commode ac solerter provisa sunt, tempus citius quam oratio deficeret. Illud ex magnis, ex gravissimisque hominibus me audisse memini: saepe in arduis et difficillimis negotiis exploratum (c) ejus judicii acumen, perspectam consilii prudentiam, sententiae gravitatem. Ex quibus vel illud nemini obscurum esse potest, quantas et quam pernitiosas contentiones saepe inter magnos et praeclaros homines sedaverit; sustulerit causas imminentium bellorum; potentum principum exercitus, in acie ipsa stantes, sola moderatione consilii diremerit.

Unde illum non immerito tanta benivolentia apud multos et authoritas consecuta est, ut patris ac patroni loco, inter aequales etiam principes, coleretur: nec quicquam serio ab illis unquam voluerit, quod non magno bono et commodo Trevirensis ecclesiae sit impetratum. Quid quod Romanus pontifex per epistolas magnifice laudatum, quod de tuenda hac sede minime desperasset infidissimis temporibus, quod

---

(a) Ap. Honth.: adjunct**u**s auxiliis.

(b) „Ipse Palatinae gentis notissimus heros,
„Priscorum referens mores Ludovicus avorum,
„Sedulo quem gemini sequebantur in arma propinqui,
„Promptus adest, nec non animis juvenilibus Hessus,
„Offensae veteris, saevaeque tyrannidis ultor."

(Ita Latomus.)

(c) Ap. Honth. perperam omittitur: exploratum.

pacandis Germaniae motibus et puniendis factiosis operam strenue impendisset, quodque fidelem se exhibuerit erga Romanam ecclesiam, quae eum insignibus beneficiis ac privilegiis (a) honoravit. Quid caesarea Majestas? nonne hunc prae ceteris magnis et clarissimis viris tanta existimatione semper complexa est, ut non obscure saepe numeraverit inter praestantissimos viros, et in consultandis imperii negotiis, cum hic forte per praesentiam adesse non posset, unice tamen eum desiderare videretur? Et quidem de animi ejus praestantia et fide in depellendis suorum periculis, et de prudentia et authoritate singulari, quantum occurrit pro tempore, satis commemoratum esse arbitror. Nemo tamen, ut praedictis laudationibus, ne (b) dicam adulationibus, mensuram adhibeam, laudabilior eo, qui ab omnibus laudari potest.

CAPUT CCLXXXIV.

De castris Francisci et coadjutorum ejus per principes debellatis (c).

Postquam tres principes et domini, Ludowicus Palatinus comes Rheni (d), et illustrissimus Lantgravius Hassiae Philippus, et dominus Richardus Trevirensis episcopus, cujus causa mala plurima populo Treviricae diocesis supervenerunt, castrum et civitatem Cronenberch juxta Franckfordiam obtinuissent (e), praesidiisque inibi relictis, ad sua singuli cum suo exercitu repedassent: factum est, ut quidam nobilis et bellicosus praesumtuosissimusque comes, Franciscus Sickingen nomine, qui erat sub potestate domini Palatini, antequam eidem glorioso principi, domino suo Palatino, literas inimicitiarum dirigeret, nocturno tempore castrum Lutzelsteyn (f), quod erat dominii ejusdem principis domini Palatini, attentaverit dolose irrumpere, capere, spoliare, sibique usurpare. Cumque conatum suum ibi frustrari, nec quod praesumpsit, consequi posse, confusus cerneret: in-

---

(a) Ap. Honth. desideratur: quae eum — ac privilegiis. (b) Ibid.: non dicam.

(c) Hic titulus deest in edit. Honth. — Alius scriptor, qui Richardo minus favet, auctor est hujus et capitum subsequentium.

(d) Ibid. deest: Rheni. (e) Vid. additamenta ad hoc cap. in fine.

(f) Ap. Honth.: Lüzelstein.

dignatus exercitum conductum movit ad oppidum dictum Keyserslutheren (a), et circumjacentes villas, vicos et loca, quae etiam juris erant domini sui Palatini, incendiis, rapinis. exactionibus et aliis damnis vastavit. Quo cognito, tres supra nominati principes, singuli cum suo exercitu equestri et pedestri, convenerunt in unum adversus Franciscum praedictum: tantam ejus praesumptionem et rebellionem arguere, et in caput ejus retorquere.

Anno igitur Dominicae incarnationis millesimo quingentesimo vicesimo tertio decima octava die mensis Aprilis, illustris princeps dominus Ludovicus, Palatinus comes, cum exercitu militari urbem Heydelburch (b) egrediens, Wormatiam est ingressus, honorificeque ibidem et solemniter est receptus, curiamque episcopi ejusdem loci visitans inibi (c) pernoctavit. Dominica sequenti Wormatiam relinquens venit in quandam civitatem sui dominii dictam Altzen, in qua duobus substitit diebus: inde vicesima secunda die mensis Aprilis cum aliquibus sui exercitus venit in Crutzenach. Quo comperto episcopus Trevirensis et dominus Lantgravius Hassiae, qui non longe a praedicta civitate in tentoriis manebant, exurgentes obviam domino Palatino, ad ipsum suscipiendum, properabant. Cum tres isti principes convenissent, et de imminentibus tractassent periculis, singulariter tamen de castri Ebernberch (d) obsidione; consultius tamen judicabant, castrum Nanstall (e) ante circumvallare, in quo sciebant Franciscum Sickingen personaliter manere: quod et ab instanti fecerunt, mittentes generosum Eberhardum Schenck, dominum in Erbach, cum sufficientibus exercitu et bombardis ad praedictum castrum Nanstall undique obsidendum, ne alicui pateret copia egrediendi vel ingrediendi. Demum vicesima nona die mensis Aprilis dominus Palatinus cum duce Ottenrych, et duce Wolfgango avunculo suo, cumque exercitu suo venit ad obsidionem castri Nanstall. Convenerunt et alii duo principes, Trevirensis videlicet et Lantgravius, singuli cum exercitu suo

(a) Ibid.: Kaysers-Lautheren.
(b) Sic omnes codd. Ap. Honth.: Heydelberg.
(c) Ap. Honth.: ibi.
(d) Fortis Eberbergi clivus: ap. Latomum.
(e) Ap. Honth.: Nanstal. — Latomus scribit: Nanstallum. — In monumento historico, germanice scripto, ap. Günth. op. cit. V. pag. 202. sqq. legitur: Nanstull (Landstuhl).

et apparatu bellico copioso; et eodem die inceperunt, castrum bombardis et tormentis impetere.

Tricesima autem die mensis Aprilis tam terribiliter bombardae et tormenta mugierunt, ut vix aut nunquam talis sonus auditus sit in terra, et omnes stuperent (a), et ultra modum minarentur (b). Sicque contigit per (c) octo dies castrum Naustall tormentis concuti et dejici, ut omnes intus (d) conclusi desperarent tam de castri conservatione, quam de propria evasione et salute: plures quippe eorum gravia susceperant vulnera ictibus bombardarum; sed et ipse dux militiae (e) Franciscus Sickingen lethale vulnus in latere acceperat (f). Unde compulsus literas scriptas manu propria, nomine subscripto et signatas principibus castrum concludentibus per manum cujusdam famuli, buccinam (g) dorso gestantis, baculumque album, cui literae praefatae infixae erant, manu ferentis direxit (h). Perlectis literis statim obmu-

---

(a) Cod. Lind.: obstupescerent.

(b) Latomus de Nanstalli oppugnatione haec cecinit:

„Instant vi magna heroes, praeruptaque pulsant
„Moenia, concutiturque solum, et subtexitur aether
„Nocte cava: horrendo circum cum murmure sylvae
„Ingeminant, vocemque amplum per inane volutant.
„Haud secus horrificis nautae insanire ruinis
„Aetnaeos colles referunt, dum nocte sub atra
„Eruptos multo igne globos jaculatur ad auras
„Mons, summo eructans flammas in vertice, dumque
„Nigrantem piceo convolvens turbine fumum,
„Convulsos imis scopulos radicibus, actosque
„In sublime rotat, vicinaque verberat astra."

(c) Ap. Honth.: pro; omnino male. (d) Ibid.: in his; vitiose.

(e) Ibid.: malitiae?

(f) Apud Latomum legimus:

„Forte ex adverso, gemini de rupe dracones (i. e. tormentorum nomen)
„Urgebant, mediaeque viam in penetralia sedis:
„Effractis vi magna aditis, lateque patenti
„Rumpebant muro, qua se forte ipse ferebat
„Sollicitis instans operis Siccingius. Ecce
„Improvisa ruunt violenti tela draconis,
„Perque imos penetrant muros, divulsaque durae
„Membra trabis circumspargunt, toto impete tecto
„Verberat, incautoque viri latus excipit ictu
„Fragmentum." — —

(g) Cod. Lind.: sarcinam. (h) VI. Maji 1523.

tuerunt tormenta et bombardae, cessavereque amplius impetere castrum. Literae autem emissae continebant: Franciscum desiderare et petere aliquos de consiliariis principum mitti ante castrum, ipsumque aliquos de suis ad eosdem foras e castro missurum, ad tractandum de his, quae agebantur, negotiis. Quibus pariter convenientibus et colloquentibus, tandem irrevocabili conclusum est decreto et definitum, Franciscum cum omnibus nobilibus et equitibus, in castro constitutis, esse debere principum horum bellico more vinctos et captivos; reliquos vero belligeros de castro, ut superatos et vinctos, sine armis, ut moris est, abscedere: ipsum vero castrum Nanstallum cum omnibus suis attinentiis et bonis, quae intus erant, devolvi in manus principum praedictorum.

Die sequenti, septima videlicet Maji, tres isti (a) principes cum quibusdam suis proceribus appropinquaverunt castro, et egressis juxta condictum his qui intus fuerunt, sine armis, quorum plures tam de egredientibus, quam de his qui intus remanserant, graviter ictibus bombardarum sauciati, quidam etiam mortui fuerant, intraverunt castrum; et accedentes ubi Franciscus in obscuro jacebat loco (b), jam usu oculorum prae infirmitate privatus, et jam in extremo vitae articulo laborans. Accessit autem prior dominus Lantgravius, et unus de suis dixit Francisco: Francisce! en astat gratiosus dominus meus Lantgravius Hassiae. Cui Francisus: Est hic dominus meus de Hassia? Tunc Lantgravius affatus eum dixit: Francisce! quomodo tibi contigit, es laesus a bombarda? Et Franciscus: per foramen quoddam a bombarda et lignis quibusdam desuper ruentibus lethaliter me sentio vulneratum (c). Mox unus procerum domini Palatini accedens ait: Francisce! en hic adest gratiosus dominus meus Palatinus princeps elector. Quo audito Franciscus ait: Est et ipse hic, ubi stat? inquit. Quo dicto sinistra manu caput discooperiens nitebatur se in lecto erigere, et domino suo Palatino reverentiam exhi-

---

(a) Ap. Honth.: ipsi. (b) Imo fornice. Sic Latomus.
(c) Ap. Honth.: „Et Franciscus per foramen quoddam: a bombarda &c.“; interpunctio vitiosa.

bere. Cui dominus Palatinus: Francisce! operi caput tuum, et maneas in lecto jacere. Franciscus qua potuit virtute subintulit.: Mi gratiose domine! nihil de hoc adverto: aestimaveram autem alium eventum et finem intentum meum habiturum. Plura dicere maluisset, sed prae debilitate proferre non potuit. Accessit et dominus Trevirensis, dicens ad eum: Francisce! qua occasione et quo motivo ita mihi et pauperi populo meo nocere voluisti? Respondens Franciscus ait: De hoc essent multa dicenda; alia vice volumus hac de re loqui: non sine causa factum est.

Ab instanti videntes isti principes, dolorem ejus esse vehementem, et virum illico mortis mucrone plectendum, discesserunt ab eo ad locum, ubi proceres et equites, qui in castro fuerant, detinebantur captivi, adventum principum praestolantes. Tunc principes illuc venientes mandaverunt omnibus, qui ibi erant, egredi, exceptis consiliariis principum. Quo facto tractaverunt principes inter se cum suis consiliariis, quidnam de captivis castri fiendum decernerent. Interim Franciscus, facta confessione, antequam sacerdos cum venerabili sacramento appropinquasset, expiravit. Quod sacerdos mox tam principibus quam ceteris insinuans, desideravit a singulis orationem dominicam pro salute defuncti dici; quod et libenti animo perfecerunt. Exinde ante conspectum principum reductis captivis castri, quorum viginti tres fuerunt: definierunt eos potentiae domini Palatini tradi, et ad ejus castra conservandos deduci. Die autem sequenti fuerunt iidem captivi ad Keyserslutheren deducti, ibique sub certa custodia detenti, donec certius aliquid de eis ordinaretur. Denique, antequam principes de castro Nanstall digrederentur, collocaverunt singuli eorum singulos castri custodes: sicque ipsi egressi ad exercitus suos se recipiebant, tribus diebus ibidem in castris consistentes.

CAPUT CCLXXXV.

De invasione castri Drachenfels.

Post haec singuli horum principum subordinaverunt centum equites sufficienter armatos, et singuli unum vexillum peditum cum con-

gruentibus armis et aliis necessariis: marschalkum cum certo numero nobilium eis praeferentes, ad castrum Drachenfels (a), si intus residentes ultronee resignare noluerint et cedere, obsidendum et violenter expugnandum. Decima die Maji cum praedictus exercitus ad castrum Drachenfels pervenisset, ipse marschalkus cum tubicine (b) accessit castro propius, volens ex parte principum, ut in mandatis habebat, relationem referre ad praefectos et custodes castri, ut expediens (c) et bellici moris erat. Moxque buccina sonante, duos ictus ex bombardis e castro ejecerunt; nullum tamen laeserunt. Marschalkus autem significavit praefecto sive custodi castri, ad eum egredi, colloquii causa habendi. Quo audito, praefectus castri foras egreditur concomitantibus peditibus octo, audire intentionem ejus. Quibus ait marschalkus: Si essetis vos viri militares et bellatores, sciretis utique, non debere bombardis impeti quemlibet marschalkum, vel tubicinem, donec relatu eorum cognovissent principum mittentium eos intentionem: adjiciens, hanc eos temeritatem merito omisisse. Cui praefectus castri, recognoscens id temere praesumtum, supplicavit ignosci, dicens: non ob alicujus laesionem id actitatum fuisse. Tunc ambasiador aperte retulit referenda, in haec verba dicens: Ego tanquam praenuntius et ambasiador trium principum, episcopi scilicet Trevirensis, domini Palatini comitis, et Lantgravii Hassiae, sum ad vos destinatus propter castrum Drachenfels eorum potestati per vos ultronee et animo volenti, cum omnibus suis attinentiis, et his quae in eo sunt, resignandum. Si autem, pro conservatione vitae et substantiae vestrae, volueritis cum principali campiductore loqui; securo conductu perducam vos ad eum; non enim longe abest. His auditis, praefectus castri cum suis militibus secedentes ad breve

(a) „— — Rupes invisa Draconum,
„Praedonum hospitium infestum. — —"
Sic Latomus.

Drachenfels, rupes sive castrum Draconum trans Luteram situm. Conf. Schoepflini Alsat. illust. Germ. pag. 251. sq.

(b) Ap. Honth.: tubicina. (c) Cod. Lind.: ut expediebat.

colloquebantur mutuo, quidnam acturi essent, et quid ambasiadori principum responderent. Reversi igitur ad ambasiadorem, ita prolocuti sunt: En, inquiunt, relicti sumus a dominis nostris, et nullum adest nobis auxilium castri conservandi; unde ambigimus, quid consultius sit nobis aggrediendum: desideramus tamen, colloquium nobis concedi cum principali campiductore. Quo cum pervenissent, resignaverunt castrum cum omnibus suis attinentiis et bonis, quae in eo erant, et se ipsos in manus horum principum; gratiam et benevolentiam eorum efflagitantes. Tunc concessum est eis, ut omnibus bonis, quae eorum erant, cum armis e castro praedicto efferentes, salvo jure bellico servato, illaesi abscederent. Quod et ab instanti factum est.

Mox quidam procerum et peditum subordinati et deputati sunt ad custodiam castri, qui cum ambasiadore ingressi, una nocte inibi pernoctarunt. Die autem sequenti, quae erat undecima mensis Maji, collectis omnibus bonis, quae in ipso castro erant, et exportatis, igne immisso, vorax flamma consumpsit. In praedicto autem castro reperta sunt copiosa arma bellica cum bombardis et requisitis ad usus earum, sicut tantum castrum decebat. Item inventa sunt in eo ducenta maldra farinae et aliqua plaustra vini, quae tradita sunt peditibus trium vexillorum superius nominatorum.

CAPUT CCLXXXVI.

De obsidione castri Hohenburch.

Duodecima die mensis Maji mota sunt castra a Drachenfels, et composuerunt se ad obsidionem castri Hohenburch (a). Prius tamen, antequam obsidio fieret, assumpsit principalis campiductor, sive princeps militiae, aliquos equites de exercitu domini Palatini cum quibusdam nobilibus cum ambasiadore; et summo diluculo, ut moris est

(a) In Latomi poemate legimus:

„Nec minus Homburgum scelerati conscia pacti,
„Alta domus laceris misere spectanda ruinis.“

Castrum Hohenburg in Vasgovia circa Fleckensteinium situm erat.

bellici, ipsum castrum equitando circumierunt. Quo peracto, ambasiador cum tubicine (a) accessit prope castrum: quo cum pervenisset, stabat dominus castri cum quibusdam militaribus in quodam novo vallo. Cumque ambasiador, ut in mandatis principum habebat, relationem suam protulisset, adjiciens dixit capitaneo castri: si vellet cum principe militiae loqui, ipse securo conductu perduceret eum ad ipsum, qui non longe abesset. Respondens capitaneus dixit: se nequaquam egressurum de castro; sed si campiductor personaliter accederet ante (b) castrum, egredi vellet ad eum, et cum eo miscere sermones. Quo comperto, campiductor assumpsit secum duos nobiles, Fredericum videlicet Fleckensteyn, et Eberhardum Schenck, accessitque cum eis ad castrum propius. Tunc egressus est ad eos extra castrum capitaneus ejusdem, Hanss Daniel nomine, cum tribus aut quatuor peditibus; et colloquio inter se habito, cum capitaneus et sui audissent intentionem principum, et quae circa alia castra per eos facta fuerant, vidissentque castra fortia praeparata ad praelium cum apparatu bellico sufficienti: consternati animo resignaverunt castrum Hohenburch cum omnibus suis in manus principum saepe dictorum. Ipsi autem ex permisso campiductoris acceptis omnibus, quae in castro propria habebant, jure bellico servato, egressi sunt singuli de castro, libere quo volebant, Eodem die sublatis omnibus bonis, quae in castro erant, ipsum igni traditum est, et desolatum.

Quo completo, supra nominati tres principes, singuli cum suo exercitu exurgentes, receperunt se ad singula loca: episcopus quidem Trevirensis recepit se in quandam villam, quae Than dicebatur; Lantgravius Hassiae non longe a praedicta villa in campo tentoria fixit; et dominus Palatinus aliquantulum longius, in villa quadam dicta Slettenbach (c) non longe a Hohenburch, mansit. Convenerunt tamen iidem principes aliquoties in unum, tractaturi de his, quae prosequenda mente conceperant: et maxime de castro Neuwenthan, quod erat domini episcopi Spirensis.

(a) Ap. Honth., ut supra: tubicina.
(b) Ibid. deest: ante.
(c) Ibid.: Stettenbach.

CAPUT CCLXXXVII.

De castro Neuwenthan, sive alio nomine Thansteyn.

Post haec ordinaverunt isti principes, ut princeps militiae, alias campiductor, assumptis secum ambasiadore et quibusdam nobilibus de curia domini Palatini, quarta decima die mensis Maji mane ad castrum Neuwenthan alio nomine Thansteyn (a) nuncupatum accederet (b); tunc praemisso ambasiadore cum tubicine (c) referret (d) domino castri principum (e) voluntatem. Egressus est ad eum dominus castri, Henricus Than nomine (f). Cui cum ambasiador retulisset ea, propter quae ab istis principibus ad eum directus fuerat, respondit: Castrum istud, quod est domus mea jure feudi, non erit gratiosissimo domino meo Palatino comiti clausum, cujus me famulum recognosco: cum domino autem lantgravio nihil alicujus disceptationis singulariter agere habeo, licet mihi nocte praeterita literas inimicitiae direxerit: porro si archiepiscopus Trevirensis habet aliquid justae querelae contra me, praesto sum cum eo comparere coram judicio gratiosissimi domini mei Palatini comitis, sed et lantgravii Hassiae; quamvis idem episcopus scripta apertae inimicitiae mihi miserit. Tunc ait ad eum ambasiador: Dilecte domicelle Henrice Than! si placet vobis comparere coram principali campiductore nostro, et loqui cum eo; ego conducam vos secure ad eum. Quod cum dictus domicellus Henricus admisisset, venit cum ambasiadore ad campiducto-

---

(a) Latomus in suo poemate scribit:
„Tuque duplex uno dictum cognomine Danum,
„Et tandem ultrices dextras expertus.“ —

(b) Edit. Honth. non habet: accederet. (c) Ibid.: tubicina.

(d) Ibid.: referre. (e) Ibid.: Principe; sed omnino false.

(f) In Schoepflini Alsatia illust. Germanica &c. pag. 174. legimus: „Tria sunt hujus nominis (Dhan) castra, quorum unum a vetustate, a novitate alterum, tertium „a comite nomen traxit: Alt Dhan, Neu Dhan, Graeffen Dhan. Haud longe „a fontibus Luterae in Vogeso sita sunt. — — Novum, quod et Tanstein vocatur, „Henricus a Than lege feudali tenuit, quum anno 1523. expugnaretur.“ —

rem, habuitque cum eo colloquium: quo habito, rediit idem domicellus ad castrum.

Ipse autem campiductor confestim repedavit ad archiepiscopum Trevirensem et ad lantgravium, in suis castris manentes, renuncians responsa dicti Henrici Than, domini praefati castri Neuwenthan. Ambasiador autem supradictus properavit ad dominum Palatinum, praesentans ei literas continentes dicta et responsa supra nominati domicelli Henrici coram campiductore et ipso ambasiadore prolata. Eodem die convenientibus istis principibus, et inter se tractantibus, conclusum est, castrum Neuwensteyn (a) ipsis resignandum, nec comburendum vel desolandum (b), ea conditione, quod ipsi principes castrum illud conservare et custodire per sex instantes hebdomadas deberent, et deinde in manus episcopi Spirensis, tanquam suum proprium castrum, devolvendum: ita tamen, quod ipse episcopus et civitas Spirensis deberent eosdem principes assecurare certis literarum et sigillorum suorum testimoniis, nunquam ex eodem castro perpetuis temporibus contra eos omnes vel eorum aliquos, eorum posteros, et populum, aliquo modo fieri debere, juxta scripta desuper confecta.

CAPUT CCLXXXVIII.

De castri Lutzelburch concrematione et desolatione.

Demum decima octava die mensis Maji, tribus istis principibus suis in territoriis adhuc manentibus, definitum est concordi eorundem decreto, principalem eorum campiductorem cum supra memoratis equitibus et peditibus, qui directi fuerant ad obsidendum castra Drachenfels et Hohenburch, properare debere ad obsidendum castrum Lutzelburch trans Elsas-Zaberen situm (c). Devenit igitur exercitus

(a) i. e. Neuwenthan.

(b) Ap. Honth.: vel resignandum; omnino male.

(c) Lucelburg castrum, Dagisburgum inter et Pfalzburgum, in Lotharingiae Alsatiaeque colliminio situm. Francisco de Sickingen ejusque sociis vicinos invadentibus, cum id hospitium praebuisset, captum et igne vastatum est. Conf. Schoepflinum op. cit. pag. 199. —

iste prima profectionis suae die in quandam villam, dictam Dorrenbach, sitam in Alsatia; die sequenti proficiscens ultra appropinquavit cuidam loco, Paffenhoffen (a) dicto; tertia die accessit prope castrum Lutzelburch obsidendum. Et primo quidem, laudabili bellico more, ambasiador cum bucinatore accedens, retulit, ut in commissis habuit, referenda. Deinde principalis campiductor domini Trevirensis, generosus videlicet comes de Nassauwe (b), appropinquans (c) colloquium habuit cum his, qui erant in castro, egressis ante portam castri: quorum principalis dicebatur Quintinus, officiatus ducis Lotharingiae, habens secum tres aut quatuor militares, fatentes libere, Franciscum Sickingen ibi habuisse crebram residentiam cum suis, securam mansionem, et liberum ingressum et egressum. Post breve colloquium hi, qui castri custodiae praefuerant, cedentes castrum resignaverunt in manus principum supra nominatorum. Omnibus autem, qui in castro erant, concessum est, omnia, quae in castro propria habebant, recipere et libere abire. Quibus egressis statim eodem die vorax flamma ipsum castrum succensum consumpsit.

CAPUT CCLXXXIX.

De castri Ebernberch obsidione, deditione et destructione.

His ita peractis, tres isti principes singuli cum suo exercitu exurgentes, deliberatione sufficienti et colloquio praehabitis, direxerunt acies contra faciem castri Ebernberch (d). Et propter congruentiam locorum, et proximitatem advectus fuerat Trevericus bellicus apparatus; et sic singuli principes juxta Cruytzennach (e) sua castra posuerunt: Trevirensis quidem in quadam villa juxta Cruytzennach, Palatinus in ipsa civitate, Lantgravius autem in campo tentoria sua fixit, ibique se recepit. Vicesima quinta deinde die mensis Maji hi principes congregati convenerunt in unum in civitate Cruytzennach exer-

(a) Pfaffenhofen. (b) Johannes. (c) Ap. Honth.: approprians.
(d) Castellum firmissimum non procul ab oppido Crucinaco, juxta Navam, in arduo clivo positum.
(e) Apud Honth.: Creytzennach.

citibus suis, qui fuerant ante Lutzelburch, una suis in locis adunatis. Tunc praefati principes unanimi tractatu definierunt, castra movere ad castrum Francisci Sickingen, Ebernberch vocatum: praemisso tamen, juxta bellicum morem, ambasiadore cum buccinatore, ponentes verbum in ore praenuncii juxta tenorem sequentem. Ex quo Franciscus Sickingen istis tribus principibus, archiepiscopo videlicet Trevirensi, domino Palatino comiti, et lantgravio Hassiae animose et praesumptuose, plus quam juste, bella et damna intulit; ideo et ipsi, occasione justa habita et urgenti, vim vi repellere volentes, eadem damna illata manu recuperare intenderent violenta; et ipsum castrum Ebernberch, ex quo damna suis evenissent, obsidione arcta circumvallare, nec inde discedere, nisi prius ipsum comprehensum igni tradiderint concremandum: nisi voluntarie se ipsos et castrum potestati principum resignaverint praefatorum; et de hoc certi essent, nec ambigerent, ipsos principes ita facturos, justo Dei judicio annuente, ut in manu ambasiadoris eis fuerit denunciatum: nihilominus concedendum eis fore, salvo conductu loqui cum principali campiductore et consiliariis principum praefatorum.

Cum igitur praenominatus ambasiador cum tubicine ante castrum Ebernberch venisset, ad sonitum buccinae egressus est ad eos extra castrum principalis praefectus sive custos ejusdem Schenck Ernst de Dantenberg cum quibusdam satellitibus. Quibus cum ambasiador juxta sibi mandata voluntatem principum denunciasset, et praefectus castri asperioribus verbis verba interrumperet ambasiadoris: nihil ex hoc motus ambasiador, finem sibi commissi constanter est persecutus. Tandem praefectus castri iracundis verbis sic ait ambasiadori: Non hic invenientur tam mali homines, sicut alibi inventi sunt. Ego sum hic habens mecum unum de Sondorff et quosdam belligeros viros: istud castrum volumus illi Sweicker (a) et juniori Francisco Conrado de Sickingen conservare et defendere, quamdiu unum articulum movere possumus. His dictis adjecit idem praefectus et ait: Dominus meus

---

(a) Schweighard, Schwicker. Ap. Honth.: Schweicher.

Palatinus est probus et laudabilis princeps; talem cum reputamus, nec aliud de eo famur: dicas autem episcopo Trevirensi, ut proficiscatur in terram suam, et benedicat lagana sua (a): lantgravio autem Hassiae denuncia, ipsum esse juvenem petulantem et superbum dominum; quod si delectat eum, veniat ad nos, et docebimus eum praeliari. Post haec ait tubicini (b), ut quantocius abscederet, nec amplius illic comparere praesumeret: quod si apparuerit, sciret se pro certo vel bombardis dejiciendum, vel gladiis transfigendum. Et adjunxit: ne amplius aliquis praesumeret coram eis proponere de castro principibus resignando; quia nollent de hoc aliquam mentionem audire nec pacem servare.

Quod cum ambasiador et tubicen (c) principibus retulissent, conturbati sunt et commoti sunt; dolor (d) apprehendit eos, et statim factum est verbum in tabernaculis eorum, ut defenderent se de omnibus his. Ex tunc vicesima nona die mensis Maji moverunt castra, et venerunt singuli cum suo bellico apparatu et exercitu, singularia loca eligentes. Trevirensis exercitus se locavit inter castrum Ebernberch et fluvium Nahe juxta villam Norheym dictam; post hunc juxta eundem fluvium dominus lantgravius castra sua constituit; juxta quem suum exercitum Palatinus comes posuit pariter in unam convallem. Positae autem erant super montes serpentinae necessitates, dictae vulgariter Noitslangen (e), quibus castrum singulis diebus quatiebatur. Prima autem die Junii, sonantibus tubis in omnibus castris, continuo semiquinque diebus impetierunt sine interpolatione ipsum castrum bombardis, serpentinis et carthaunis tam valide, ut intus constitutis, confractis animo et desperatione desolatis, sublata esset omnis spes castri retinendi. Hinc anxii nimis et animis consternati, quia effugere non poterant, comparere coram principibus istis formidabant. Unde necessitate constricti id duntaxat mente et consiliis, quomodo saltem vel vitam conservare possent, de castri conservatione penitus

(a) Scriptor nostri Msti L i n d. addit ad marginem: S a r c a s m u m h u n c n o t a.
(b) Ap. Honth.: t u b i c i n a e.
(c) Ibid.: t u b i c i n a.
(d) Ibid.: t r e m o r.
(e) Nothschlangen.

penitus desperantes. Quinta itaque die mensis Junii proceres castri adolescentulum quendam emiserunt, literas eidem albo baculo, quem manu ferebat, infixas principibus deferendas tradentes: quibus significabant, se colloquium desiderare et salvum conductum. Et quamvis principes perlectis literis minus inclinati fuerint in primis audientiam praebere; principali tamen benignitate et clementia moti condolentes, ut decet principes, angustiatis annuerunt fieri colloquium.

Ad hujusmodi igitur colloquium aliqui nobiles fuerunt e castro missi, conductu buccinatoris domini Palatini; et pervenerunt ad campiductores principum supra nominatorum. Quibus in quodam loco sub castro constitutis et colloquentibus, consiliarii principum exegerunt ab eis resignationem castri, et omnium, quae in eo erant, in manus horum principum, sine aliqua exceptione. Ad quam propositionem cum castrenses se difficiles redderent, nec responsum affirmativum darent, remissi sunt ad castrum, conducente eos eodem buccinatore, qui eos inde adduxerat. Cessatum tamen est extunc ab extorsione bombardarum et aliorum tormentorum. Consilio tandem inter principes habito, commissum est ambasiadori, ut assumpto buccinatore personaliter ante castrum se praesentaret, et literas, quas tubicen albo baculo appensas gestaturus esset, castrensibus traderet, et certum responsum ab eis exquireret. Si autem eodem die, quia sero erat, et solis occasu nox imminebat, id facere non possent; saltem diluculo diei sequentis certum responsum remitterent: alioquin principum potentiam, quos subsannaverant, et injuriosis verbis exasperaverant, experirentur. Literarum autem sensus erat, ut ipsi castrenses castrum Ebernberch cum omnibus suis attinentiis et bonis, quae in ipso erant, principibus his tribus ex integro resignarent; ipsis tamen, quorundam nobilium de vasallis principum interventu, gratiose quamvis non mererentur, concederetur, ut his, quae eorum in castro propria erant, nec quibuslibet aliis acceptis bonis, libere et sine vexillo abscederent: et cum hoc inviolabiliter observandum jurarent, se nunquam contra istos principes et eorum successores quoquo modo facturos.

Die igitur sequenti ambasiador summo mane rediit ante castrum, requirens certum responsum principibus referendum. Tunc dixit ei supra nominatus Schenck Ernst, qui tunc temporis erat praefectus

casrti ejusdem, mansuetis verbis: si principali campiductori eorum sive marschalko placeret, desideraret ipse cum aliquibus de castro (a) ad eum egredi, et breve habere colloquium. Quod responsum cum ambasiador dominis suis retulisset, remissus est ad castrum, dicturus castrensibus: si essent intentionis prosequi voluntatem principum secundum tenorem literarum eis missarum, concederetur eis liber egressus ad eos; si autem non hoc, sed aliud praetenderent (b), debere eos intus remanere, et sibi ipsis providere.

Quo audito, castrenses, sibi ipsis consulentes, emiserunt e castro aliquos ad campiductorem et consiliarios principum, qui secundum literas missas castrum cum omnibus, quae sui juris intus et extra erant, resignaverunt principibus, humiliter supplicantes, ut, vita eis concessa, permitteretur cum suis bonis, quae in castro propria haberent, egredi, castro tradito principum potestati. Et hoc eis concessum est. Tunc egressus de castro principalis ejusdem praefectus Schenck Ernst venit ad campiductorem et consiliarios principum, humiliter supplicans dicensque: Domini mei dilecti! quia laudabiles istos principes verbis et factis, seu quibuscunque aliis modis, offendi; peto vestro interventu apud eos mihi ignosci. Dixitque, castrum ipsum adeo bombardis et tormentis diruptum et dejectum, ut non crederet, aliquod castrum unquam ita fuisse turbatum; seque excusare nitens, culpam imposuit militibus secum in castro constitutis, dicens illos ei noluisse acquiescere in primis ad resignandum castrum: et dixit, non nisi sexaginta duos belligeros viros secum in castro fuisse; quod tamen postea compertum fuit aliter esse.

His ita peractis, et egressis de castro, qui intus fuerant cum suis, deputaverunt singuli principes decem proceres et unum secretarium, qui ingressi castrum omnia inventa intus efferentes, foeminis, famulabus et familiae sua omnia dimiserunt. Post haec recedentibus episcopo Trevirensi et domino lantgravio, princeps Palatinus castrum

---

(a) Apud Honth.: cum aliquibus eorum de castro &c.
(b) Ibid.: praetenderint.

Ebernberch concremari mandavit; quod et factum est. Quo justo Dei judicio consummato, reversus est et ipse cum suis in sua (a).

CAPUT CCXC.

De morte et sepultura Richardi de Gryffenclae, episcopi Trevirensis.

Tandem praefatus dominus Richardus Gryffenclae, post crudelissimam et inauditam exactionem in Religiosos factam, incidit in occultam infirmitatem, suspicans haustu aquae se intoxicatum (b). Qua infirmitate aliquamdiu molestatus, decidit in lectum, et cognovit quia vivere non posset; sicque in castro Witlich sito, infirmitate invalescente, anno Dominicae incarnationis millesimo quingentesimo tricesimo (c), decima tertia die mensis Martii expiravit: cujus mors usque ad quintum decimum diem ejusdem mensis occultata, exinde est omnibus manifestata. Sexto autem decimo die circa horam vespertinam funus defuncti ab arce delatum cum decentibus ceremoniis ad ecclesiam parochialem est deductum; ubi vigiliae mortuorum eodem die, ac mense sequenti missa defunctorum cum commendatione pro eo (d)

(a) Latomus de hoc castro cecinit:

„Fortis Eberbergi clivus, praecinctaque vallo
„Moenia, stipatusque triplex latera ardua murus
„Immensis operum obicibus, quaeque ipsa potentes
„Obstupuere duces vastae molimina sedis.
„Vos, o vos justi victricia vindicis arma;
„Sic merita horrendo excidio, tristique ruina
„Hausere infandos ausus, bellique nocentis
„Ulta nefas.“ — —

(b) In arce Thaborina: scribit Brow. op. cit. pag. 358. — Vid. notas nostras ad hoc caput ultimum.

Ad historiam hujus temporis folia Trev. mss., N°. 1346. sign. (quae varias annotationes ad seriem episcoporum Trevirensium continent, et saeculo decimo sexto desinunt), sequentia addunt: „Anno 1529. in agro Trevirensi multi novo morbi genere „(sudorem Anglicum vocant) intra paucissimas horas absumpti sunt. Ad eum „morbum depellendum, et Deum Opt. Max. placandum, fuit a Richardo jejunium cum „supplicatione institutum, aliaque pia Deoque grata remedia excogitata.“

(c) i. e. more Trevir. — In Honth. edit. legitur: tricesimo primo; i. e. stylo communi.—

(d) Ibid.: pro ea; vitiose.

sunt celebratae. Quibus expletis, corpus ipsum elatum, currui impositum, ac comitatu equestri consiliariorum familiarumque ad Palatiolum est deductum, et a canonicis et vicariis collegii beatae Mariae Virginis processionaliter reverenter est susceptum, et in ecclesiam cum luminaribus et pulsu campanarum est delatum; et tunc ibidem solemnes fuere vigiliae, psalterium quoque Davidicum (a) coram funere dicta. Die autem subsequente, mane hora quarta, missa defunctorum cum commendatione per decanum fuit ibidem cantata.

His peractis funus effertur, et navi impositum Trevirim deducitur. Cum autem perventum esset ad portam sancti Simeonis, congregatus est illic totius civitatis clerus, et monasteriorum omnium fratres et collegiorum; sed et (b) episcopus suffraganeus, pontificalibus indutus, cum ministris, cum crucibus et luminaribus obvii fuerunt. Factaque subtus portam per episcopum oratione et commendatione, corpus defuncti a curru depositum honorifice susceperunt, atque cum tali maxima processione, cum gemitu et fletu populi, majori est ecclesiae invectum.

Primum namque equitatus familiarum ingressus; deinde Religiosi ipsi, scilicet Carmelitae, Augustinenses, Minores, Praedicatores; deinde fratres monasteriorum sancti Martini, sanctae Mariae ad Martyres, sancti Mathiae, sancti Maximini; subse quenter collegia sancti Simeonis et sancti Paulini; postremo majoris ecclesiae sacerdotes et domini; post quos abbates ipsi sancti Martini, sanctae Mariae, sancti Mathiae, Mediolacensis, Hymmelrode (c) et sancti Maximini subsequebantur. Post hos omnes episcopus suffraganeus (d) cum ministris antecedebat funus. Funus autem ipsum portabatur a sex nobilibus, a dextris et sinistris pluribus decoratum luminaribus; immediate subsequebantur quatuor capellani, cappis nigris, vestibus funebribus circumvoluti; post hos generosi comites, nobiles, defuncti principis consiliarii et familia cum tota plebe incedebant. Corpusque ipsum ad majorem ecclesiam est, totius civitatis campanis sonantibus, portatum: quo cum pervenissent, funus in medio ecclesiae loco ad hoc praeparato collocarunt. Inceptaeque sunt diversae vigiliae, unumquodque monasterium

(a) Ibid. Davidium.

(b) sedet; omnino vitiose.

(c) Ibid.: Hemmerodae.

(d) Nicolaus Schienen, Episcopus Azotensis.

seu collegium per se legendo, in diversis locis manendo: domini autem majoris ecclesiae in medio circa funus substituerunt. Quo facto, funus ipsum ad chorum illico est delatum.

Mox omnibus ecclesiasticis viris et religiosis ordine suo chorum ingressis, incepta est missa pro defunctis, atque per episcopum suffraganeum celebrata; condecenter circumstantibus hinc inde funus duodecim familiaribus, quolibet eorum binos cereos tenente: magnis quoque cereis octo candelabris impositis, et capellanis quatuor a tergo consistentibus. Dumque offertorium caneretur, abbates praefati, capellani, comites, familiares, nec non ceteri viri ecclesiastici ordine debito offerebant. Missa finita, singuli ecclesiastici et religiosi ordine, quo ingressi fuerant chorum, sunt egressi; subsequenteque funere ad locum sepulturae pervenerunt. Ibi habita per episcopum prolixa oratione cum commendatione, tandem corpus foveae immittentes tradiderunt sepulturae, fractis sigillis (a) archiepiscopi Richardi defuncti ad sepulchrum, pulsantibus interim omnibus campanis (b). Post haec fratres sancti Maximini flexis genibus in medio ecclesiae septem psalmos poenitentiales devote persolverunt. Postremo, quia in quadragesima erat, cantatis in choro vesperis, quilibet remeavit ad propria (c).

(a) Vid. notam ad calcem voluminis.

(b) Sepulcrum Richardi conspicitur ante aram S. Cruci, Virginique Luciae dicatam, marmoreo lapide tectum cum hac scriptura:

R i c h a r d u s
Ex familia Gryffenclae a Volrats Archiepiscopus Treuiren.
vita functus XIII. Martii subtus quiescit. M. D. XXXI.

Ejus exequias pereleganti declamatione Barth. Latomus celebravit, cujus partem aliquam ap. Brow. et Mas. (II. pag. 358. sq.), integram vero Coloniae 1531. in 8° impressam, legimus. Idem Latomus in honorem Principis sui monumento arae supradictae vicino, in ecclesia episcopali constituto, versus sequentes inscripsit:

„Aspice Richardi monumentum Praesulis hospes,
„Hic gelida cujus membra quiete cubant.
„Quem merito Trevir sublatum flevit, et alto
„Vindicis ingemuit pectore fata sui.
„Ille sed insanos motus, terrasque relinquens,
„Induit aethereas, quas tenet, auctus opes.
„Lustra novem, totidemque biennia duxit: at illi
„Tredecimo clausit Martius orbe diem.“

(c) Hic desinit cod. Eberh. Clus. antiquior, quem nos prae aliis secuti sumus.

ANIMADVERSIONES CRITICÆ

ET

ADDITAMENTA

AD SECUNDUM GESTORUM VOLUMEN.

AD CAPUT CXXXVIII.

— Alii autem fratres communiter cum pueris intrantes chorum.

Per verbum pueris hic intelliguntur juvenes secundum morem medii aevi in Benedictinorum monasteria recepti, literarum atque morum praeceptis instituendi, et ad vitam monasticam destinati, si quando ipsis, quum pervenissent ad justam aetatem, animus et voluntas esset, suscipiendi vitae monasticae vota. Ejusmodi pueros in monasteriis receptos fuisse, plura extant monumenta. Sic in Necrologio S. Maximini apud Honthemium Prodr. Histor. Trev. dipl. Tom. II. p. 966) legimus: „Engelradus, puer nostrae congregationis;" p. 975: „obiit Folcardus, „puer nostrae congregationis;" p. 982: „Lambertus, puer nostrae congregationis" etc. Qualis ab hisce pueris disciplinae monasticae rigor, quanquam tenerae adhuc aetatis, observatus sit, exemplum hoc loco proponere liceat ex celeberrimo monasterio sancti Galli in Alemannia, testante Ekkehardo, hujus monasterii coenobita (*), apud Goldast (Rer. Alamannicar. scriptores, Tom. I. P. I. cap 1. p. 41. seq.) his verbis: „Longum est dicere, quibus jocundi„tatibus dies exegerit et noctes (Conradus Rex), maxime in processione infantum, quibus „poma in medio ecclesiae pavimento antesterni jubens, cum nec unum parvissimorum moveri „nec ad ea attendere vidisset, miratus est disciplinam." (**).

AD CAPUT CLXXXIX.

— Hoc tempore apparuerunt vapulatores (flagellantes) etc. etc.

Hi delirantes seu aegrotantes (Geisilbroder, Geisilfahrer in Msstis Germanicis dicti) circa annum 1260 nascendi principia habuisse, et a Perusia, civitate Tusciae, originem traxisse, referunt varii hujus temporis scriptores. Brevi temporis intervallo hi flagellantes etiam in Germania convaluerunt, et subinde adparuerunt (V. Cap. 258.); sic iterum an. 1349.

De hac miserabili secta fusius disserunt: Chronica Jacobi de Koenigshofen — Annales Henrici monachi in Rebdorff — Chronicon Limburgense, et Aegidius Muisius Tornacensis Abbas S. Martini.

Conf. porro: Die christlichen Geislergesellschaften. Von Förstemann. Halle, 1828. —

(*) In libro de casibus monasterii S. Galli in Alemannia.

(**) Notandum est, in Benedictinorum coenobiis duplices fuisse scholas: interiores seu claustrales pro juvenibus seu pueris, de quibus supra sermo est — et exteriores pro secularibus. Erant vero disciplinae loci severae, non modo in claustro, sed et in scholis externis, ut ex Ekkehardo discimus.

Arduum docendi munus magni aestimabatur; antiqua enim erat consuetudo etiam in optime disciplinatis monasterriis, ut harum scholarum magistri (Scholastici) absolverentur a chori oneribus.

Vid. notam subjectam in Vit. Notkeri Balbuli ap. Bolland. 6. April. cap. 4.

Mohnike über die Geislergesellschaften und andere Verbrüderungen, und deren Umgänge im 13. und 14. Jahrhundert, zusammengestellt mit gleichzeitigen Erscheinungen, namentlich mit den Seuchen und Pestilenzen jener Zeit. (Zeitschrift für histor. Theologie, herausg. von Illgen. Leipz. 1833. Bd. III. St. 1. — et Augustini Stumpf (Carthusiani Erfordiensis) Historia Flagellantium, praecipue in Thuringia, una cum authenticis documentis, ex ejusdem authographo nunc primum expressa curante H. A. Erhard. (Neue Mittheilungen aus dem Gebiete historisch-antiquarischer Forschungen, herausg. von dem Thüringischen Sächsischen Vereine für Erforschung des vaterl. Alterthums. B. II. H. 1., Halle, 1835. —

— Miramur, in Trevirorum Gestis non commemorari, Richardum, Romanorum Regem, Treviris fuisse, et anno 1262. (23. Januarii) diploma dedisse. Hanc chartam primum edidit Gebauer (vita Richardi Reg. Rom. p. 391.) et ex hoc opere Honthemius eam reimprimi fecit (Hist. Trev. dipl. I. 745.) —

Jam vero monuit Mabillonius (Annal. Bened. L. XV. n. 69. et alibi) chartas non raro per absentes fuisse subscriptas.

AD CAPUT CXC.

— Sequenti anno opposuerunt se oppidani Confluentini.

Conf. ad hunc locum instrumentum scabinorum et universitatis Confluentinae de anno 1283 1. Octobr. (Honth. Hist. Trev. dipl. I. p. 819.) Huic adde concordiam inter Henricum Archiep. et cives Confluentinos (ibid. p. 814.) 24. Maji 1281., et notam Güntheri in Cod. dipl. Rheno-Mos. II. p. 445. —

Occasione publicae cleri discordiae populus Trevirensis (ut jam in nota marginali ad textum pag. 8. observavimus) ad immunitatem, qua posset via, connitur, et popularis status fundamenta jacere hoc tempore studet. Sic Treviri, Confluentini, sic et aliarum urbium cives.

AD CAPUT CXCVII.

— Magistro Petro Physico Rudolphi.

Petrus Aichspalt medicus sui temporis egregius erat, et postmodum Archiepiscopus Moguntinensis. Browerus aliique illum dicunt Treviris natum, alii in villa Aspelt, territorii Luxemburgensis. Gudenus in codice diplomat. (Tom. II. pag. 320.) inter Praepositos ecclesiae Aschaffenburgensis nominat quendam Johannem de Treveri; juncta hac observatione: „Joannes de Treveri, Electoris Petri nepos, cujus cognomen fuit Aichspalt: Treveri: solum natale.“ Sequitur Petri diploma: „Petrus Dei gratia S. Moguntinae sedis Archiepiscopus — „Devotis suis dilectis Decano et capitulo salutem etc. In hoc diplomate, Petrus nominat Johannem supradictum, „Johannem de Treveri, canonicum Mag., nunc vestrum Praepositum.“ Datum Aschaffenburg IIII idus Decembris, Anno MCCCXVII. Chronicon quoque Alberti Argentinensis scribit: „Petrus de Treviri Archiepiscopus Mogunt.“ Chronicon Aulae regiae habet: „Petrus, natione Trevirensis, Mogunt. Archiep.“ Joannes Scheckmann in sua editione latina et amplificata Enenii (Epitome, alias medulla Gestor. Trev., 1517. fol. XXXV.) hunc medicum et Archiepiscopum nominat „Petrum de Caliga (?) dictum, „ex Treveri oriundum.“ In Joannis edit. Serarii Rerum Moguntiac. Lib. V. (vol. I. p. 635.) legimus: „Petrus cognomento Aichspalter Treveris honesto loco, parentibus licet „haud opulentis, ortus.“ —

Conf. porro: Francisci Werneri opus s. t. Der Mainzer Dom und seine Denkmäler, Mainz, 1826. I. p. 299. — In epitaphio dicti Archiepiscopi legitur:

De Treviri natus Praesul fuit hic trabeatus.

Vid. etiam quae de hoc viro disputat Stramberg (op. cit. pag. 428. sqq.)

AD CAPUT CC.

— Ut esset homo et fidelis ecclesiae Trevirensis.

Homo i. e. vasallus. Ita medio aevo dicti nobili genere clientes.

Duplex potissimum fuit Archiepiscoporum Trevirensium in constitutione feudorum consilium: 1°) ne illis temporibus turbulentis et bellicosis Nobiles sibi haberent adversarios; 2°) sed potius ut ipsis praeberent auxilium contra archiepiscopatus hostes, et pacis publicae infractores. In Gestis Trevir. de Archiepiscopo Joanne Badense legitur: „Comites de Arburg, qui „cum prioribus ecclesiae Trevirensis Archiepiscopis ad centum annos usque in praesens tem„pus solebant esse hostes acerrimi, in vasallos ecclesiae Trevirensis comparavit.“ In diplomate antiquiore (saeculi XI. exeuntis) Archiepiscopus Egilbertus ait: „Comiti Wilhelmo pro „fidelitate, pro devoto obsequio, pro certo et indubitato contra omnes, praeter regiam po„testatem, ferendo auxilio, quod mihi et beato Petro promissit et juravit, sexcentos mansus „in beneficium collaudavi.“ Quaedam tamen homagia quandoque sub hac conditione praestita sunt, ut Nobiles sibi conservarent libertatem; e. g. in quodam diplomate, 8. Octobris anni 1269 apud Honthemium (Histor. Trevir. diplom. Tom. I. pag. 789.) de Gerlaco ab Isenburg ita legitur: „Si vero mihi non placuerit esse hominem dictae ecclesiae s. Simeonis, assignabo „in bonis meis dicto capitulo decem marcarum reditus etc.“

— Advocato de Hunolstein.

Sermo hoc loco est de advocatia simplici, de qua Honthemius in Prodromo H. Tr. dipl. Tom. I. pag. 281, ita disserit: „Cavendum autem, ne eminentior haec advocatia, eidemque „annexa sublimiora regia confundantur cum advocatia simplici, ex fundatione, dotatione aliove „simili titulo promanente; quippe quae per se nullam proprie dictae jurisdictionis speciem, „minus superioritatem tribuit etc. Caeterum cum hac generali advocatiae specie non confun„denda alia, quae in certa tantum praedia, villas, vicos concessa erat.“ In Chronico Limburgensi (apud Honthemium Prodr. H. Tr. dipl. Tom. II. pag. 1067. a.) legimus: „Advocati „seindt dem Stifft oder gesetzt, oder vom Stifft zu notturftiger Defension angenommen wor„den, genant Voigt oder Probst-Jungkern.“ — De advocatia eminentiori disserit Alex. Wilthemius (Annal. mss. Coenob. D. Maximini L. III.) in hunc modum: „Advocatus coeno„bio (vel ecclesiae episc.) Protector aderat, capitalium quoque causarum judex, „vir clara plerumque origine et fere comes, ut ad patrocinandum tanti plus esset in eo „auctoritatis atque potestatis, quo plus praesidii in generis et opum praecellentia vulgo re„ponimus. Amplissimi magistratus originem inde ab anno post Christum duo de quadringen„tesimo homines eruditos solere repetere, jam supra monebamus (*). — Munus (advocatiae) „Rex aut Imperator ipse demandabat. — —

Conf. porro Tolnerum (Hist. Palat. p. 31.).

(*) Anno post Christum 398. Carthagine in Synodo Episcoporum Africae, cui et Romani Pontificis legati intererant, decretum est, ut ab Imperatoribus peterentur defensores ecclesiarum, qui pauperes a divitum injuriis vindicarent.

— Johanni Domicello de Mailberch.

Universim optimatum filii juniores Domicelli vocabantur, ac apanagium illis assignaatum dicebatur Domicellaria. — Audiamus Chronicon Limburgense (apud Honthemium l. c. Tom. II. pag. 1057. b.) his verbis: „Sunst domicellorum et domicellarum noch eine an„dere Gattung Edler und wohlgeborner Leudt, welche ohnmundig, noch nit wehrhafft; wie „dann auch zum Exempel in hogen Domstiffteren eine Gattung sulcher domicellorum gefunden „werden, so Canonici in herbis auch genent werden (*), davon bass unden; oder zwar vom „Hern und gravelichen Stamm Edell, und wohlgebohren, aber non ex primogenito, und „desshalben ohne gross Landt und Leudt, in schlegtem Hernstandt, midt einem Burgkhauss „und Antheil etzlicher Rent und Gulde, sich musten betragen, und denen primogenitis der „Herrschafft entweichen.“ — Ibid. pag. 1106. b. de his domicellis ultra legimus: „Item bey „den alten waren domicelli, Herlein so noch nit wehrhafft, oder keine Graveschafft hatten, „sonder oder dieselbige noch erwarten, oder ohnbefugt darzu; per lateralem lineam descen„dentes, sich mit einem geringen benigen lassen musten.“ Duplex erga hujus denominationis sensus est.

AD CAPUT CCXVI.

In nota marginali postrema ad hoc caput sermo est de conventione urbis Trevirensis cum Comite Luxemburgensi inita, qua Comes Henricus Treviris civitate donatus est.

Similes conventiones cum aliis sancitae sunt. Anno 1305. Joannes, Spanheimii Comes, civitate Treverica donatus est, ea lege, ut Treviris se fidelem civem juratus profiteretur, illorum etiam conjuges et liberos atque fortunas in fidem reciperet.

(*) Domicelli vel Domicellares antiquis temporibus, durante adhuc vita communi in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, dicti sunt Juniores, sicuti Capitularibus Fratrum nomen inditum erat. Dum autem honorifica Dominorum appellatio tributa est Canonicis majoribus et senioribus; sic junioribus datum est Domicellorum nomen. In statutis ecclesiae Lubecensis dicuntur Domicellares nobiles pueri.

Quod durante adhuc vita communi Clericorum, jam fuerit differentia Capitulares inter ac Domicellares, innumera illorum temporum monumenta demonstrant. Capitulares in ecclesiis cathedralibus senatum Episcopi, et in minoribus seu collegiatis senatum Decani vel Praepositi (†) constituebant. Hi voto et suffragio in tali senatu gaudebant, occupabant praeterea sedes in choro superiores honoratioresque, promoveri poterant ad dignitates, comparebant nomine capituli, tanquam deputati, in conciliis provincialibus, variisque aliis praediti erant emolumentis et juribus; mensa denique utebantur in eodem cum Episcopo vel respective Decano refectorio: quae omnia secus se habebant respectu Juniorum seu Domicellorum; nulla enim gaudebant illi sede in choro, etiam infra Vicariorum, seu tum temporis dictorum Capellanorum, ordinem positi, nonnisi inter Chorales ad commune pulpitum stare poterant; mensa autem sub directione Scholastici utebantur privata, a Capitularium consortio sejuncti. Debebant etiam ante omnia subire annum claustralem, probationis seu disciplinae.

Conf. Chrodegangi Regulam c. 2. 3. 19. — Concil. Turonens. III. can. 12. — Gudeni Cod. dipl. I. p. 690. — Adde Fleury Histor. eccles. L. 43. n. 37. L. 66. n. 23. — Pomeji Sarnelli Tractatum s. t. Clericus secularis in suo splendore, Romae 1688. — Dürr de Capitulis clausis. —

(†) Decani sive Praelati, qui morum disciplinae. — Praepositi qui oeconomiae et rei familiaris curam gerebant. — His temporibus Canonicorum magistratus erant primo loco Decanus, et post eum Praepositus. (Broweri Metropolis Ecclesiae Trev. [ms.] Vid. quae de hoc codice dicimus ad cap. 250.

Saeculum XV. aliud nobis exemplum memorabile proponit — in charta scilicet Jodoci, Marchionis Moraviae, et pro tempore Marchionis Brandenburgensis et Ducis Luxemburgensis. Hanc chartam, hucusque incognitam, germanice scriptam, hac occasione ex authentica primum notam facimus. Sunt autem haec diplomatis verba:

„Wir Jost von gotes gnaden Marggraff zu Brandemburg, vnd zu merhern des heiligen „Romischen Reichs Ertzcammer vnd Hertzog zu Lützemburg, Bekennen vnd tun kunt offenlichen „mit disem briue allen den, die in sehen oder horen lesen, das Wir Burger der Stete „zu Trier worden sein, vnd sulche heimlichkeit vnd verbunt az zwischen dem lande zu „Lütyemburg vnd allen vndersessen mit der obengenan Stete von Trier bisher gehalten ist, „vnd in alle der werteste vnser Altfordern, den got gnade, — vnser Keiser Heinrich, vnser „Kunig Johan von Behem, beide Grauen zu Lützemburg, vnd vnser liber Voetter selige (*) „Wentzlaw Hertzoge zu Brabant vnd zu Lutzemburg, Burger daselbes waren, vnd wie „sie die Burgerschafft vnd Heimlichkeit gelobt vnd vorbriefft hant, vnd besunder Hertzog Wentz- „law vorgenan by seinen tzeiten: Also globen wir sy vor vns vnser Amptlute vnd alle vnser „vndertanen des Landes von Lützemburg vorgenan, vnd confirmieren, das in allen guten gangen „trewen stete zu halden, in alle der wögen die briue, die vff beide syte davon geben sint, „innehaltent. Vnd her vmb: So hat die vorgen Stete von Trier vns als lange wir leben und „ein hre des Landes von Lützemburg sin, sulche drey hundert phunt Triesche Jargulden, es „sy vns von den erff verbunt briue von des obgenan Landes wegen schuldig sint, gebessert vff „vier hundert swere gulden, oder pagament az an der woechselbank zu Trier genge und gebe, „so halb bynnen den viertzentagen na den heiligen Ostertagen, vnd halb na bynnet den viert- „zentagen na sand Remeiss dage vns oder vnserm — — des Landes von Lützemburg, der tzur „tzeit ist, gebe vnd hantreichen sullen mit allen punckten vnd was in den ersten briuen be- „griffen ist, sunder alerley arglist etc. etc. — Mit vnserm anhangendem Insiegel gebe zu „Brüne nach Crists geburt viertzehenhundert Jar vnd darnach in dem Sibenden Jare, des nehtzen „Mitwochs nach sand Lucien tage."

Ad marginem legitur: De mandato dni Marchionis. Johannes. Ipse etiam Kyriander, qui de his monumentis literarum, quae libertatem pristinam potestatemque urbis nostrae illustrare videntur, libenter disserit, nullam hujus chartae mentionem facit. Scribit enim: „Joannem Boihemiae Regem, Imp. Henrici VII. filium, Lutzenburgi Comitem, jus civi- „tatis Treuerensis et foedus cum ea iniisse, multis tabulis constat. Joannes quoque Co- „mes de Spanheim in foedere populi Treuerensis stetit." — (Comment. de Aug. Trev. p. 214 edit. origin.)

Renovata est haec conventio diplomate Elisabethae de Gorlitz, filiae Joannis Ducis de Gorlitz et Marchionis Brandenburgici, hoc tempore Ducissae Lutzemburgensis (**) .Hoc diploma, germanica lingua exaratum, datum Luxemburgi, 15. Sept 1416., legitur in cod. ms. Trev., No. 1293. sign.

Elisabetha Gorlitzia, quae bis vidua, primum Antonii Brabantiae Ducis, iterum Joannis Palatini Comitis Rheni, quem alii nominant Joannem de Bavaria (quorum ille an. 1415., hic an. 1424. decessit) anno 1443., quo Philippus Burgundiae Dux Luxemburgensem Ducatum

(*) Wenceslaus scilicet, Caroli Imperatoris frater, primus Luxemburgensis Dux, anno 1383. defunctus.

(**) In chartis germanicis adpellatur: „Elisabeth von Gorlitz mit der gnaden Gotz Palzgraffinne by Rine, „Hertzoginne in Beyeren und zu Luczembourg, Grafinne zu Chiny, Frauwe zu Vorne und Erckel, Wiedwe."

occupabat, se Trevirim contulit, ubi anno 1451. fato concessit et in ecclesia Fratrum Minorum O. S. Francisci (postero tempore Collegii S. J., modo Confessionis Evangelicae templo) ad laevam summae arae sepulta est.

AD CAPUT CCXXIV.

— Avus ejus eodem nomine Henricus, dictus Blondel etc. etc.

Mortuo Comite Conrado II. anno 1136. mascula stirps apud Luxemburgenses defecit, et successit in Comitatu Luxemburgensi Henricus I. cognomento Coecus, Conradi I., Comitis Luxemburgensis nepos ex filia Ermesinde et Godefrido, Comite Namurcensi.

Altera etiam vice mascula proles in Luxemburgica stirpe defuit et novis Limburgensium Principum surculis reparata est. Cum enim Henricus Coecus anno 1196 unicam filiam reliquisset, Ermesindam, matri cognominem; eam secundis nuptiis duxit anno 1214 Walramus II. Dux Limburgiae, et Henricum Blondellum progeneravit, in quem deinde a matre Comitatus quoque Luxemburgensis transiit. Henricus II. (Blondellus) duxit Margaretham, Henrici II., Barrensis Comitis, filiam, anno 1231. Cui successit anno 1274 Henricus III., qui obiit in Woriaco praelio anno 1288. Reliquit ex Beatrice conjuge, Comitissa Huesnensi (de Bellomonte, scribunt Gesta) Henricum IV., qui ex Comite Luxemburgensi ad Imperium evectus dictus est Henricus VII.; Balduinum, Archiepiscopum deinde Trevirorum, et Walramum, Caesarianorum equitum supremum Praefectum. —

AD CAPUT CCXXVIII.

— Ut in literis hinc inde datis continetur.

Notamus hoc loco literas sequentes, quae exhibent. 1) Conventionem (ineditam) inter Dytherum Archiep. et urbem Trevir. de anno 1301. qua promittit civitas, Sculteto Archiepiscopali intra miliare bannale (Bann-Meile) in jure suo assistere; (asservatur haec charta in bibl. Trev. Caps. D. N°. 9); 2) Confoederationem ejusdem Archiep. cum civitate Trev. de anno 1304. (Honth. Hist. Trev. dipl. II.); 3) Conventionem Baldewini Archiep. cum civitate Trev. super diversis juribus, de anno 1308. (ibidem). Hujus chartae, quae in historia municipii Trev. magni momenti est, argumentum praecipuum sequens est: Ut abdicatis Coss., quos Diethero annuente, civitas ex sodalium collegiis in senatum cooptarat, summa rei penes unum deinceps sit Archiepiscopi praetorem; neque consultores adhibeantur alii, quam quos moris patrii gnaros, ex optimatibus praetor allegerit, atque ad tribunal adscitos, tanquam praeses, banno, ut ipsi dicebant, confirmarit, et scabinos denique salutarit. Praetori etiam in posterum, ut sub Henrico, Arnoldo, atque aliis ab omni memoria decessoribus Archiepiscopis solet, jurisdicundi, summae et ultimae cognitionis potestas commissa, integra sit. Idem querelis civium audiendis, et eorum minuendis controversiis vacet, scabinorumque judicio, quos una cum eo considere semper oporteat, de omnibus controversiis publicis privatisque constituat, et res eorum consilio juvet. Uti subditi reliqui, portoria vectigaliaque jussi pendent, incolis urbis, vicinisque municipibus, priscae libertatis jura et consuetudines avitas retinere fas sit; neque excipi tamen hac conventione tributum, quod Diethero sedente contulissent. Ut honestae probataeque civium societates coetusque coire possint, et denique omnium offensarum et injuriarum praeteritarum gratiam veniamque cives obtineant. —

Memoratu dignae sunt porro chartae sequentes: Transactio inter Baldewinum Archiep. ex una, et urbem Trev. ex altera parte. Haec Charta, qnae non legitur in diplomatariis Honth. et Günth., de anno 1350., asservatur in bibl. Trev. I. c. No. 6.; — Cnnonis et Wernheri Archiepiscoporum chartae ineditae (Cod. Trev. ms. No. 1152. sig.); — tum charta vulgari idiomate scripta, Jacobi a Sirck de anno 1446, nullibi impressa, cujus argumentum memorabile est: Foedus unionis et reciprocae defensionis inter Jacobum Archiep. et civitatem Trevir. Vid. notam nostram marginalem ad cap. 276. Conf. etiam Kyriandri Annal. p. 237. sq.

AD CAPUT CCXLIV.

— Dominus vero Baldewinus cellam qnatuor Coronatorum etc. etc. —

Hoc loco non alienum esse videtur, adscribere chartam ineditam, quae in cod. ms. bibl. Trev. s. t. Scriptores rerum Trevirensium Tom. III. ex Balduini Archiep. collectione eccles. Trevir. privilegiorum excerpta legitur; est autem hujus argumenti:

„Benedictus papa septimus contulit cellam quatuor Coronatorum Rome Theodorico „hujus nominis I., alias LXXII. archiepiscopo Trevirensi.

„Leo papa nonus de post eandem cellam quatuor Coronatorum Eberhardo LXXVII. „Treu. archiepiscopo ejusque successoribus ac ecclesie Treuirensi contulit, auctoritate beati „Petri apostolorum principis, gratuitoque sacerdotum clericorum totiusque Romane plebis as- „sensu, in perpetuum possidendam, cum omnibus suis appendiciis, aquis suis, aquarumque decur- „sibus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis et incultis, curtibus et mansionibus, Vicarioque „sno in partibus totius Gallie et Germanie. Datum XV. Kalend. Maj. per manus Petri Diaconi „bibliothecarii et cancellarii sancte apostolice sedis, anno domini Leonis IX. pape 1. Indict. II.“—

AD CAPUT CCXLVIII.

— Et a quodam ordinis praedicatorum religioso etc. etc.

Idem sine haesitatione cum auctore nostro adfirmant alii horum temporum scriptores. Chronicon S. Maximini (ap Honthemium in Prodr. II. p. 1024.) ita fatur: „Anno videlicet 1309. „regnavit Henricus VII. Imperator, comes Luxemburgensis, qnem monachus quidam ex ordine „Praedicatorum, a Florentinis subornatns, veneno Eucharistiae illito perdidit.“ —

Joannes de Bazano, civis Mutinensis in suo Chronico Mutinensi (Muratorii Rer. Italic. script. T. XV. pag. 573.) scribit: „In festo Assumtionis Beatae Virginis mane commu- „nicavit se de manu cujusdam fratris Bernardi, Ordinis fratrum Praedicatorum de Monte Poli- „tiano. Qui frater dedit dicto Imperatori sacramentum cum veneno: qui quidem Imperator „vixit usque ad festum S. Bartholomaei, hoc est, ad diem XXIV. Augusti, et inte- „rim ordinavit et disposuit de exercitu, qui tunc erat cum eo.“ —

Albertus Argentinensis, haec habet in suo Chronico (edit. Urstisii, II. p. 118.): „In assumptionis Virginis Mariae vigilia, decantata coram eo (Henrico) missa, eoque per quen- „dam Praedicatorem communicato, post missam coepit illico infirmari; dicebatur enim, quod „ipse Praedicator venenum sub unque digiti tenens absconsum, post communionem potui „Caesaris immisisset, et illico discessisset.“ —

Sic et narrat Henr. Rebdorff (Annal. ad annum 1313. in Frederi Rer. Germ. Script. I.

p. 416. sq. edit. de an. 1600.): „In ablutione calicis per quendam fratrem ordinis „Praedicatorum, ut narratur, immissum est venenum in calicem, et sic intoxicatus statim obiit.“ —

Jacobus Philippus Bergomensis (Supplementum Chronicharum, Lib. 13. pag. 208. edit Venet. 1492. fol.) scribit: Ad balnea Macerati se contulit; inde cum male sanus rediisset, „ad Bonconventum oppidum rediit, ubi et post aliquot dies non sine suspicione dati veneni „mortuus est. Subornaverant, ut fertur, Florentini, ab eo gravissime infensi, pollicitationibus „et praemiis quendam monachum, qui Eucharistiam veneno illitam ei dedit. Cujus mors „Florentinorum et regis Roberti salus fuit.“ —

In Chronico Msto. a quodam Coloniensi germanice exarato, et quidem saeculo XIV. (modo bibl. Trev. No. 1423. sig.) legimus haec pauca: „Umb de selue Zyt wart keyser heyn-„rich vergeuen vp vnser vrauwen dach as man de wische wyt.“ —

In Chronico Detmari (Chronik des Franciscaner Lehrmeisters Detmar, nach der Urschrift herausgegeben von Grautoff. Hamburg, 1829. p. 201.) legimus ad annum 1313.: „Do quam „de mere, dat eme (scilicet Henrico Imp.) were jamerliken vorgheven in unser vrowen daghe „in deme hilghen sacramente von eneme bosen tuschere (*) brodere bernardi, de sin valsche bichvater was. —

Chronicon Tielense (edit. van Leeuwen, p. 300.) refert: „Anno Domini millesimo „tricentesimo decimo tertio Henricus septimus imperator Lucelburgensis intoxicatus est a quo-„dam Jacobita (**) nomine Bernardo.“ Editor van Leeuwen in nota marginali addit: „porrecta eucharistia veneno tincta, quod plurimi fide digni scriptores adfirmant, pauci autem, „et male, negant.“ —

Wilhelmi monachi Egmond. (saeculi XIV.) Chronicon (Anal. Mathaei, II. p. 568. sq.) scriptoribus praecedentibus consentiens, rem exhibet hoc modo: „Heu proh dolor! fama „veridica referente per totum regnum Teutonicorum, cujusdam videlicet . . . . . . (***) sui „perceptione calicis sacramento clam toxicati potat, et moritur. Propter quod tunc temporis „fratres illius ordinis multa mala patiebantur in regno praedicto. Notandum tamen, quod licet „talis maledictio a tali fratre verissime fuisset procurata (quod utinam non esset verum!) non „deberent tamen hac de causa boni et innocentes fratres corripi, quum Redemptor noster no-„luit Petro, Joanni, vel aliis veris Apostolis, Judae maleficium imputari.“ —

Sic et scribunt Meyerus insignis Flandrorum scriptor, Stero Altahensis, alii, ad an. 1313.

Sunt autem et alii scriptores (praeter illos quinque Italos apud Muratorium) hac de re in contrariam partem disputantes. Sunt autem potissimum sequentes: Codes mstus. Trev., No. 1462. sig., haec notat: „Contra regem Robertum tendens Neapolim venit Boneconventum, ubi „die Assumtionis, licet a quodam praedicatore communicatus diceretur intoxicatus, dominus „tamen Thomas de Septemfontibus, cui multum familiaris fuit, in cujus sinu obdormivit, dixit „eum dissenteria decessisse, quod verum esse creditur.“ — — Conf. pro hac opinione Tri-

---

(*) Editor animadvertit, Detmarum Franciscanum primitus scripsisse: predeker brodere, sed haec verba erasa esse, et quidem, ut creditur, per scriptorem Kornerum, ordinis Dominicanorum monachum, qui alia superius allata substituisset. —

(**) Nominabantur Jacobitae, quod anno 1218. fratribus Praedicatoribus primitus domus (hospitium) S. Jacobi Parisiis data est ad mansionem. Ab hac etiem domo factio sive secta politica Jacobinorum famosissima, nostra aetate, nomen usurpavit.

(***) In Mss. hujus Chronici quaedam hoc loco aqua forti deleta sunt, Praedicatorum Ordini favente manu haud dubie. Nota editoris Mathei.

themium (Chron. Hirs. II. p. 130. sq.) — Conf. etiam Mussati locum ad marginem textus nostri relatum. — Martene in sua Gestorum editione ad hunc locum haec observat: „De veneno cum Eucharistia Imperatori porrecto plures illorum temporum scriptores insimula-„runt fratres Praedicatores: verum ab hac eos colnmnia purgat Johannis, Regis Bohemiae, „Imperatoris filii epistola a Baluzio edita (T. I. Miscellaneorum p. 162.) et fusius Browerus (*) „Annal. Trev. II. p. 194.“ —

Ptolomaeus Lucensis Ord. Praedicatorum (Vita Clementis V. in Baluz. Vit. Papar. Avenion. I. p. 53.) habet seqnentia: „Imperator in comitatu Senensi apnd Bonconventum et „quasi languens infirmabatur et moritur — et, ut dicitur, mnltum devote. — Moritur autem „XXIII. die Augusti morte naturali, quamquam aliqui malivoli dixerunt, qnod fuerat datum „sibi venenum in Eucharistia. Infirmatas autem sua incepit ab apostemate in coxa, et inde „venit ad febrem, de qua decima die moritur; sicut a fide dignis accepi qui fuerunt prae-„sentes.“ —

Brevis Historia Ordinis fratrum Praedicatorum (auctore anonymo) quam Romae, ex ms. S. Sabinae anni 1367., eruit Mabillonius, refert haec specialia: „Henricus Lu-„cellemburch Romanorum imperator — in Bonconventu infirmatns, die nona diem clausit extre-„mum. Quidam autem monachus Johannes nomine ordinis Cisterciensis, „qui erat capellanus imperatoris, sperans effici confessor ejus propter dis-„cessum cancellanii, et episcopi Botontini, qui imperatorem aliquando in confessione audiebant, „et videns Johannes qnod frater Bernardus de Monte-Politiano ordinis Praedicatorum effectus „esset ejns confessor, invidia motus ipsum fratrem Beruardum infamavit, qnod imperato-„rem in hostia consecrata veneno extinxisset. Unde propterea magna tribulatio excitata fuit „ordini Praedicatorum per Allemanniam et provincias, quae erant sub imperatore praedicto.“ (Mart. Ampliss. Collect. VI. p. 376.) —

Alius ejusdem Ordinis scriptor, Natalis Alexander (Hist. eccles. saec. XIII. et XIV. cap. IX. artic. IV.) Johannis, Bohemiae Regis, epistola potissimum innixus (quae vero scripta est diu post mortem patris sui Henrici VII. ad preces Ordinis Dominicanorum) causam sui Ordinis tam solide se defendisse credit, ut tantummodo observet: „His literis plane refellun-„tur, quae Gestorum Baldewini Lutzemburgensis, Trevirensis Archiepiscopi, Henrici VII. Im-„peratoris fratris, coaevus author (**), falsis rumoribns et calumniae nimis credens, scripsit (***).

(*) Substitue potius Masenium.

(**) Non solum coaevus, testis quoque gravis; Baldnini enim Archiepiscopi Trev., Henrici Imp. fratris, familiaris erat, et vir excellens studio veritatis. Conf. ejus prologum libri II.

(***) L'art de vérifier les dates etc. etc. (par des Réligieux Bénédictins de la Congrégation de St. Maur.) Edit. I. de anno 1750. p. 455., haec pauca habet: „Henri VII. meurt d'une fièvre ardente (ou „d'une hostie empoisonnée selon quelques-uns).“ —

Editio hujus operis novissima, continuata per Saint-Allais (Tom. VII. in 8°. de anno 1818. p. 357.) hanc rem refert hoc modo: „Le bruit se répandit que son confesseur dominicain l'avait empoisonné, en „lui administrant la communion sous l'espèce du vin. Mais cinq auteurs contemporains, cités par „Muratori (†) attestent qu'il mourut d'une fièvre pestilentielle. Jean, Roi de Bohême, fils de l'Empereur

(†) Annal. d'Ital. T. VIII. p. 78. — Conf. etiam ejusdem Rerum Italicar. Scriptores. T. XV. p. 48. sq. —

Nostro autem judicio vir ille doctissimus successu minus felici hanc apologiam scripsisse videtur, inprimis si animo nostro ultima ejus verba ad notatum capud IX. perpendere volumus, ea scilicet: „Quod paulo prolixius hoc historiae caput tractaverim, pietati meae erga „sacrum ordinem, quem profiteor, lector benevolus facile condonabit.“ —

Quae excusatio fortasse nobis persuadebit, Natalem Alexandrum apud se non ita omnino de hujus rumoris falsitate convictum fuisse: et, utut scripsit hic Dominicanus, sensit forte in pectore suo Criticus, quod refert Jesuita Petavius, vir in his rebus magnae gravitatis (Rationarium temp. P. I. L. IX. c. 5.), his verbis: „Sed in eo conatu (Hen„ricus VII.) anno 1313. in agro Senensi, non sine veneni a Dominicano monacho dati sus„picione, est extinctus.“ —

Omnibus rebus, iis etiam quae Imperatoris mortem praecesserunt, bene perpensis, perpensa potissimum vehementissima Guelphorum ira in Imperatorem; si non apodictica facti veritas elucescere videatur; suspicio tamen hujus intoxicationis manebit in perpetuum gravissime fundata.

Conferantur porro Martinus Difenbachius de vero mortis genere, quo obiit Henricus VII. — Gundlingius in sua historia Henrici VII. — Simonde-Sismondi qui in suo opere: Histoire des Républiques Italiennes du moyen âge Mussati relationem secutus est. — Tandem V. Cl. M. J. Schmidt (Geschichte der Deutschen, VII. Buch, 4. Kap.) qui Gesta Trev. sequitur. — Fr. W. Berthold (Der Römerzug König Heinrichs von Lützelburg. Königsb. 1830). qiu multa docte commentus est, nixus Italorum potissimum testimoniis, ut Henricum non veneno, sed tempore gravis pestilentiae imprudentia et incuria sua obiisse ostenderet. Hanc rem assensu suo excipit H. Leo (Lehrbuch der Universalgesch. II. Bd. Halle, 1836.) Bertholdi sententiam veri simillimam esse statuens.

— Et ecce cometae et solis eclipsis in signo virginis etc. etc.

Quid omni aevo humana credulitas de conjunctionibus luminarium, diebus criticis, et in specie de cometis senserit et divinaverit, tempore non solum antiquo (*) et medio, sed ad saecula novissima, satis notum est.

In variis aliis etiam Gestorum locis legitur e. g.: „Eo anno fuit eclipsis solis magna et „tenebrosa, tribulationes magnas ecclesiae Dei mirifice designans.“ — — „Fuit etiam eclipsis lunae, multorum futurorum malorum praenosticativa.“ — — „Isto anno aparuit cometa, Judaeorum interfectionis praenosticativa.“ — — Saeculo decimo septimo (ad annum famosissimum 1618.) Gesta Trevirorum hos referunt versus:

„Prodromus est belli pestisque famisque Cometa,
„Nec quisquam flagrantem vidit impune Cometam.
„Non leve venturum nuntiat ille malum.“

„Henri, déchargea pareillement les Dominicains, par une déclaration authentique, du crime qu'on leur „imputait, sans parler d'une bulle qu'ils obstinrent aussi d'Innocent VI. au même effet (†).“ —

(*) Vid. Plinii Hist. nat. (Lib. II. c. 25.) — In Taciti Annal. (XIV. 22.) legimus: „Cometes effulsit, de quo vulgo opinio est, tamquam mutationem regnis portendat.“ — Vid. etiam Annal. (XV. 47.) ubi haec: „Fine anni vulgantur prodigia, imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non alias crebior, et sidus cometes. etc. etc.“

Adde, quae narrat de diebus criticis Suetonius (Jul. Caes. c. LXXXI.)

(†) Joannes, Henrici filius, tempore mortis patris sui, annos natus erat septem et decem. — Innocentius VI. Papa electus anno 1352., defunctus est anno 1362. —

AD CAPUT CCL.

— Sancti Beati juxta Confluentiam collegium etc. eto.

Audiamus hoc loco, quae exhibet Browerus, indefessus ille et non satis laudandus rerum Trevirensium investigator, in opere nondum impresso, s. t. Metropolis Ecclesiae Trevericae (Cod. ms., bibl. Trev., No. 112. sig.) Hic codex, maxima ex parte ipsa Broweri manu literis mandatus, hujus operis verum Mstum originale est (*).

Sub titulo: Monasterium montis S. Beati, Browerus noster scribit sequentia:

„In conspectu situm est Confluentiae oppidi Treverici ad meridiem, ea parte, qua Rhe„nus affluit, et ex declivi mons assurgit excelsior. A Martyribus olim collis ille nomen ha„buit: an quia Martyrnm ibi palaestra, vel accuratior forte cultura viguit. Religio certe loci „vetustate sua cumprimis est commendata. Sancti Beati corpus istuc exportatum, tradunt, „Treveris ex monasterio S. Dei Genitricis ad Martyres. Et clarum fuit par fratrum Bantus et „Beatus, quorum hujus XXVI., illius XXXI. Julii in fastos relata memoria. Unde canit Fas„torum Trevirensium nuperus scriptor (**):

„Vulgabant Christum Bantus cum fratre Beáto
„Ambo sacerdotes: signorum efferre stuporem
„Insignes ambo, coeloque immittere manes.

— — „Ecclesiae, qnae major exstructa nunc videtur, dedicatio in Theoderici Archi„episcopi aetatem incidit, qui cum ob valetudinem adesse non posset, Henrico Osiliensi Epis„copo, qui ex S. Dominici familia tunc e finibus Livoniae aderat Confluentiae, provinciam eam „mandavit; isque anno MCCXLI., XVII. Kal. Septembris, templum hoc novum in honorem „S. Dei Genitricis et SS. Confessorum Servatii ac Beati consecravit. — — Ceteroqui veterem „ecclesiam clerus S. Castoris Confluentinus olim occuparat, a quo deinde ad monachos Bene„dictinae familiae cum ambitu montis aliisque fundis et possessionibus, quae ad Capellam usque, „id jam oppido et arci nomen, pertinebant, Hillini Archiepiscopi autoritate translata est. „Legitur ea de re Antistitis praeclarum rescriptum, ab anno MCLIII., cui subscripti testes, „prseter abbates, liberi homines Reinboldus de Isenburg, Udo de Brubach, Leuboldus et Wil„helmus de Castro, Conradus de Confluentia.“

(*) Alterum quoque hujus operis Msti exemplum a Masenio auctum, hinc inde etiam mutatum, et ejusdem autographum asservatur in bibl. Trev. — Patres Collegii Trev. S. I. hanc huic codici praefigebant notam: „Nota bene Lector: Haec Metropolis partim „(et quidem primum)“ — a Browero, partim a Ma„senio collecta, et ab hoc ultimo digesta et composita censura nostrorum Patrum approbata fuit; sed „postea a Consiliariis Principis, cum typo tradenda esset, suspensa, praecipue quod terminos dioecesis „quosdam disputationi obnoxios dicerent, melius ante ex archivii et archidiaconatuum divisionibus desig„nandos. Unde ultima manus a compositore (Masenio) non adhibita, et errata quaedam grammaticalia „non correcta. Tum obscurior hinc inde sensus et constructio, quarundam additione aut subsiractione „vocum emendanda, quae authori (i. e. Masenio) non vacabat, aut lubebat, re neglecta, praestare.“ —

Bibliotheca Trev. aliud adhuc exemplar possidet, cura Honthemii ex praecedenti conscriptum.

J. J. Moser (Staatsrecht des Churfürstl. Erzstiffts Trier. 1740. S. 281. f.) minus accurate de his Msstis disserit; nullam enim de primo (Broweri) notitiam habuisse videtur.

Honthemius fusius de operis argumento disputat (Histor. Trev. dipl. III. p. 993. sqq.)

(**) Matthias Agritius Witlichius in opere: Fastorum Trevirensium libri etc. — Aug. Trev. 1597. p. 39.

„Expressus autem Reingerus abbas de monte S. Beati (1153); praeter quem Warnerus ad „annum MCCXXXVIII. —

„Hinc abeunte in licentiam majorum recte vivendi forma, Boemundus Archiepiscopus „anno MCCXCIII., Walrami Treverici abbatis ad Martyres studio, revocare solutos mores „sed frustra tentavit. Ergo anno MCCCXIV. a Balduino, Boemundi successore, duodecim „immissi Canonici, qui, cum ob loci solitudinem et tenuitatem vectigalium rei divinae segnius „operam darent, factum est denique Balduini melioribus consiliis et autoritate, ut anno „MCCCXXXI. Carthusiensis ordo venerandus collapsa sacra restitutum veniret. —

Hucusque Browerus; Masenius (in suo Msto) diploma Carthusianis a Balduino datum, et quaedam alia addit; alia ad suum genium mutata aut amplificata sunt.

Sic et Broweri Annales Trev. per Masenium continuatorem, sed minus aptum et minus felicem Criticum et Historiographum editi (Leodii 1670.) immutati et castrati leguntur. Mutilam esse editionem, quae nunc prostat, probat 1°) editio princeps, quae post improbum XXX. annorum laborem anno 1626. praelo Coloniensi exivit, quae tamen editio non comparuit in publico, quippe mox ab invidis et historiae osoribus suppressa — ideoque rarissima est (*), probat 2°) Broweri Mstum autographum, quod ad nostra tempora latuit in pristino tabulario Ecclesiae Cathedralis — et modo, singulari fortuna, in manus nostras venit, et in bibl. Trev. depositum est, No. 120. sig. —

AD CAPUT CCLVII.

— Isto etiam anno dominus Baldewinus Regi Anglorum tanquam infinitis pecuniarum summis mutuatis etc. etc.

Hoc factum minus accurate narrant Trithemius (Chron. Sponh. ad annum 1339.), et Browerus (edit. Masenii Annal. Trev. II. p. 212.) — Honthemius bene animadvertit (Hist. Trev. dipl. II. p. 136): „Errant Trithemius et Annales, cum ob peccuniam a Balduino mu„tuo acceptam Anglicani regni coronam Confluentiae pignori relictam referunt.“—

Videantur diplomata Commissariorum Eduardi III., Anglorum Regis, 27. Febr. 1335, et Eduardi Regis, 18. Martii, 1335, more Trevirensi signata, ap. Rymer (Foedera, Conventiones, Litterae etc. etc. inter Reges Angliae et alios etc. Editionis novae Vol. II. P. 2. p. 1073. Londini, 1821. — Conf. etiam pag. 1077. Verba primae chartae sunt: super auxilio et assistentia sacro imperio Romano et dicto Regi (Eduardo) per ipsum dominum archiepiscopum faciendis, ac super certis pecuniarum summis eidem archiepiscopo ob haec dandis etc. etc. — Hanc conventionem Eduardus Rex confirmat. Non ergo ob pecuniam a Balduino mutuo acceptam, sed pro certis auxiliis et subsidiis, pro copiis auxiliaribus contra Philippum, Franciae Regem, oppignoravit Eduardus III. coronam suam Balduino. Vid. Regis chartam anni 1340. 17. Maji in laudato opere pag. 1124. et ap. Honth. p. 141. sq. quae liberationem coronae suae concernit. Non substitit diu haec mira confoederatio. Unde etiam factum, ut Balduini copiae contra Regem Galliae, jam anno 1339 cum Imperatore Ludovico IV. pacificatum, conciliante hanc pacem Margaretha Imperatrice, quae erat Reginae Galliae ex sorore neptis, effective nondum fuerint eductae.

(*) Conf. Honth. l. c. p. 992. sq , ubi convenientissime disserit de binis Annalium editionibus, harumque differentiis. Broweri autem Mstum Honthemius ignorasse videtur.

De aliis rebus magni pretii (Juwelen) ab Eduardo Rege in Balduini manus depositis, et anno 1339 ab Anglicanis Commissariis, a Rege deputatis, iterum receptis, loquitur diploma quartum, Confluentiae signatum die 6. Junii 1339. Haec charta asservatur Confluentiae in tabulario Regio Provinciae Rhenanae, ex quo eam imprimi fecit Günther (Cod. dipl. III. p. 395.) In opere Anglicano supra laudato et apud Honthemium hoc memorabile diploma desideratar. Non ingratus labor erit, diplomatis argumentum hocce loco repetere. Est autem hoc:

„Nos Thomas de Altavilla clericus ac Wilhelmus dictus Beyzil de Brachele miles serenis„simi domini nostri regis Anglie recognoscimus publice in his scriptis, quod reverendus domnus „in Christo pater ac domnus Baldewinus archiepiscopus Treuerensis nobis nomine predicti domni „nostri regis Anglie requirentibus et petentibus omnia et singula jocalia pro domno „imperatore deputata, et eidem domno archiepiscopo Treuerensi per domnum „Bartholomeum de Burghassh militem ac ejus consocios ex parte dicti domni regis commissa „et apud eum deposita restituit, tradidit, ac nos una cum dictis jocalibus „per districtus suos secure conduxit. Unde memoratum domnum archiepiscopum de „hujusmodi jocalibus, nomine predicti domni regis, quittum dicimus ac liberum et solutum, „harum testimonio litterarum nostris sigillis munitarum. Datum Confluentie etc. etc." —

Conf. etiam Alb. Argent. Chronicon ap. Urstis. p. 127. sq.

AD CAPUT CCLIX.

— Requiescit in posteriori choro Ecclesiae Trevirensis.

Apud Browerum (Annal. Trevir. Tom. II. pag. 226. num. CLX.) legimus sequentia: „Cor„pus ejus (i. e. Balduini) Asio lapide, generis marmorei, tectum atque in Basilicae summae „choro, qui divo Nicolao dicatus (*) honorifica sepultura reconditum. In opere Msto Broweri et Masenii s. t. Metropolis Ecclesiae Trev. Archiepiscoporum Trevir. sepulchralia monumenta recensentur, ibique hi viri haec referunt: „In choro S. Nicolai tumba Baldewini sub niveo „lapide, in mensae speciem satis elevato. Ibidem sub atro lapide, eadem fere forma, minus „tamen elevatum Joannis Badensis." Die 17. Julii an. 1832. Ven. Capitulum Ecclesiae Cathedralis, in praesentia plurium personarum utriusque status, in praefato S. Nicolai choro, tumbam tunc ibidem solam superstitem, 3½ circiter pedes elevatam, marmore nigro circumdatam, imo decoratam, aperiri curavit; quo translato, apparuit sarcophagus crisei lapidis, recludens cistam plumbeam, in qua depositum fuit cadaver maxima ex parte corruptum ac putredine deformatum, tectum ornatu serico, coloris fusci, aut si mavis, violacei; se ne minimum aliud signum ibidem, sive interius, sive exterius, contra istius saeculi morem, fuit repertum, quod explicationem de hoc cadavere dare potuisset; adeo, ut verisimile sit, hoc cadaver ante sepulturam a quodam maligno fuisse spoliatum. In hoc rei statu spectatores in duas abierunt sen-

(*) Haec pars occidua primarii Trev. templi, tempore Brunonis Archiep. primis saeculi XII. decenniis exstructa (†), per Carolum Casparum saeculo XVII. magnopere exornata, antiquam suam destinationem diebus novissimis omnino perdidit. Novum jam ibi organum visitur.

(†) Vid. notam marginalem capitis 73. (Vol. I. p. 197.)

tentias: quidam illorum praetendentes, has reliquias esse Balduini (*); alii autem non sine ratione adfirmantes, Joannis Badensis sepulcrum esse (**).

— Additamentum ad acta Balduini Archiepiscopi.

Sequens notabile diploma, signatum die 8. Aprilis 1338, hucusque, quantum scimus, nondum typis editum, testatur, in quibusdam monasteriis S. Benedicti, saeculo XIV., regularis disciplinae ruinam, et intermissum literarum cultum. Invenimus hoc Ordinatum Balduini pro correctione morum monachorum ord. S. Benedicti in archidioecesi Trev. in cod. ms. S. Maximini saec. 14. (modo bibl. publ. Trevir. No. 1253. sig.), et in cod. ms. No. 42. sig, ipsa manu Honthemii exscriptum.

Est autem hujus argumenti:

„Balduinus Dei gracia sancte Treuirensis ecclesie archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius, universis abbatibus, prioribus, ac aliis personis monasteriorum ordinis „seu religionis sancti Benedicti per suas civitatem et dyocesim consistentium, in Christo sibi „dilectis salutem et sinceram in Domino charitatem.

„Ante ceteras sollicitudines nostris humeris incumbentes illud potissimum insidet cordi „nostro, ut sacra religio, quam et plantare plantatamque fovere ex injuncto nobis officio „utique tenemur, in divini cultus obsequio ac more et honestatis candore prefulgeat, necnon „regulari disciplina ac aliis spiritualibus et devotis actibus rutilet, nec decrescat; sed ipsa „religio in his et aliis ad conservationem et statum ejusdem pertinentibus debitum et salubre „recipiat incrementum. Sane, licet pro felici et salubri dicti vestri ordinis seu religionis statu „ipsiusque attinentiis, tam almorum patrum, quam juridicarum et canonicarum sanctionum „diversa et quamplura, non sine magna maturitate digesta manaverint instituta; nonnulli tamen „ex vobis, quod dolenter referimus, in observatione regularis discipline ac statutorum hujus„modi se exhibuerunt, ut intelleximus hactenus, quamplurimum negligentes. Aliqui enim, „contra substantiam monachatus, proprium seu peculium sine superioris sui licen„tia habere, tenere, et de ipso pro suo libito disponere non formidant. Aliqui etiam, laxa„tis honestatis habenis, in caligis diversorum colorum mixtis, et calceis bassis „ad modum laicorum, necnon in habitu dicte religioni minime convenienti incedere presumunt; „et qui, cum deberent in suis claustris juxta regularia instituta divinis invigilare obsequiis, „hujusmodi claustra abhorrentes, per vicos et plateas, ac ad loca alia inhonesta et „suspecta discurere non verentur. Aliqui etiam, abjecta monachali modestia, cum ipsos „extra eorum monasterium itinerare contingit, ornamentis superfluis, necnon pileis altis et „nactis diversorum colorum uti presumunt, ad instar omnino secularium personarum. „Aliaque plura et varia inhonesta, ipsis ac eorum statui, et predicto ipsorum ordini et reli„gioni non modicum derogantia, contra observantiam regularis discipline dicti ordinis, ac sa„crorum canonum statuta committere non pavescunt, in dominice majestatis, cui se totaliter „dedicarunt, offensam, religionis obprobrium, et scandalum plurimorum.

(*) Vid. W. Günther (Grabmähler der Trierischen Bischöfe, insbesondere in der Domkirche zu Trier. Trier, 1833. S. 36 f.)

(**) Vid. quae supra exhibuimus ex Broweri et Masenii scriptis. Adde etiam, quae retulimus ex Fr. Tob. Müller Msto, in animadversionibus ad. Vol. 1. jam laudato pag. 53. — Legatur quoque: Der Dom zu Trier. Ein Beitrag zu dessen Geschichte und Beschreibung, von J. Ant. Jos. Hansen. Trier, 1833. S. 75. f. —

„Nos igitur considerantes, si ista sub quadam dissimulatione transire permitteremus, „qnod ex hoc major in posterum prestaret securitas delinquendi; cupientesque, his, in quan„tum nobis possibile fuerit, occurrere remediis oportunis: vobis omnibus et singulis firmiter „et distincte, ac in virtute sancte obedientie precipimus ac mandamus ac volumus, ut a pre„missis et quibuslibet aliis illicitis, necnon vobis tam per regularia quam canonica instituta „inhibitis penitus abstineatis. Utque sacras constitutiones pro conservatione ac reformatione „diste vestre religionis ac vestri status editas, et specialiter ea, que per felicis recordationis „dominum Innocentium papam tertinm in constitutione, quae incipit: Cum ad monasterinm, „posita extant de statu regularium, et per pie recordationis dominum Clementem papam quin„tum in constitutione posita eodem titulo in Clementino, que incipit; Ne in agro Domi„nico, et per sanctissimum in Christo patrem ac dominnm Benedictum, nunc sacrosancte Ro„mane ecclesie summum pontificem in suis constitutionibus de novo editis salubriter sunt sta„tuta, studeatis cum integritate firmiter observare. Et ne aliquis vestrum dictorum statutorum „et contentorum in eis, ignorantiam pretendere valeat, vel excusationem aliquam allegare; vo„lumus et mandamns vobis abbatibus, prioribus et aliis predicti vestri ordinis, ad quos correc„tio personarum dicti vestri ordinis mediata vel immediata pertinet, vel pertinere potuerit, „universis, ut quibuslibet quatuor temporibus quolibet anno hujusmodi statuta faciatis in do„mibus vestris capitularibus omnibus et singulis vestris commonachis ibidem presentibus et „auscultantibus, impuberibus dumtaxat exceptis, publice legi et solempniter publicari. „Utque vos insuper abbates, priores, et alii, ad quos correctio personarum alicujus monasterii „dicti vestri ordinis pertinere dinoscitur, ad eadem monasteria vos, locis et temporibus con„gruis et oportunis, personaliter conferentes, vigilem curam et diligentem sollicitudinem ipso„rum monasteriorum et personarum earundem gerere studeatis, corrigentes et reformantes in „premissis, et aliis omnibus, que reformationis et correctionis officio videritis indigere. Utque „personas universas dicti vestri ordinis vobis subditas ab illicitis et vetitis cohibentes ad ob„servationem dictorum statutorum et regularis discipline, prout ad quemlibet vestrum pertinue„rit, coherciatis, ac penis, remediis, et viis competentibus compellatis; cum non solum offensa „propria, sed etiam aliena de prelatorum manibus requiratur. Alioquin si in his quoquomodo „negligentes fueritis vel remissi, tam contra vos quam personas vobis subditas, excedentes per „penas spirituales et temporales, prout nobis oportunum visum fuerit, procedemus.

„Datum anno Domini Millesimo CCCXXXVIII. die octava mensis Aprilis.“

Ordinem S. Benedicti, nimia vivendi licentia etiam saeculo XV. collapsum, et totum pene miserabiliter desolatum fuisse, scribit Ordinis hujus ipse Abbas meritissimus Trithemius, ad annum 1417., (Chron. Hirs. p. 346. sqq.). Vid. quae animadvertimus ad cap. 273.

AD CAPUT CCLX.

Additamentum, quod sequitur, habet cod. ms. Trev. No. 1143. sign., qui protocollum collegii mercatorum in urbe Trev. continet, et circa medinm saeculum XV. orditur. — Collegia opificum jam sub Hillino Archiep., circa annum 1161, Treviris initium sumsisse videntur. Haec corpora saeculo autem XIV. statuta prima accepisse legimus. Mstum supra laudatum testatur, collegium mercatorum sua prima statuta anno 1360, sub Boemundo II. Archiep. designasse; quae statuta tempore subsequente saepius renovata, et tandem circa medium saeculum XV. ritibus propriis magis magisque stabilita Treviris extitisse, documenta coaeva supra nomi-

nati codicis demonstrant. Eodem fere tempore et alia opificum corpora sua statuta firmius signaverunt.

Sequentia, hucusque nullibi impressa, sunt hujus argumenti:

„Dyt ist der eydt der eyn broder ader ey suyster doyn sol wan sy das „ampt (*) wille keuffen."

„Item eyn yeklich broder ader suyster sal gerede dem meister (**) zur zijt gehoirsam zu syn, des ampts best zu werffen (***), vnd syn argest (†) zu warnen, nit keuffen das gerauff ader gestolen slj, recht Elen mayssen vnd gewycht zu geben, nyemant nach syme gesynne (††) zu stayn, es syn knecht ader megde, nyemant nach synen Zynsen zu stayn, es syn huser ader gedem ader anders."

„Item sal eyn broder auch geloben vnd gerede, das er keyn fremde gericht ensuych (†††) gehent eynchen broder noch burger, anders dan geistlich ader werenlich in der stat trier, ader vnr vnsern herren vom rade."

„Item wat ich in truwen geloyfft hayn vnd myt worten vnderscheyden byn, dat wyl ich fast vnd stede halden sonder argelist, als myr got helff vnd syne heyligen."—

Additi sunt versus Germanici sequentes, quos hic accuratissime consignamus:

Dyt ist die Tayffel (††††).

Got der sy eyn behueder
Alle vnser ampts bröder
Sy syn junck oder alt.
Dyese ordenantz hayt der meister bestalt
Myt rade der bröder gemeynlich
Sy syn arm oder rych.
Dye uff dyese stobe zu wyne gayn
Dye sullent dye fremden da heym layn.
Dye knecht vnd auch dye knaben
Dye blyben byllich da aben.
Das sal nyemant dem ampt verkeren
Wan sij nyt dar uff enheren.
Menlich sij husch vnd gefuge
Es syn gleser oder kruge.
Der eynt brech in syme zorn
Der hette eyn futell gleser ad' potte verloren.
Des laist uch nyt vergessen
Wer da zuckt degen oder messer
Der ist dem ampt verfallen
Vmb eynen gulden an wiederkallen.

(*) Sermo est de collegio mercatorum. Haec confraternitas (Bruderschaft) anno 1450. ex centum et quadraginta personis constabat, quae in laudato Msto. nominatim leguntur.

(**) Praeposito collegii (Amtsmeister). —

(***) werffen, in posteris jurisjurandi formulis legitur: werben.

(†) argest, i. e. Schaden. (††) Gesynne, i. e. Gesinde. (†††) ensuych, i. e. suche.

(††††) Haec tabula in cubiculo hujus collegii (Amtsstube) publice exposita erat.

Sprycht yemans eyme an syn ere
Der ist schuldich soliche kere
Als der meyster das wyrt stellen
Myt synen sessgesellen.
Dye buyss ist auch verborgen
Eyn ycklicher der sal sorgen
Das er yemant slage uff dē huyss
Want da fellet ways vn̄ wyn (*) vss.
Dyeser buyssen sal man nyemās beyden.
Hude dich vor vngewonlichen eyden
Dye synt hy uff verboden
Vff eyn pont ways zu ere goden.
Nyemant sal hy uff kryegen
Fluychen oder heyschen lyegen
Den anderen das ist myn rayt.
Eyn seister wyns her uff stayt.
Vnd drynckent den wyn myt syeden
So bleyben wyr zu gudem freden.
Den gebe vns got allen samen
In godes namen amen.

In alia variorum Msstorum collectione (No. 1486. sig.) legimus Conclusa Magistralia de anno 1456., in quibus de magistris tribuum (Amtsmeister), qui simul magistratum urbis constituebant, agitur. Articuli notabiliores hi sunt: „Zu dem ersten ist geslossen — keynen in „den rait (Rath) zu Trier inholen noch uffnehmen oder zu raite laissen gain, der dan were „an viere Jair lanck zu fure (Feuer) vnd flammen in der Statt zu Trier gesessen vnd „wonhafftig gewest. — Item sall er eyn geerbet, stediger gesessen Man seyn, das er „also vyl habe. — Item sall man keynen Man in den rait zu Trier inholen, der einichen „heren Junckeren oder herrschafft von eugenschafft wegen verbunden sy, ader sich von sine „heren abgekaufft habe vermitz zinss, kryt, peffer, mass, gelt oder dienst das er mit „sune libe geben muesse. — Item so sall man keynen zu raide holen, der eine wisseliche „dorynne (?) umb gutz wille kaufft hette, vnd auch die by ime ubertrete, vnd sich nit eir„baulich hielde, vnd das sulches deme Manne wisselich were. — Item finito anno des ampts „der Meisterschafft, vnd ein ander in syne stat gekosen wird, so sall derselbe zwey jair stille „sitzen des ampts.“ — Atque haec, cum ad statum illius temporis cognoscendum faciant sane non parum, praetermittenda non existimavimus.

AD CAPUT CCLXI.

Boemundi Gesta non commemorant iter, quod fecit Norimbergam et Metas anno 1356, in quibus urbibus diversae partes Bullae Aureae publicatae sunt. Quaedam specialia et satis memorabilia hujus itineris, per Petrum Maier posteritati relicta, idiomate partim germanico,

(*) Wachs und Wein.

partim latino scripta et nondum typis edita, ex tomo III. Mstorum s. t. Scriptores rer Trev. luci publicae exponere in animo est. Sunt autem haec:

— — Zu solchem Tage gehen Nürnberg daselbst Kaiser Carl die gulden Bulle uffgericht, ist Ertzbischoff Boemundt Hochgemelt von Lymburg uß uff Montage den XIIII Tage des Monaths Decembris des Morgens frue mit 126 Pferden angeritten, und by sich gehabt folgende Hrn und von Adel.

Den Apt von Wissenberg, Graue Wilhelmen zu Cazenelenbogen, Johann Herrn zu Lympurg, Johann Herrn zu Furbach, synen Sohne, Gerlachen von Wunnenberg, Johann von Hoeneck, Peter von Eyche Marschalck, Johann von Steyne, Henrich Beier von Bopart, Heurichen Merle von Nuwerburg, Johann Wallramen von Trier, Danielen von Langenauwe, Friderich Waldbotten, Wallramen von Diedenhoeuen, Johann von Dune, zween Dorwartten. —

Den Montag zu Abend gehen Frankfurt kommen, den Dienstag den XV. Decembris daßelbst stille gelegen umb des Ertzbischoff zu Cöllen willen, dene Mitwochen XVI. Decembris gehen Bubenhusen, das syn viere Mylen von Frankfurt, zu deme von Hanau geritten.

Uff Donnerstag den XVII. Decembris gehen Miltenberg, syn V Mylen von Bubenhusen kommen: daselbst der Erzbischoff von Menze geschenckt an Wyn 1 Fasse.

Haber und Hewe in hospicio Domini vor LXXII Pferd.

Uff Fritag den XVIII. Decembris gehen Wertheim, ist dry Mylen von Miltenberg.

Uff sambstag den XIX. tag Decembris gehen Wurzburg, liget viere Mylen von Wertheim.

Daselbst der Bischof geschenckt Broit / Haber so viel man des bedorfft. 1 Faß mit virnen guten Wynen, 1 Faß mit Wynen pro Domino, 1 Faß mit Wynen pro familia, VI Hechte. CCC Heringe. Tusend Eyer. 1 Karpen. Miltbrat CCC Schusseln. X großer Barben. Butteren. Fisch vor das Gesinde. XII Käß. Der Bischoff hait Stallmutt, Bette, und was von Noth in den Herbergen usgericht. —

Uff Sontage den XX Tag Decembris ist man kommen gehn Iphouen, lieget IIII Mylen von Wurzburg.

Daselbst hait der Bischoff zu Wurzburg allen Kosten gethane. —

Uff Montage den XXI tag Decembris ist man kommen zu der Nuwenstadt, syn IIII Mylen von Iphouen. Summa Summarum, was die obige acht Tage uffgangen ist an Geld:

4 clipei aurei. — 341 ℔. 31 grossi antiqui.

Uff Dienstage den XXII Tage Decembris umb Vesper Zit ist Erzbischoff Boemundt zu Nurenberg inkommen, und da blieben XXIII Tage (*).

Uff Mittwochen, ane eynen denen lesten Tage Decembris haben zu morgen by Erzbischofe Boemunden gessen

Der Romische Kaiser,

Ments, Cöllen, Pfaltz, Brandenburg, } alle Churfürsten obengenant.

zu { Wurzburg, Straßburg, Osnabruck } Bischoue

(*) Nota marginalis Msti: „Uf Cristag der was uf einen Freitagen 25. Decembris etc. etc. — His diebus „mane comedit Boemundus cum Imperatore."

Der Apte zu Fulda.

Herzog Ruprecht der junge Pfaltzgraue, und viele Herzogen, Grauen, Friherrn und Edelen.

Ist uffgangen in der Kuchen:

Viere Ochsen, siben Schwyne, sechß Fercfle in die Schaleye, druzehn Kälber, zwölf Ferckelen, hundert sechs Hueuer, siebenzig acht Feldhuener;

Wildprat vor acht ℔ Hl, Vögel vor dreysig acht ℔ Hl., Fisch vor dreysig ein ℔ XB., 700 Eyer, 4 Quart Mellis, 1 Talent flom müs, poma pro *Λ K*, 2 talent amydum, granata 8 ℔ X d. (*), 40 talent amygdalarum, 6 talent piperis, 15 talent Risi, 4 talent Zinziberis, 16 talent rosimar.

An Wyne.

Reinßal ßueß (?). Elsasser. Fränckisch. Franzosisch.

Bruesten (?)

Post feriam quartam Januarii, qua die D. Boemundus cum aliis Electoribus cum Ruperto duce Bavariae comederunt, noluit Imperator, ut Principes deinceps festivarent.

Uff Sontag den zehenden January, hait Kaiser Carle der IIII. zu Nurenburg in Majestate gesessen, und by ihrer Keiserlichen Majestät die sechs (**) Churfürsten, sambt anderen Fürsten, daselbst ist die guldene Bullen publicirt worden. —

Was Erzbischofe Boemundt an dene Kayserliche Hofe hat gegeben.

Cancellario, XX marcas argenti. Magistro Curiae, X marcas arg. Marschallo et aliis officiis, XXX marcas arg.

Familiae cancellarii et scriptoribus suis X ħ.

Herwito ingrossanti privilegia Domini IIII ħ.

Apponenti sigilla imperialia ad duas literas privilegiorum Domini II ħ.

Pro serico clamo et nigro X ħ.

Pro bulla aurea quae adhuc habetur in Ehrenbreitstein XXV ħ.

Magistro curiae de propina C. ħ.

Hostiariis Imperatoris, XX ħ.

Hostiariis Imperatricis, X ħ. (***)

In demselben Jahr 1356 ist Erzbischoue Boemundt mit 109 Pferden mit Keiser Carl gehn Metze geritten.

Feria quinta XVII. Novembris circa horam vesperarum, intravit D. Imperator cum Imperatrice, et cum eis Boemundus civitatem Metensem, quibus obviarunt cives Metens. cum magna multitudine usque in pontem Oruam, ubi Imperatori tradiderunt claves civitatis, et prope civitatem ad dimidium milliare occurrerunt ei Praelati, Religiosi et Clerus civitatis, et eum cum processione et honorifice in civitatem conduxerunt.

Dominica die Nativitatis Christi festivavit in habitaculo facto Campasculhe, Curiam suam primam solempniter tenendo: cum Imperatore comederunt Imperatrix, D. Theod. Epus Alba-

(*) Has res ex Msto accuratissime enotavimus.

(**) Nota marginalis Msti. „Ihre Maj. ist der siebente Churfürst ut rex Bohemiae.“ —

(***) De monetarum valore tempore Boemundi II., vide Nelleri opus s. t. Kurtzer Unterricht von denen Alt-Römischen, Fränckischen, Trierischen ꝛc. ꝛc. Pfennigen und Helleren ꝛc. ꝛc. Trier, 1763. — Adde librum: Die Trierischen Münzen, chronologisch geordnet und beschrieben von J. J. Bohl. Coblenz, 1823. —

nens. S. R. Eccles. Cardinalis Petragoriens., Carolus Regis Franciae primogenitus, Normandiae Dux ac Delphinus Viennens., Principes Electores et alii Principes, Barones, Nobiles et multi.

Ubi principes Electores, eorum quilibet, officium suum quod habet ab Imperio, exercuit illa die. Ipsa die Nativitatis Christi Carolo IIII. Romanorum Imperatore semper Augusto curiam suam primam Imperialem Metis in praesentia Electorum Imperii, D. Cardinalis, ac Delphini plurimorumque Principum, magnatum ac statuum Imperii solempniter celebrante, Boemundus Archiepiscopus Trevirensis, officium Archicancellariae suae Regni Arelatensis et Galliae praedictae, primo cum Moguntinensi et Coloniensi Archiepiscopis conjunctim, in baculo argenteo, deinde solus in collo suo, in deferendo, custodiendo, et emittendo ad Curiam Imperialem, sigillis Imperialibus, ac omnia alia et similia juxta tenorem privilegiorum Imperialium ac Regalium praedictorum, prout moris est, instruendo, et cum ea qua decuit reverentia, fideliter, diligenter, atque legaliter exercuit et instituit.

Ipso die in Majori ecclesia Metensi Missam celebravit. —

Illo ipso die sunt promulgatae leges aureae Bullae annexae, quae incipiunt: Si quis cum principibus militibus etc. etc. (*).

Sabbatho 1. Januarii fuit cum Imperatore Boemundus navigio ad Didenhoven.

Dominica 5. Januarii equitavit cum Imperatore ad Lützelnburg. Feria 3tia, 10. Januarii recessit Boemundus ab Lützelnburg, et rediit ad propria. — —

AD CAPUT CCLXXII.

— Juxta sacri concilii Trevirensis statutum.

Vide Statuta provincialis Concilii Trevirensis, Balduino Archiepiscopo praesidente, anno 1310., et potissimum cap. 1. de justitia servanda — cap. 3. de violatoribus ecclesiarum — cap. 9. de executionibus testamentorum — cap. 37. de ultima voluntate — cap. 55. de retinentibus bona praedecessorum — cap. 62. de testamentis exhibendis, et capita quatuor sequentia.

Editio hujus celebris Concilii princeps, absque nota anni, loci et typographi, sed certe Treviris circa 1478 in 4to impressa, omnibus hactenus ignota mansit Conciliorum nostrorum editoribus. Bibliographi quoque omnes nullam hujus incunabuli typographiae mentionem faciunt. Exemplar fortasse unicum asservatur in bibliotheca nostra Trevirensi.

Editio secunda hujus Concilii cum Ordinario Bulduini perfecto (secundum ecclesiam et dioecesin Trevirensem per totum annum) in lucem prodiit Coloniae per Hermannum Bongart, absque nota anni, sed circa finem saeculi XV., in 8vo min. — Nellerus noster suo exemplari, quod jam in blibliotheca Trev. asservatur, notam hanc adscripsit: Liber rarus, valens uncialem.

Editio tertia in 4to excusa est Coloniae per Jasparum Gennepaeum anno 1549. Haec etiam editio rarissima est. Continet vero, praeter Balduini Concilium, illa sub Theoderico Archiep. de anno 1238., sub Ottone 1423., et sub Joanne 1545. et 1549.

Martene (Thes. nov. Anecdotorum, T. IV. pag. 235. sqq.) hanc synodum descripsit

(*) In conventu Principum Metis habito (narrat Trithemius in Chron.-Hirs.) „Carolus Bullam dictam „auream conscribi fecit et confirmavit.“ — Minus accurate hic loquitur Mosellanus noster: siquidem Carolus Imper. nonnisi capita ultima Metis promulgavit.

ex tribus mss. codd. Vir doctissimus addit hanc notam: „Hoc concilium olim typis manda„tum fuisse, monuit me eruditus Stephanus Baluzius; sed illa editio manuscriptis ipsis „est rarior, adeo ut omnes hactenus fugerit Conciliorum editores.“ Sed quaenam ex illis tribus antiquissimis et rarissimis impressis Baluzio nota fuit? — Martene (Op. cit. p. 183. sqq.) quoque typis exscribendum curavit Concilium sub Theoderico Archiep. anno 1238. celebratum.

Lunig (in suo Spicilegio ecclesias.) Balduini Concilium ex editione Marteneana reimpressit. Mansi (Collectio ampliss. Concil. ad annum 1310.) idem fecit. — Apud Honthemium leguntur haec statuta provincialia Balduini in Tom. II. Hist. Trev. dipl. p. 42. sqq. — Honthemium secutus est Hartzhemius (Concil. German. T. IV.); hic autem false asserit, Honthemium hanc synodum edidisse ex codice Treviris impresso, anno 1549; cum tamen hujus anni editio Coloniae sit impressa: eam ergo nunquam viderat Hartzhemius. — Praeter has editiones, plures quoque codices Msstos hujus Concilii possidet bibliotheca Trevirensis. —

— Desideratur adhuc editio integra et critica synodalium et provincialium Conciliorum Trevirensium, eorum potissimum, quae annis 386., 922., 927., 948., 1037., 1071., 1107., 1112., 1133., 1136., 1140., 1142., 1148., 1152., 1227., 1231., 1234., 1238., 1263., 1289., 1290., 1310., 1423., 1502., 1548. et 1549. celebrata sunt.

Verum, sentire et desiderare illud quo opus sit, saepe facile est, facere non aeque. Animadvertimus enim, hanc rem esse satis difficilem, imo quae videtur fieri non posse, cum decreta integra plurimorum Conciliorum, paucis exceptis, in hucusque cognitis horum temporum monumentis nullibi memorentur; desunt ergo fide digna testimonia.

Cave (Script. ecclesiast. hist. liter.) notat Concilia Trevir. nonnisi tria, annorum scilicet 386., 948. et 1148. —

AD CAPUT CCLXXIII.

— Priorem Carthusiensium, Johannem nomine — abbatem ad sanctum Mathiam fecit. —

Perturbatam fuisse hoc tempore magis magisque apud Benedictinos monasticae vitae rationem, certissime constat. (Vid. Balduini chartam supra relatam). Etiam Cistercienses videntur egisse remissius, et, ut monet Nomasticon Cisterciense, paulatim inter fluctuantes Reipublicae Christianae procellas naufragium passos esse. — Anno 1422 (scribunt Broweri Annales Mssti.) conventus 57 Abbatum Benedictinorum celebrabatur Treviris in coenobio S. Maximini, pro monasteriorum reformatione.

Asservatur in bibl. publ. Trev. charta, continens mandatum pro monasteriorum reformatione a Cardinali Juliano, apostolicae sedis Legato, Joanni Rode, Abbati ad S. Mathiam, datum 1. Junii 1431. – Haec charta non legitur apud Honthemium.

Ex Cod. Ms. Trev. nunquam typis impresso, in additamentis ad cap. 86. (Vol. I.) laudato, sequentia evulgamus:

„Hinc quia multa pater (*) gessit dignissima lectu
„Et scitu, prima repetens ab origine cuncta
„Latius ut fas est, ejus volo facta referre.

(*) Johannes Rode, celebris ille monasteriorum S. Benedicti reformator.

„O vetus urbs celebris veterum ratione dierum,
„Relligione, fide, pietate celebrior autem,
„Gaude, quae talem nutristi Trevir alumnum.
„Ex te par etenim partus non exiit unquam,
„Seu praeterlapsos quisquam consideret annos,
„Seu circumspiciat praesentia sive futura
„Tempora, nemo tuo similis nascetur alumno.
„Roma proinde potens docto Cicerone triumphet,
„Mantua Virgilio, Sulmo Nasone, Catullo
„Se jactet Verona suo: tu Trevir alumno
„Sancta tuo gaude, res gaudia postulat aequa.
„Sed nunc propositum coepto sermone premamus. —
— — — — —
„Ad res majores animum convertit honestum;
„Nam vitae meritis poscentibus illud in urbe
„Canonici nomen sedemque Metense meretur,
„Sicut et hic sancti Simeonis in aede decani.
„Temporis accessu Trevirensis curia demum
„Officialis ei partes et nomen et omen
„Committit, quos ille tamen, res mira profecto,
„Suscipit invitus (dignus licet esset) honores.
„Post modicum tempus vani pertaesus honoris
„Et tituli — — — — —
„Civibus antiquae mirantibus omnibus urbis,
„Fit monachus pauper, sese pietate trahente,
„Ordine suscepto, cujus tu nosceris author
„Bruno; prioratus paucis abeuntibus annis
„Officium hinc, quamvis invitus ut antea grande
„Officialis onus susceperit, suscipit: inde
„Otto Trevericae florentis episcopus urbis,
„Scitu pontificis Martini nomine quinti,
„Praedicta de sede virum claustroque removit
„Albani, nostraeque (*) patrem determinat aedi.
— — — — —
„Maximus interia pietatis et artis amator,
„Scripturaeque sacrae cultor non transigit annos
„In lusu luxuque suos, sed mente levatus
„Altius ad coelos ipsos, meditatur, ad instar,
„Quae timet accipitris venientis rostra, columbae.
„Et libros multos coelesti dogmate plenos
„Sollers componit doctrinae pignora magnae.
„Impiger hic etiam sexus utriusque reformat
„Claustra per externos fines partesque remotas,

(*) i. e. monasterio ad S. Mathiam.

„Sacri concilii (*) jussu — — — —
„Jamque monasterii mores cujusque malignos
„Et ritus, quos nemo probat, nisi solus iniquus,
Ille reformavit, claustro dans cuique vigorem. —

In Calendario et Necrologio antiquo Ms. Trevir. Carthusiae, modo Biblioth. Trev. No. 1005 sig., legimus: „Joannes Rode, Trevir, pater venerandi domini Joannis Rode abbatis in „S. Mathia habet aniversarium perpetuum in calendario pergameno conscriptum cum uxore sua „Catharina, et filiorum ac parentum, et pro quibus desideraverunt sub die nona Septembris. „Obiit hic pater, nominatus Vernesen Sohn, anno Domini 1434, aetatis 113., natus anno 1321. „Cujus filius nomine eodem nominatus, videlicet Joannes Rode, ex officialatus et decanatus „sancti Simeonis, ecclesiae collegiatae in Trevirensi urbe, officiis relictis; primo Carthusianum „induit in domo S. Albani Martyris ad Treviros, dein Prioratus munus haereditavit jure capi„tuli generalis, demum abbas S. Mathiae extra urbem Trevirensem creatus est. Obiit anno 1439., „die prima Septembris, quinque circiter annis post patrem suum.“ —

Mstum olim St. Mathianum, modo bibl. Trev., No. 2092 sig., haec habet: „Vixit in ab„batiali dignitate annis circiter decem et novem, extinctusque est in oppido Montaburensi, re„vectusque est ad monasterium anno 1439. Kal. Decemb., sepultusque ante aram S. Stephani „Prothomartyris, cum sequenti epitaphio:

„Hac jacet in tumba Vas Ordinis, alta columna,
„Abbas donatus, Joannes Rhode vocatus.
„Collectis membris prima succumbit Decembris,
„Trigesimo nono C quater M quoquo solo.“ —

— — Nec in codd. Mss., neque in edd. Gestorum Ottonis de expulsione Judaeorum sermo est; sed facti veritas confirmatur per alia documenta antiqua. Legimus versiculos marginales in quibusdam msstis Trev., hujus argumenti:

Decembris luce, quae sit penultima, cerne,
Praesulis Ottonis praecepto carpitur omnis
Judaeus totam per dyocesim Trevirensem.

Et alio loco:

Repulit Judaeos per diocesim pharisaeos.

Confer etiam versiculos in Gestis Rabani. — De Ottone haec scribit Hermannus Kornerus in Chronico ad an. 1419.: „Fuit vir magnae prudentiae et probitatis. Hic confirmatus „in archiepiscopum omnes Judaeos de sua provincia expulit, magis eorum exhorrens malitias, „quibus suam dioecesin macularent, quam ponderans lucrum vel commodum, quod ex eis „habere potuisset. Bona vero eorum confiscavit, restituens cuilibet XXX. denarios in memo„riam venditionis Christi pariter et vindictam. Reddidit etiam pignora circa eos inventa omnibus „debitoribus eorum, quae ipsi pro mutuis a Christianis acceperant, postulans ab eisdem de„bitoribus solam summam a Judaeis ipsis concessam.“ —

Trithemius noster (Annal. Hirs. ad an. 1418. (1419.) aliam hujus persecutionis causam exponit his verbis: „Hic (Otto) mox ut est Archiepiscopus ordinatus, Judaeos omnes civitate „Trevirorum fecit expelli cum rebus et parvulis eorum, quorum nullus Trevirim reversus est „usque in praesentem diem. Erant autem eo tempore in civitave Trevirorum abundantes Ju-

(*) Basiliensis.

„daei, propriam et clausam haud procul a foro habentes plateam, quae et hodie exstans nomen „habet Judaeorum. Causam eorum expulsionis breviter notamus.

„Cum junior esset memoratus Otto, et simplex ecclesiae Trevirorum Canonicus, nulla „tenacitate ligatus, plura quam solvere potuit aliquando, fortassis mutuo accepit. Quadam „igitur vice indigentia pressus pecuniarum, Judaeorum petivit auxilium, promittens eis fideliter „omnia mutuata redditurum. Judaei autem, qui prodigalitatem hominis noverant, nihil ei mu-„tuare voluerunt; iratus ille juravit dicens: Juro per Deum, si eam potestatem ali-„quando assecutus fuero, Judaeos de civitate expellam! Post plures igitur annos, „cum in Archiepiscopum esset electus, Judaei et suae denegationis et juramenti illius non „immemores, aureorum nummorum non modicum pondus in sportula fusum, pomis, nescio „qualibus, opertum ad eum pro congratulationis officio miserunt, rogantes, ut illud benigno „acceptet animo, brevi recepturus ampliora, quibus ille respondit: Ite ad patibulum cum „donis et muneribus vestris, quoniam ego, quod mente statui, Deo mise-„rante perficiam. Post paucos deinde menses omnes Judaeos expulit e dioecesi tota.“ —

Conf. Brow. Annal. II. p. 267.

AD CAPUT CCLXXV.

— Ideo factus est inimicus Trevirensium etc. etc.

Nobis ad manus venit ex tabulario civitatis nostrae fasciculus actorum Mss., exhibens turbulentissimam ea tempestate electionem Archiepiscopi Trevirensis, tum historiam obsidionis urbis nostrae per dictum Ulricum, quaerelas etiam a civibus Trevirensibus Imperatori et patribus Concilii Basiliensis contra Ulrici conatus praesentatas. Publicavimus illa in saepe dictis foliis (Triersche Chronik, 1824.) —

Hocce loco silentio praeterire nolumus diploma quoddam, a dicto Ulrico signatum in festo S. Walburgis anno 1436., in forma urphedae, hucusque nondum typis editum, hujus argumenti:

„Wir Ulrich von Gots gnaden, erwelt zu Triere, bekennen vor uns, unsere Helffere, „Helffers Helffere und alle die unseren, also als Wir von des Stiefftes wegen von Triere in „verbinden Zyten zu Vyantschafft können gewest sin, und der veste Wilhelm von Staffel (*), „zo der Zyt unser Marschalck, von unseren und des Stieffts wegen Vyant worden, was der „Statt und Ingesessener zo Triere, und willicher Feheden der allerdurchleuchtigster hochge-„bornester und unerwintlicher Fürste und Herre Sigmund von Gots gnaden Romischer Kaiser „etc. etc., Unser allerliebster gnedigster Herre, und zo allen Partheien eynen Friedden geboit, „durch willig (**) geboit Wir den egenannten Inwohneren und Statt von Triere eine starcke, „gute, faste und stete Sone (***) gegeben hain, und in Crafft dies Brieues geben vor Uns, „Wilhelm von Staffel vurgenannt, unserer beyder Helffere und Helffers Helffere, und allen der „unseren, sonder alle Argelist und Geuerde: und diss zu gezuege (†), so hain Wir Ulrich ob-„nannt, vor Uns, Wilhelm von Staffel vorgenannt, unserer beyder Helffere und Helffers Helffere, „und alle die unsere, unser Ingesiegell an diesen Brieue doin hencken, der gegeben ist an Sante „Walpurgis tag, in den Jaren unsers Herren vierziehen hondert und sechs und dreyssig Jars.“ —

(*) Conf. quae enotavimus ad textum, ex Kyriandro.

(**) Durch welches Gebot. (***) i. e. Sühne, Friede. (†) Zeugniß.

— Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto relaxatum est interdictum papale etc.

De hoc interdicto Kyriander (l. c. p. 261.) notat haec: „Sed a civitate Treveri excludebatur (Udalricus) et obnoxius erat atrocibus edictis ecclesiasticis, quae Rabanus anno Chr. „1432. d e Veneris ante palmarum publicaverat et senatus populusque Trevirensis sancte cole„bat.“ Quo anno et die hoc commune scandalum in civitate nostra cesserit, de hoc silet praefatus auctor; neque Hontheimius de hoc vel aliquid memorat. Browerus autem (l.c. II. p. 277.) hoc interdictum die 26. Decemb. an. 1436. revocatum esse asserit; sed haec excommun catio perduravit usque in annum 1437., ut clare demonstrat bulla Concilii Generalis Basiliensis, quam hucusque ineditam, ex originali charta hoc loco notam facimus. Est autem hujus sententiae:

„Sacrosancta Generalis Synodus Basiliensis in Spiritu Sancto legitime congregata, univer„salem ecclesiam repraesentans, ad futuram rei memoriam.

„Dilectis ecclesiae filiis Proconsulibus, Consulibus et communitati civitatis Treverensis sa„lutem et omnipotentis Dei benedictionem. Humilibus supplicum votis, illis praesertim, quae „divini cultus augmentum, et animarum salutem, ac decretorum nostrorum proinde editorum „manutentionem respiciunt, libenter annuimus, ac ea plenis favoribus confovemus, et ut opta„tum sortiantur effectum, opem libenter et operam, quantum cum Deo possumus, jugiter „impartimur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, „saepe contingat, civitatem vestram Treverensem pro eo ecclesiastico subjici interdicto, quod „nonnulli judices seu commissarii, tam a sede apostolica, quam etiam generalibus conciliis, „vel eorum legatis deputati, quam etiam locorum ordinarii, diversas personas extraneas ad „dictam civitatem accedentes, et causa inibi eorum negotia expediendi deviantes, ac etiam inibi „degentes, excommunicationum sententias innodarunt, vel alias personis eisdem est ingressus „ecclesiae interdictus, quandoque etiam in dictorum judicum commissariorum processibus, vel „provincialibus et synodalibus constitutionibus, prohibitione adjecta, ne in dicta civitate etiam „post recessum talium personarum excommunicatarum vel interdictarum, per nonnullos dies „seu menses divina officia celebrentur, absque tamen Proconsulum, Consulum et communitatis „praedictae Trevirensis, seu etiam singularium ipsius civitatis culpa, propter quae divinus cul„tus diminuitur, et cum animarum periculis populi lentescit devotio in civitate memorata. Quare „pro parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de opportuno remedio „dignaremur. Nos igitur, qui cultum et devotionem hujusmodi augeri, et animarum pericula „eliminare intensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut, postquam „hujusmodi personae quacunque etiam auctoritate excommunicationis ictis ligatae sententiis, et „quibus ecclesiae pro tempore interdictus fuerit ingressus, ut praefertur, civitatem ipsam ex „quavis causa accesserint, etiam lares proprios foventes, sive moram trahentes inibi, ab ipsa „civitate sine fraude recesserint, seu evectae fuerint, et dummodo etiam vos, aut communitas ipsa „et alii cives interdicto hujusmodi causam non dederitis, ac ipsa civitas interdicto hujusmodi „supposita non fuerit, nec id illius clero, aut Proconsulibus, Consulibus, communitati et „civibus, specialiter interdici contigerit, per clerum hujusmodi in singulis illius ecclesiis, mo„nasteriis et capellis, ac aliis Deo dedicatis locis excommunicatis et interdictis hujusmodi, de „eisdem ecclesiis, monasteriis, capellis, aliisque piis locis, aut civitate praedictis realiter et „zine fraude evectis vel exclusis, hujusmodi officia, alias rite campanis pulsatis, apertis januis, „et solenniter resumi atque celebrari; necnon utriusque sexus personis inibi eucharistiae et

„alia sacramenta ecclesiastica ministrari, ac corpora decedentium ibidem ecclesiasticae sepul-„turae tradi libere et licite posse et debere; alias decreti nostri, de interdictis de facili non „ponendis, proinde editi forma servata, vobis et eidem clero, auctoritate universalis ecclesiae, „tenore praesentium, indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri in-„dulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis antem hoc attemptare praesumpserit, „indignationem omnipotentis Dei, et universalis ecclesiae se noverit incursurum. Datum Basi-„leae V. Id. Augusti, anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.“

De Concilio Basiliensi silent Gesta Trevirorum, aeque ac de Sanctione pragmatica Germanorum. In his duobus illius aevi gestis memorabilibus neque Treviros nec eorum Archiepiscopum peregrinos fuisse, jam liquet ex praefixo diplomate. Constat vero et ex aliis documentis, quorum aliqua hocce loco designare volumus, scilicet: Literae credentiales Synodi Basil. ad Archiep. Trev. 25. Febr. an. 1441. transmissae (Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 390.) — Ejusdem Synodi invitatio ad eundem Archiep. Jacobum, 5. Dec. an. 1446. (Ibid. p. 406. sq.) — Porro dictae Synodi mandatum 2. Id. Febr. 1437. ut abbates monasteriorum O. S. B., Coloniensis et Trevirensis dioecesium, veniant ad capitulum generale Coloniae in monasterio S. Panthaleonis, ad morum reformationem, congregandum. Haec charta authentica non legitur apud Hontheimium; asservatur vero in Collectione chartarum biblioth. Trevir. (Capsula C No. 7.). — Literae commonitoriae (origin ales et hucusque incognitae) hujus Synodi, datae Pridie Cal. Aug. 1437. ad Senatum urbis Trevericae, quibus civitati Trevirensi, sub poena interdicti et excommunicationis, actus violenti et depraedationes contra clerum prohibentur. (Ibid. Caps. E. No. 8.) — Memorandi et hic sunt duo Mosellani, Johannes de Lisura, in consiliis tum Moguntini Archiepiscopi, et Nicolaus Cusanus, qui cum strenuos diu libertatis ecclesiasticae propugnatores egissent, auri aut honorum tandem dulcedine capti, a Concilio Basiliensi ad contrariam partem defecerunt. Res occultis artibus (scribit Koch, Sanct. pragm. p. 24.) acta est et, cum diu incassum laboraretur, opitulante demum regina pecunia, victrix Eugenii Pontificis causa evasit. „Haec (pecunia) „inquit Aeneas Sylvius (in Historia Frid. III. Imp. apud Kollar. Tom. II. p. 127.), domina „curiarum est, haec aures omnium aperit, huic omnia serviunt. Haec quoque Moguntinum „subjugavit. Non quod ipsi (Archiepiscopo) quicquam promissum sit, sed inter quatuor ejus „consiliarios duo millia florenorum Rhenensium erogata fuerunt.“ Haec Aeneas, post Pius II. Papa, confessus est. — — Conf. infra pag. 30.

AD CAPUT CCLXXVII.

— Apud Treviros Gymnasium etc. etc.

Universitatis Trevirensis instituendae negotio, quod a Jacobo Archiepiscopo, ut in nota marginali diximus, inchoatum adhuc jacuerat, Joannes Badensis novum dedit vigorem. Re cum Senatu communicata utrinque placuit, ut Archiepiscopus, acceptis a civitate duobus aureorum millibus, academiam cum chartis olim a Nicolao Pontifice datis, in fidem Senatus potestatemque traderet, et novas insuper a Sixto IV. Pontifice literas impetraret, quae ea ipsa sancirent, quae veteribus erant tabulis consignata.

Anno igitur ad exitum vergente, confecta argenti summa, legati civitatis Trevericae Confluentiam profecti pecuniam Praesuli numerarunt, atque inde a Joanne duorum millium aureorum apocham retulerunt, signatam Confluentiae mense Februario exeunte, anno Christi M. CCCC. LXXII. more Trevirensi.

Haec apocha Browero quidem nota erat, sed nec ille in suis Annalibus, neque alia rerum nostrarum diplomataria hanc chartam exhibent, quam bibl. nostra Trevirensis modo possidet (Cap. E. No. 12.) Est autem illa, accuratissime descripta, hujus argumenti:

„Wir Johann von gots gnaden Ertzbischoff zu Trier des heiligen Romschen Riichs in Wel-„schen Landen etc. Ertzkantzler vnd Kurfurste tun kunt vnd bekennen vffentlich an diesem brie-„ue; So als eyne bereddunge gescheen ist zuschen vns vnd der Ersamen wiisen vnsern lieben „getruwen Burgermeister, Scheffen vnd Raide vnser Stat Trier. Also das eyn generaelle „Studium (*) zu Trier sal vffgericht vnd angestalt werden, vnd dargegen dieselben von Trier „vns eyne somme gelts Zweiitusend gulden sollen geben vnd vernoegen, nemlich an gereitem „gelde zwolffhundert gulden vnd darzu eynen vnsern brieff sprechende funffhundert sant Jacobs „Spitale bynnen Trier entslahen vnd vns den widdergeben, vnd uff die versessen pensie die „sich leuffet umb die druhundert gulden vngeuerlich verziihen. So bekennen wir vur vns vnsere „nakommene vnd Stiffte in crafft diess brieues, das die gemelte Burgermeister, Scheffen vnd „Raid vnser Stat Trier vns eyne gantze gude bezalunge vssrichtunge vnd vernugunge getaen „haben der egemelten zwolffhundert gulden vnd auch den brieff von sant Jacobs Spitale uber „die funffhundert gulden widdergeben vnd zu vnsern henden gestalt. Auch die druhundert gulden „versessener pensien quiit gelaissen. Vnd wir sagen alsdarumb die benant von Trier solcher „sommen zwolffhundert gulden vnd auch des ytzgemelten brieffs vnd der pensien quiit ledig „vnd loiss vur vns vnd alle vnsere nakomen. Vnd dargegen so hain wir den vurgenant „Burgermeistere, Scheffenne vnd Raide unser Stat Trier vbergeben vnd zu yren henden ge-„stalt soliche Bulle so loblicher gedechtnisse pabst Nicolaus der funffte vnserm nehsten vurfaren „Ertzbischoff Jacoben seligen vber das generale Studium zu Trier verluwen vnd gegeben hait. „Wir sollen auch darzu an vnserm heiligsten vatter dem pabst vnd an andern enden, da des „noit syn wirdet, werben eine nuwe bulle darinne sehsze beneficia vnd drii kirchen dem Studio „incorporert werden in der besten forme, vnd konden noch zwoe kirchen zu den driien er-„langt werden (**). Darinne sollen wir auch gantzen flisse tun, vssgescheiden hierinne alle „geuerde vnd argeliste. Vnd des zu vrkunde hain wir vnser Inngesiegel tun hencken an diesen „brieff. Der geben ist zu Couelentz vff Montag nach sant Valentins tage nach Christi geburt Tusent „vierhundert siebentzig vnd zweii Jaere nach gewoinheit zuscriben in vnserm Stiffte von Trier."

Hoc responso accepto, Magistratus literis studiorum exordium publicat et recognoscit privilegia Trevir. Universitatis instar Coloniensis. Ex cod. Msto bibl. Trev., No. 1188. sig., qui statuta Juridicae facultatis complectitur, hic adhuc aliqua inedita scriptoris coaevi et quidem testis oculati (***) adjicere, operae pretium nobis esse videtur. Sermo est de definitiva Universitatis institutione.

(*) Universitas hocce loco venit sub nomine Studii generalis, sic et in titulo fundationis per Nicolaum V. Pontificem (2. Febr. 1454.) — Gesta vero dicunt: Gymnasium.

(**) Unio beneficiorum nonnisi postero tempore facta est, singulari scilicet sollicitudine, quam in promovendo Universitatis splendore Joannes a Metzenhausen exhibuit. Bullam unionis de 5. Octobr. 1532 a Rom. Pontifice accepit (Honth. Hist. Tr. dipl. II. p. 628. sq.) Tum idem impetravit ab eodem Clemente VII. de 30. Dec. 1534. facultatem, ut ex Abbatiis urbi adjacentibus unum alterumve Theologiae magistrum ali curet. (Honth. l. c. p. 631. sq.)

(***) Alia hujus argumenti paulo prolixiora, de introductione scilicet studiorum Universitatis, in Instrumento Henrici de Ligno Notarii publici legimus, quod Honthemius noster ex Fastis Academicis imprimi fecit (Hist. Trev. dip. II. p. 898. sq.). —

Charta haec continet: „Alma et inclyta Universitas Trevirensis, ut urbs ipsa, omnium „fere antiquissima, ita ut de prima ejus institutione et origine vix dum constet, variis rerum „ac temporum periculis, injuriis ac perturbationibus mire vexata et collapsa, suisque juribus, „privilegiis, fundationibus, censibus, proventibus et institutis plane exuta et spoliata, sem- „per tamen aliquod vestigium et memoriam sui reliquit. Post multa demum tempora, meliore „ac tranquilliore refulgente rerum tempestate, cum in hac provincia ac civitate Trevirensi ho- „mines literarum studia redamare et prosequi inciperent, de restauranda et restituenda Uni- „versitate, studiorum matre, agere coeptum est. Itaque anno Dominicae incarnationis mille- „simo quadringentesimo septuagesimo secundo, sub pontificatu Sixti divina providentia Papae „quarti, die siquidem decima sexta mensis Martii, convocatis ac praesentibus omnibus et singulis „dominis Doctoribus, Licentiatis, artium Magistris atque Graduatis in majori ecclesia Trevi- „rensi, reverendisque patribus dominis Abbatibus, religiosisque viris Prioribus SS. Maximini „et Mathiae monasteriorum, quatuor ordinum mendicantium conventualibus, nec non majoris „et SS. Paulini extra et Simeonis intra muros Trevirenses collegiatarum ecclesiarum Praepo- „sitis, Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Vicariis, Altaristis, atque ecclesiae B. Mariae Vir- „ginis Trevir. Praebendatis; ac etiam Consulibus, Proconsulibus, Senatoribus, Scabinis, aliisque „plurimis sexus utriusque hominibus, decantatum est sacrum missae officium de S. Spiritu per „totum, ut in die festo Pentecostes, cum cantico Alleluja solemniter, quadragesimali tempore „non obstante, et pulsata sunt organa, sacrificante in pontificalibus reverendissimo domino Thoma „Episcopo Lexoviensi (*), utriusque Jur. Doctore, cum aliis quam plurimis ceremoniis prae- „euntibus et subsequentibus. Quibus peractis electus est in refectorio majoris ecclesiae Trevi- „rensis in almae Universitatis Trevirensis Rectorem magnificum venerabilis vir Magister Nicolaus „Ramssdonck. Qua electione facta dominus Episcopus Lexoviensis praenominatus, atque „Praepositus majoris ecclesiae Trevirensis, una cum Doctoribus, artium Magistris atque Gra- „duatis, ac etiam Proconsulibus, potioribus et dignioribus urbis Trevericae, novum hunc electum „Rectorem almae hujus Universitatis Trev. magnifice, honorifice et jucunde ad domum consu- „latus dictae urbis duxerunt, ibidem cum eo convivantur et laetantur; et sic Universitas haec „restaurata est, et paulatim vires resumere coepit.“ —

In eodem Msto exhibentur primi J. U. Doctores et Professores; hoc scilicet modo:

1) „Ludolphus de Enschringen, artium Magister Erfordiensis, Decretorum Romanus, „legum vero Ferrariensis Doctor, et primus in studio Treuir. Juris civilis lector ordinarius, „primusque ab Universitate deputatus Rector parochialis ecclesiae in Epternaco, Decanus eccle- „siae S. Paulini.“

2) „Thomas Basinus, natione Normannus, humani studii peritissimus, artium liberalium „Mag. Parisiensis, Decretorum Lovaniensis, legumque Papiensis Doctor. Juris Canonici lector „ordinarius effectus apud Normannos in Gallia. Deinde ad ecclesiam Lexoviensem intra pro- „vinciam Rothomagensem Episcopus promotus extitit, et apud Ludovicum Francorum Regem „authoritate maxima erat. Demum cum tyrannidem et perfidiam, quae tunc Francos invaserant, „timeret, relictis Galliis, exulare coepit, et apud Lovanium Brabantiae ac Basilaeam aliquandiu „moratus, Treuiros veniens ibi quinquennio mansit, maximumque decus et urbi et studio attu- „lit, infra quod tempus Romam repetens, ecclesiae Lexoviensi in manibus Sixti Papae renun- „tiavit, et titulum Archiepiscopi Caesariensis assecutus est. Post vero Lovanium humanissimus

(*) Vid. infra.

„senex repetiit, qui ad extremum in urbe Trajecto inferiori degens diem summum obiit, et in „choro eccles. colleg. S. Jois ibidem sepultus est."

3) „Joan. Lelcher de Epternaco, Decretorum Doctor Paduanus, qui longo tempore in „statu saeculari advocatus consistorialis et scabinus Treuirensis extitit, postea Carmelitarum „ordine assumpto, ibidem obiit."

4) „Paulus de Muntzdail, Praepositus eccles. colleg. S. Mariae in Flanheim, ac ple- „banus parochialis eccles. in Crucinaco Mogunt. dioec., Decretorum Doctor, post apud Treuiros „Carthusianus factus, ibi obiit."

5) „Matthias Friburger de Sarburgo superiori, qui Heidelbergae artium magistratum „adeptus, Erfordiae in iisdem artibus diu rexit, ibique utrique Juri studuit, atque demum in „provecta aetate Bononiae Decretorum Doctor effectus, in hoc Treuirensi studio primus post „restaurationem Juris Canon. ordinariae lectionis cathedram tenuit, demum Bononiae obiit."

6) „Daniel de Kellenbach, artium Magister Coloniensis et Decretorum Doctor Se- „nensis, ac Canonicus Capitularis et Custos seu Thesausrarius majoris eccl. Treuir. Sepultus „est in ecclesia Treuerensi B. M. V. ante altare S. Crucis. Obiit anno 1482. 20. Sept." —

AD CAPUT CCLXXVIII.

— Ejus tempore, ut supra tactum est, exorsa est domus gloriosae Virginis Mariae quae Clusa Eberhardi dicitur.

Sita est praefata ecclesia, cum villa ejusdem nominis, et monasterio ordinis Cononicor. Regul. S. Augustini, quod anno 1802 suppressum est, vulgo Eberhards-Clausen, 5. leucas infra Treviros. De origine hujus domus haec legimus in codice ms. ejusdem abbatiae, modo Bibl. Trevirensis No. 1276. manu fere coaeva scripto: „Cum videntes augeri munera et oblationes, „Eberhardus (*) cum suis statuerunt fundare ecclesiam circiter XXVI. passuum in longitu- „dine, in latitudine vero circa XII. Quo facto, eo quod esset annus jubileus et multitudo „Christianitatis undique cum grandi devotione conflueret ad limina Apostolorum, Eberhardus „quoque illo meavit. — Reversus autem fortiter insistit fabricandae ecclesiae et invenit glorio- „sam Virginem Mariam divitias non paucas congessisse. Circa haec tempora venit de curia „reverendissimus in Christo pater et dominus Nicolaus de Cusa, presbiter cardinalis tituli „sancti Petri ad vincula, et episcopus Brixinensis, functurus legatione sanctissimi in Christo „domini Papae Nicolai quinti, per totam Alamanniam, ut reformaret mala, quae jam increve- „rant ubique terrarum propter scisma, quod fuerat inter Felicem et Eugenium. Cumque Treverim „advenisset, et suggestum esset illi per sinistros interpretes de loco isto et autore ejus, et quod „diceretur in eo fieri miracula multa et concursus gravis conflueret; cogitans ne forte per ma- „leficia aliquae illusiones fierent et seductiones, apposuit invisere locum. Habuit autem fre- „quentes sermones ad populum et docuit eos, sicut erat egregius doctor, vir praeclari ingenii „elevati intellectus, et divinarum scripturarum serenissimus interpres. Cumque uno dierum „advenisset dominus Archiepiscopus Trevirensis, reverendissimus Jacobus de Syrck, qui „fideliter hunc locum adjuvit, et promovere disposuit, vehementer redarguit eum, quod usque „adeo locum crescere permisisset. Dissimulante illo, non diu post venit ipse, hac iter dirigens,

(*) Eberhardus rusticus, natus in pago Pisport, ante exstructionem sacelli et dein ecclesiae, stipitem infixerat terra sterili, et in ejus fastigio, quasi loculo excavato, collocaverat parvam imaginem B. V. dolorosae.

„et quod aemulis referentibus cognovit, coram vidit. Cujus adventum cum audisset Eberhardus, „posuit mensam in ecclesia, nondum adhuc perfecta, et desuper caseum et panem, et si quid „aliud habuit, pro suscipienda reverentia viri. Qui, spreto ejus edulio, indignationis fervore „mensam subvertit, Eberhardum durissime objurgavit, haereticum appellavit et tanquam vanas „novitates superstitiose praesumentem satis maxime vexavit. Timebat enim sagacissimus vir, „ne superstitiosa res esset, et fictitia cultum simularet divinum; praecepitque ut intermitteretur „ulterius aedificium, et ab opere cessatum est. Sed postea receptum est opus consumandae „ecclesiae." —

— Bibliotheca Trev. memorabilem Cusani sermonem in verba orationis Dominicae, lingua germanica scriptum, possidet (Cod. ms. No. 217. sig.), quem Treviris sine dubio eo tempore composuit. —

Conf. Trithemium (in Chron. Sponh. ad an. 1451) laudes Cusani celebrantem. Adde vero etiam epistolam Vincentii, Prioris Carthusiae Axpacensis in Austria, de an. 1451. (Pezii Thes. Anect. nov. T. VI. P. III. p. 327.) in qua hic vir religiosus non optima de Nic. Cusano ominatur; scribit enim: Non est mihi spes, quod per talem fistulam unquam benus concentus ecclesiam laetificans possit formari! — Est et erit totum negotium in tenebris perambulans! Adde notationem cujusdam Petri Numagen Treverensis (*) quam ex ejus autographo desumptam legimus ap. Freherum (Script. rer. Germ. II. p. 266. edit. Struv.), in qua de Cardinalis Cusani origine ille Petrus loquitur, eum dicens fuisse filium cujusdam pauperis piscatoris dicti Krebsheime in Cusa. Memorat etiam Joannem Lisuranum, quem socium Cusani dicit, addens: „De his duobus extat versus multum vulgatus:

Cusa, Lisura, pervertunt singula jura. Conf. quae de his viris supra dicta sunt.

AD CAPUT CCLXXIX.

— Silentio transire nolumus, eundem Archiepiscopum Johannem Badensem monasterium monialium ad S. Germanum, in historia Trevirensi non ignotum (**), quod amplius subsistere non potuit, ob, ut charta habet, tenuitatem paucitatemque annuorum reddituum valorem trium marcarum argenti non excedentium, abbatiae S. Mathiae anno 1477. incorporasse. Huins incorporationis instrumentum legimus apud Honth. (Histor. Trevir. diplom. Tom. II. pag. 461. sqq.). Narrat haec charta, eodem anno duas tantum personas religiosas in praefato monasterio fuisse superstites; erant autem secundum aliam chartam nondum typis editam, Catharina de Lungh, Magistra, et Catharina de Hosy. Circa finem instrumenti supra citati, legimus sequentia: „Insuper volumus, ut monialibus praetactis, quae pro nunc in ipso sancti Germani „coenobio existunt, quamdiu in humanis fuerint, et de necessariis victu vestituque per dictos „abbatem et suum conventum provideatur competenter, ne desolatae vitam agere in egestate

(*) Quidam Petrus de Noviomago, Mosellanus doctissimus, vixit saeculo XIV. Alius Mosellanus, Joannes de Noviomago, Vicarius generalis extitit Moguntiae primis saeculi XV. decenniis. Supra nominatus Petrus Numagen scripsit saeculo XV. exeunte. Vox Numagen hic cujusdam familiae Trev. cognomen videtur fuisse.

(**) Hoc monasterium virginale stetit antea supra S. Mathiam, in loco qui dicitur ad undas in chartis (vulgus ait: zum Hund). Transtulit illud in civitatem Henricus a Vinstingen Archiep.

„cogantur.“ Quam laute autem provisum ipsis fuerit, testatur littera consensus harum monialium, signata die 18. Augusti anni 1477., quam asservat chartularium ms. ad S. Mathiam.

Es his litteris nondum impressis haec, curiositatis gratia, hic enotare volumus: „Unser „lieber Herr der Abt und sein Convent ist mit uns gütlicher übereinkommen, uns alle Jahr so „lange wir leben, in unser Wohnung zu lieferen und zu handreichen 1) zehn Malter Korns Trie„rischer Maßen. 2) Anderhalb Fuder Weins, als das Convent zu St. Matheiß trincket, oder „XXV. Gulden dafür, so es Mißwachß wäre zu ihrem Willen. 3) Sechs Birnzeln Erbiß. 4) Drey „Birnzeln Saltz. 5) Vier Sester Butter. 6) Vier Sester Oligſ. 7) Ein Flutz Holtz. 8) Ein „Batsch Kohlen. 9) Ein Schwein von vier Gulden. 10) Ein Rindt von vier Gulden. 11) Zween „Brüling (?). 12) Zween Hämmel. 13) Ein tausend Eyer. 14) Fünf und zwanzig Stockfisch. „15) Vier hundert Häring, ein hundert im Advent und dreyhundert in den Fasten. 16) Ein „Gulden für Käse. 17) Ein Gulden für Gebücht (?). 18) Die Hühner die geopfert werden, sollen „uns verlüben (verbleiben) unser Lebtag lang. 19) Item zu allen Fronfasten drey Gulden, das „macht alle Jahre 12 Gulden. 20) Ein Garten busen der Newen Pforten, den wir auch uns „Lebtag han sollen. 21) Ein Hauß, dem Gotteshauß St. German zugehör rc. — — Wenn eine „todthalben abging, so sall der renthen, wie vorgeschrieben ist, ein Drittheil abgehen. — Und „das sall man uns liefferen in unser Wohnung bei St. German.“ —

— Generosum sane stipendium annuum his binis monialibus factum!

Tempore subsequente, anno 1499, auxiliante Ludolpho J. V. Doctore, Archiepiscopi Trevir. Consiliario, in dictum monasterium S. Germani, sacerdotes regulares introducti sunt, quos ob exemplarem vitam populus Sacerdotes aureos, goldene Priester, appellabat, quique in schola publica, Collegium sive Gymnasium S. Germani dicta, juventutem instruebant cum laude ac fructu, quorum memoria apud Treviros adhuc moderno tempore veneratur. Audiamus Joannem Badensem, Archiep. Trev., in sua charta notatu digna (quae in diplomatariis impressis non legitur) de anno 1499., die penultima mensis Octobris. Verba Joannis sunt haec:

„Joannes Dei gracia sancte Treuiren. Ecclesie Archiepus etc. etc. etc. Ad perpetuam „rei memoriam. Etsi nuper (*) Cenobium seu monasterium sancti Germani intra muros Ciuita„tis nostre Treuiren situm honorabilibus et nobis deuotis Prepositis et capitulis Canonicorum „Presbiterorum et clericorum germanie superioris in communi viuentium „donauerimus, uti in nostris desuper traditis litteris plene continetur. Quia tum in iisdem „nonnulla necessaria seu oportuna sint omissa seu obscure posita: Nos per presentes easdem „supplentes seu declarantes, memoratum Monasterium in collegium seu collegiatam eccle„siam canonicorum erigimus. Ita quod perpetuo inibi sint Prepositus et capitulum hujus„modi canonicorum, qui talem canonicam vitam rite observent, cultum divinum decenter pera„gant, habeantque inter se eos, qui sciant et valeant scolis, saltem litterariis, „seu eruditi sermonis latini, preesse, ac pueros et adolescentes in eodem „sermone bonisque disciplinis, artibus et moribus instituere et docere. „Quique scolas hujusmodi secundum ordinationes a nobis aut successoribus nostris, de pro „tempore Prepositi et capituli predicte ecclesie sci Germani consilio, rationabiliter fiendas, apud „eandem ecclesiam bene et diligenter teneant, regant et exerceant; scolaresque suos, ut pre-

(*) Donatio facta est per Archiep. Joannem eodem anno, die prima mensis Octobris, et per Antonium, Abbatem S. Mathiae, d. 9. Octobris ejusdem anni. Et haec bina diplomata non habet Hontheimius, neque Güntherus.

„fertur, instituant et doceant sub mercede seu salario competenti; possintque etc. etc. confes-„siones audire etc. etc. necnon eukaristie et extreme unctionis sacramenta (que in ecclesia „sua cum debita veneratione habere et tenere poterunt) ministrare, verbumque Dei coram populo, „instar fratrum praedicatorum et minorum predicare etc. etc. etc. —

„In quorum omnium et singulorum premissorum robur et testimonium sigillum nostrum „secretum presentibus fecimus appendi. Dat. ex arce nostra Erembreitstein, Anno Dni Millesimo „quadringentesimo nonagesimo nono, die vero perultima mensis Octobris." — —

Aliae chartae Joannis Archiep., datae ex Palatiolo, XIII Kal. Augusti 1501., et 6. Aprilis 1502. varia huic collegio concedunt privilegia. Sic scholae ad S. Germanum datur facultas „ut „possint ii, qui cum debita licentia apud dictos canonicos et clericos, praesertim studii artium „causa, commorabuntur seu stabunt, postquam in universitate studii generalis Treueren imma-„triculati (ut solet) fuerint, scholasticos actus et exercitia secundum lectiones quaslibet, siue „formales siue materiales, seu quovis alio nomine nominentur, pro assequendis Baccalaureatu „et Magisterio in artibus requisitas a magistris in artibus in nostra universitate promotis aut „saltem ibidem receptis audire sicque complere, ac si in collegiis, domibus, bursis sive lecto-„riis dictae universitatis audivissent et complessent, desuperque in universitate in Baccalaureos „et Magistros promoveri, dummodo alias idonei fuerint."

Joannis successor, Jacobus Badensis, haec privilegia confirmavit. Jacobi diplomata data sunt ex arce Erenbreitstein 14. Maji 1504., et ex arce Palatiolensi, 26. Martii 1507. — Ad calcem harum chartarum, de quibus in diplomatariis impressis nulla mentio fit, legimus haec: Petrus Maier de Ratispana Secretarius sst. (subscripsit). (Caps. K. No. 6.)

De horum sacerdotum instituto, meritis, et tandem fato post adventum societatis Jesu in Treviris, videatur Enen (Epitome Cestorum Trevir. fol. 60. — Jac. Meelbaum (Sylv. academ. cap. XXIX. p. 178.) — Hontbemius (Historia Trevir. dipl. Tom. II. pag. 325. — §. IX. 461. seq. 544. §. XIII. et pag. 568. — Tom. III. pag. 20 et 26.). —

Anno demum 1569. facta est cessio (Cod. ms. dipl. Trev. Vol. II.) hujus domus religiosae ad S. Germanum (quondam monasterii monialium, postea paedagogii sive Gymnasii et scholae publicae Trevir.) per Abbatem, Priorem et conventum S. Mathiae in favorem studii generalis Trevirensis (*). — Anno vero 1570. occupata est haec domus per fratres Minorum Conventualium S. Francisci, quorum monasterium vetus cum ecclesia (hodie Gymnasium) tum Universitati incorporabatur.

— Vixit eo tempore, Treviris vir quidam Senatorius, nomine Nicolaus Cervinus (in chartis

---

(*) **In charta inedita Jacobi ab Eltz, Archiepiscopi Trev., 16. Maji an. 1569., legimus sequentia:** „Wir „Jacob ic. ic. thun khund vund bekennen hiemtt offennlich, nachdem der Ersam vund Geistlich vnser lieber „andechtiger Joannes Hertzig Pater in Frater hauß oder Closter zu Sanct German inn vnser „Stade Trier — bemelt, daß es sampt dem Orden gantz ound gar abgengich, also daß das Pädagogium „vnder demselben Orden, sonderlich dieweill er nunmehr desselben Ordens allein ist, des orts nit weither „erhalten werden khann, vnserer Vniversität daselbst zu Trier zu nutz vnnd gutem eingeraumbt „vnnd zugestelt; daß wir demnach gedachtem Joanni Hertzig gewesenen Pater daselbst zugesagt vnnd ver-„sprochen, vnnd thun solich in krafft dis Briffs für ons onnd onsere Nachkhome, daß wir Jme zu einer „ergetzungh zwey fuder weins jerlich im Herbst sein lebenlang auß dem Closter zu St German zu-„gehörigen weingarten zu Cuntz liefern und volgen lassen, vnnd Jme daran einigen Intrag zu thun nit „gestatten wullen. Daß zu vrkhundt haben wir vnser Insiegel an diesen Brieff thun hangen, der geben ist „auff vnserm Schloß Erenbreitstein ꝛc. ꝛc.

germ. (Clais von Zerve). Vir iste, cui quidem Deus divitias dederat, sed non simul artem illis quiete fruendi, exul a patria secessit Metas, ubi obiit. Relicta ejus vidua, Adelheidis de Beslich (in chartis: Aliheit von Beßlich Wiedfrawen etiam Wydebe) tam praeclara gessit Treviris, ut Nellerus noster in quodam Exercitio juridico, anno 1770. Treviris edito, Gesta Trevirorum ingrata nominet, eo quod praetermittant hujus insignis viduae facta atque memoriam. Delebimus interim hocce loco hanc ingratitudinis notam. Sunt autem haec memorabilia de Adelheide exhibenda:

Haec vidua bona sua impendit ecclesiis, pauperibus et civitati. Domus ejus erat pauperum hospitium, in qua tota hyeme tres focos levando eorum frigori struxerat, cibaria etiam illis praestans; in magna annonae caritate exinanivit cistas atque granaria. Stravit vias pro sacris peregrinationibus ad S. Maximinum, S. Mathiam, et SS. Martyres. — Ecclesiae majori pro condendis S. Materni ossibus donavit Adelheidis arcam argenteam. — Eidem Metropolitanae dedit duo candelabra ejusdem metalli, opere subtiliter ducto. — Ecclesiae etiam B. M. V. varias donationes fecit. — Aedificari curavit turrim S. Gangolphi in ea forma, in qua nunc est, pro perpetuis excubiis civitatis. — Magistratus urbis politici plurima debita aere liberali dispunxit, et testamenti sui, ad pias causas unice conditi, eundem magistratum constituit executorem. — — (Conf. Nelleri praefatum Exercitium p. 20. et ejusdem Dissertationem de Burdecanatu Trevirensi (1783.) p. 13. sq. —

— — Addamus porro, curiositatis gratia, ad historiam Joannis Badensis, hanc notam hucusque nullibi impressam, quam legimus in quodam Vocabulario Juris Msto (modo bibl. Trev. No. 414. sig.). Primum scilicet folium habet hoc Joannis Archiepiscopi autographum: Hic liber a nobis Joanne Electo et confirmato Treueren. scriptus manu ppria. Infra sequitur per alium hoc additamentum: „Johannes, ex illustrissimis Jacobo Marchione „Badensi et Katharina Ducissa Lothringie natus — etatis sue anno sexagesimo nono, pontifi„catus vero sui quadragesimo septimo, hunc vocabularium Juris (quem idem Rmus dns olim „manu propria conscripsit) suis charissimis in Christo fribus Priori et Conventui Vallismolarie „ex opposito Confluen. ordinis fratrum heremitar. sancti Augustini (*), ad ppetuos usus biblio„thecae eorundem, manu propria amore Jhu dono dedit, anno dni Millesimo Quingentesimo „tertio, vicesima octava Januarii (**), sub officio prioratus fris Johis Vrüheyn de Gotha, „sacre Theologie professoris. Prefuit autem hic gloriosus pontifex laudabiliter ecclesie Trever. „annis XLVI., mensibus octo, diebus VIII.“ —

— Narratur in hoc capite splendidus Imperatoris Friderici Trevirim adventus. Hac occasione panegyrim dictam esse a viro quodam multum facundo, docet nos Jodocus Damhouder, in dedicatione opusculi: Pupillorum patrocinium, editi Antverpiae 1564., his verbis:

„Avorum nostrorum memoria floruit Guilielmus Hugonetus Dominus de Saillant, praecla„ris ingenii dotibus, ac facundia vere heroica insignis, teste ejus aetatis eximio scriptore Ro„dolpho Agricola Phrisio, ut qui in celeberrimo illo congressu Treverensi anni 1473, coram „Frederico, Imperatore Romanorum et suo Principe, veluti publico orbis theatro, summo ap„plausu literatissimorum nobilitatis Italicae et Germanicae peroravit; vir certe apud exteros „celebris, inter suos gratiosus.“ Videatur praefati Agricolae epistola ad Anton. Scrofineum, cum epistola Arnoldi de Lalaing, Praepositi D. Mariae Brugensis, ad Paulum Baenst,

(*) Hic Archiepiscopus Eremitas Augustinianos in Vallem Ehrenbreitsteinianam invexerat.

(**) Obiit paulo post in arce Ehrenbreitsteiniana nono Februarii. —

Rectorem Papiensem, ex Gallico in Latinum sermonem conversa per eundem Agricolam. In hac epistola describitur historia congressus Imperatoris Friderici III., et Caroli Burgundionum Ducis. (Rodolphi Agricolae Lucubrationes aliquot lectu dignissimae etc. etc. Coloniae, 1538, 4to p. 222. sqq. —)

Non abs re erit, quaedam memorabilia ex perraro opere Petri Scriverii (Batavia illustrata, Lugd. Batav. ap. Lud. Elzevirium, 1609. p. 134. sq.) enotare; haec scilicet:

„Congressu ad Treviros petiit Carolus ab Frederico Augusto rex creari juxta dignitatem „majorum suorum, qui reges fuere Burgundionum. Legatus item fieri cupivit Augusti et pro„curator ac vicarius Imperii. Erat ambitiosus mirandum in modum. Augustus filiam ejus „petiit filio suo Maximiliano pulcherrimo et augustissimo adolescenti uxorem. Ea res ita pro„cessit, ut Maria augustali juveni a patre desponderetur, contendente Augusto, ut statim „nuptiae celebrarentur. Duce autem, ut ante illas vicarius Imperii designaretur et rex saluta„retur Burgundiae. — —

„De Carolo autem creando rege Thomas noster hunc ferme in modum: Ut antiquum „Burgundiae regnum per multas principum successiones oppressum et pene extinctum et obli„teratum denuo instauraret, et non dux amplius, sed rex Burgundiae appellaretur, magna „prosecutionis instantia apud imperatorem et ejus nobiles institit. Corona, sceptrum, „vexilla vestesque ad regium ornatum Treviris jussa fieri; et jam throni in „templo majori facti, et sedilia omniaque parata, quae ad creationem regis essent necessa„ria. Datum negotium Georgio episcopo Metensi, ut sacrum faceret, unctionisque officium „compleret. Imperator promiserat, regem se creaturum; sed nolite confidere in principibus: „repente mutatus imperator, postero die ne Carolo quidem valere jusso discessit, nec promissis „stetit, maleque sarto foedere abiit, et petiit Coloniam sedandae discordiae inter archiepis„copum et civitatem: unde non mediocriter Carolus turbatus (*).“

„Hactenus Thomas Episcopus, qui tunc Treviris erat, omniaque vidit.“ —

AD CAPUT CCLXXXII.

— Cum aliquot diebus apud Coloniam Agrippinam infirmitate laborasset.

Scriptor Chronici Hassiaci cap. 81. apud Senkenbergium (Select. jur. et histor. V. pag. 508. seq.) fatale omnino et injuriosum mortis genus refert, quo Jacobus Archiepiscopus decesserit: eum scilicet a pellione Confluentino, violentis ictibus illatis, morti succubuisse. Rem narrabimus verbis Chronici:

„Im Jahr 1511. in der Fasten, was der Bischof von Trier, Jacob genant und gebohrner „Marggraff von Baden, ein hochgelahrter der Schrifft, zu Confluentz, hatte ein Kürschner ein „Tochter, zu der gesellet sich der Bischoff, in Venus gier, und kam eins Nachts heimblich „zu ihr in ihres Vatters hauss, dessen ward der Vatter inne, vielleicht ohnwissend dass er „der Bischoff were, und ward sein haussehr lieb, und schlug de Bischoff so lang, dass seine

(*) In Msto. Petri Maier haec notantur: „Alß Herzog Karl im 1473 Jahr zu Trier kommen ist zu Kaißer „Friedrichen, verhoffende zu König zu Burgundien gekronet zu werden, und dan daruf nichts gefolget „ist; derßelbig Herzog über Erzbischoff Johannßen, der die Zyt zu Trier by dem Kaißer was, unlustig „worden.“ — —

„Diener zulieffen, und retteten ihn, und mit ihm zu Schiff nach Cöln zu eyleten, ob ihm zu „helfen möchte worden seyn, aber er starb im Schiff, eh er gehn Cöln kam (*).“ —

Si rerum Trevirensium scriptores clerici (Browerus, Masenius, alii) prudentiae ac reverentiae conformius fortasse judicarint, hoc Jacobi Archiepiscopi fatum aliis repraesentare coloribus, aut illud omnino silentio praeterire; miramur tamen et alios hoc loco tacere auctores, qui hujus generis narratiunculas in deliciis habere solent, aut qui (ut Kyriander) autoritati Archiepiscoporum Trevirensium patrocinium praebere non amant. Omnes nostri codices, qui patriae Trevirensis ad hoc usque tempus historiam prosequuntur, nullam omnino hujus criminis faciunt mentionem, altumque ipsis est de hoc facinore silentium. Illis magnae licentiae temporibus tale quid homini, qui egit vix 40mum annum, fieri potuisse, quis negct? Historicae vero veritatis studiosum, qui (ut Taciti verbis utamur) sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio obsequitur, non curat, quid fieri possit, sed quid factum sit.

AD CAPUT CCLXXXIII.

— Atrox atque exitiabile bellum etc. —

Errat Honthemius, qui (Prodr. Hist. Trev. I. in indice chronolog. p. XXV.) urbis Trevirensis obsidionem ad annum 1523. refert; nullum enim dubium remanet, illam incidisse in annum praecedentem 1522. —

Hac occasione S. Maximini monasterium concrematum est et destructum. Quidam praetendunt, Sickingii cohortes faces immisisse, illudque concremasse. Sic legimus in Epistola nondum edita Richardi Archiepiscopi ad Clementem VII. Papam de anno 1525. haec verba: „Extabat adhuc paulo ante biennium, juxta muros civitatis Trevirensis, venerandae admodum „structurae et vetustatis, monasterium, olim a Constantino Magno Augusto Divo Maximino „dicatum. Sed hoc nimium crudeliter et praeter omnem pietatis ac religionis respectum du„dum a tyrannicis cohortibus, Martini Lutheri dogmatibus excitatis, non tandum direptionibus, „verum incendio penitus absumptum, ac ad solum usque dirutum atque vastatum; adeo, ut „totis ejus facultatibus, in vivis comparatis, in pristinam formam non possit reparari.“ Richardus nempe in hac epistola haud alienum officio suo duxit, pro neo-electo Abbate ad S. Maximinum, Joanne de Cellis, Clementem VII. implorare, ut praesentis cladis intuitu eas expensas, qaas in confirmationem apud sedem Apostolicam erogaturus foret, partim in monasterii restaurationem, Abbati conferre liceret, ac per pontificiam liberalitatem munus confirmationis remissius, quam olim redimi solebat, obtineret. — Eadem dicuntur in aliis literis eodem anno Romam missis ad Pompeium Vicecancellarium, Matheum Curiae Datarium, et celebrem illum Trevirum tum Romae degentem, Joannem Coritium (**), qui dicitur Praepositus S. Paulini nostri et Palatii apostolici Notarius. Ex hucusque ignota epistola Richardi ad hunc Coritium hocce loco haec enotamus: „Venerabilis devote nobis dilecte! Memi„nisti credimus, quam crebris in te hortando implorandoque fuimus. Non quidem modo „tantum nomine, sed quoties vel amicorum vel subditorum res visae sunt postulare. Quem

(*) Jacobus ab Imperatore missus erat Coloniam ad componendam litem illius civitatis.

(**) De hoc Coritio quaedam publicavimus in opere: Allgem. Encyclopädie der Wissenschaften u. Künste. Leipz. Th. 19. S. 306.

„morem et si his comotissimis temporibus intermiserimus, resumere tamen praesentes angustiae „compulerunt. Et qualia ista sunt tempora, talia nobis argumenta subministravere: atque ab „acceptis cladibus et nephantissimis direptionibus, ad Pontificis Max. Beatudinem scribendi „occasio sumpta est. Ita te quoque eodem themate ad patriae perducemus comiserationem, et „alacriorem ad opem afflictis ferendam faciemus. Quis, vir dilectissime Coriti, tam vastum re-„ligionis interitum, monasteriorumque atque templorum laudatissimorum, quot dimidia ferme „Germania capiebat, vel expilationes vel truculentissimas dejectiones non graviter ingemiscat? „De quibus (ut ex maximo numero) unum tibi proponam, quod tu olim augustissimum prae „ceteris hujus nationis monasteriis inspexisti, videlicet quod divus ille Constantinus Magnus „Augustus S. Maximino apud Treverim posuit atque dicavit. Hoc modo eversum funditus et „concrematum, ut ne nimia prioris effigies agnosci liceat, haud sine lachrymis summoque cum „dolore videres. — — — Judica modo, Coriti, num illi, quod a Pontifice petituri sunt, „gratis accipere mercantur? Scimus modo (priscam tenes humanitatem tuam) non multo te „in eos duriorem sententiam laturum; idroque fiducia te hortamur majore, negotium illorum, „quod dilecto nobis atque devoto mandatum est, animosius suscipias — ut tua persuasione et „opera, si totae non possint, dimidiae tamen consuetae impensae ipsi monasterio exstruendo „lucrifiant ac remittantur. — — Bene vale etc. 1525.“ —

Haec omnia legimus in Cod. Trev. ms. St. Maximiniano, saeculi XVI. modo bibl. publ. Trev., No. 1250. sign. —

Confirmat Richardi assertionem Browerus (Annal. Trev. II. pag. 344.) — Enimvero non desunt testimonia, quae evincere videntur, nec manus, nec arma Sickingii hoc damnum effecisse.

Praeter illa, quae infra ex cod. ms. Scheckmanni interposuimus, confer Chronicon ad S. Maximinum (Honth. Prodr. II. p. 1035.), in quo legimus: „Anno Domini 1522. — „decimo quarto Septembris post decessum Francisci visum est tantummodo torculare „comburi, et nihil aliud. Postea per quosdam rubeis tunicis indutos incensa est abbatia. Circa „mediam vero noctem conventus est visus uri. Mane quidam ex fratribus et famulis monasterii „voluerunt suffocare ignem, et non sunt permissi a senatu (civitatis Trevericae), di-„centibus, omnia debere comburi, aut alio modo destrui etc. etc.“ — Quibus addimus haec excerpta ex Anonymi cujusdam historia Luxemburgensi Ms. (bibl. Trev. No. 1291. sig.) hujus argumenti: „Obwohl Frantz von Sickingen bey wehrender gemelter Belegerung uff Bitt undt „ersuchen des Gubernators des Hertzogthumbs Lutzemburgh, Marggraff Philips von Baden, der „Abtreyen St. Maximin so viel moglich verschonet, undt nicht gestattet, daß so wenigh in der „Kirchen alß dem Kloster eyniche Zerstörungh noch schaden zugefügtt wurde, dannoch nach des „feyndts abzugh seindt die Triersche ußgefallen, und das Kloster sambtt der Kirchen in Brandt gestellt und eingeeschert, deßgleichen sie auch mit den Vorstäden gehauset.“ —

Plura alio nobis ad manus sunt documenta publica Mss. et coaeva, hucusque aut plane non, aut parum cognita, quae non solum ad historiam Trevirensem illustrandam, sed et ad tristissimam illo tempore Imperii Germanici conditionem cognoscendam apprime faciunt. Sub hoc titulo sperare possumus, fore, ut lectores nostri non aegre ferant, si hoc loco quaedam horum monumentorum ad verbum damus.

Postquam Richardus Archiepiscopus de hostili et repentino Francisci adventu in territorium Trevirense, cujus Sickingii nomen illo tempore non parum formidabile erat, quasi certus esse potuit; nihil ex sua parte neglexit, quod ipsi necessarium videbatur, ad periculum immi-

nens a solo paterno repellendum. Quum personam Imperatoris Caroli V., ut et regimen Imperii supremum Norimbergense, de conatu Francisci a Sickingen, ut debuerat, instruxisset, eorumque auxilium implorasset; hoc dictum collegium ei transmissit missivum, datum Norimbergae, prima Septembris 1522., quod sic sonat (*):

Unser fründlich, willig, und unterthenig Dienst zuvor, Erwürdiger in Got Vater, Lieber Freunde, Hochwirdigster Churfürst, Gnedigster Her, Uns hat an Heut glaublich angelangt, wie sich Franciscus von Sickingen, wider Ewer Liebden und Churfürstl. Gn. und derselben Erzstift Trier hoch beworben, und ein mercklich Volck zu Roß und Fueß beyeinander, und E. L. und Churf. Gn. auch beneben Stifft damit gewaltiklichen zu überfallen, mit der thate anzugreiffen und zu beschedigen vorhaben soll, daß wir mit Beschwerd vernommen, und haben darauf demselben von Sickingen, bey des Landfrids und anderen schweren Penen, auch bey der Acht, und Verliehung zwey tausend Mark Golds, ganz ernstlich gebotten, daß er sollich sein Furnemen abstelle, Ewer Liebd. Churf. Gn. die Iren und andern des Reichs Verwandten, oder yemants andern, Im heiligen Reich Spruch und vorderung zu haben, und die mit Recht zu suchen er drohte, so soll Ime durch uns, dasselbig, und warzu er Befug hab der Gebür unverzogentlich verholffen werde, und nichstdestoweniger daneben, alle Churfürsten, Fürsten und viel andere Stende, an und um den Reinstrom wonend, auch mit Ernst ermanut, und Inen gebotten, ihre Unterthanen und Verwandten, so bey dieser Versammlung sein, bei Verlierung Leibs und Guts, ab und heim zuforders, und in all Wege, Ewer Liebten und Churf. Gn. auf Ir Begehren zu Roß und zu Fueß eylendist zu ziehen, und denselben getreue Hilf, Rettung und Beistand zu thun, wie dann Ewer Liebden und Churf. Gn. auß hiebey liegenden Abschrifften daselben Mandat und Schrifften zu vernemen hat, der ungezweifelten Zuversicht Sy werden dem gutwillig nachkumen, Das wolten wir Ewer Liebden und Churf. Gn. denen wir nach . . . . zufruntlich und underthenigen Dienst ganz willig nit verhalen, sich zur Notturft darnach haben zu richten. Datum Nurnberg am ersten Tag des Monats Septembris, Anno MD. im zwey und zwanzigsten.

Stadthalter und Regiment im heiligen Römischen Reich.

— Imperator vero Carolus V. per mandatum ejusdem anni et diei, omnibus Comitibus, Dynastis etc. qui Sickingio auxilium praebuerant, severe, et sub poena statuta mandavit, ut copias suas auxiliares a Sickingiano exercitu retraherent (**).

— Idem Imperator transmisit dicto Sickingio mandatum monitorium, signatum eodem die et anno, ut de suo conatu, legibus Imperii fundamentalibus et paci publicae directe adverso, sine mora, et sub poenae comminatione desisteret: en ipsius verba:

Wir Karl der Fünfft von Gots Gnaden Erwelter Römischer Keyser, zu allen Zeyten Merer des Reichs, entbieten Unsrem und Reichs lieben getreuen Frantzen von Sickingen, Unser Gnad und alles gut. Unser Keyserlich Regiment in heiligen Reich hat glaublich angelangt, wie du ein mercklich Gewerb zu Roß und Fueß aufbracht, und darmit in Willen haben sollest, den Ehrwirdigen Richarden Erzbischoven zu Trier Unseren lieben Neven und Churfürst, und seiner Liebden Stifft zu überziehen und zu beschedigen, welchs dann, wo dem also, stracks wider Unser und des Reichs Landfriden were, und Uns also in Unser abwesen, Empörung und Krieg zu erwecken von dir billi-

(*) Haec charta cum sequentibus asservatur in bibl. Trevir., N. 1566. sig. —

(**) Ernestus Münch, studiosissimus historiarum cultor, hoc Caroli V. mandatum in suo opere: Franz von Sickingens Thaten rc. rc. II. S. 203. Num. CCXXVIII., publicum fecit: hinc nos hanc chartam hocce loco praetermittimus.

chen zu verdrieslichen und ungnedigen Misseleu raiche. Dieweil aber nach Warnung gemeiner Recht, Guldirer Bull, auch aller Unserer und des Reichs Ordnung und Landfriden, niemandts gegen gegen den andern verfolgen kann mit eigen gewaltiger that, ychts furnemen, handlen noch beschedigen, sondern ein Jeder der gegen den andern Ansprach und Vorderung zu haben gedencket, dieselbe laut unserer und des Reichs Ordnung fürnemen, und sich gebürlichs und ordentlichs Rechten benuegen lassen soll. So gebieten wir dir von Römisch Keyserl. Mayt. bey Peen obvermelten Recht, Bull, und des Landfridens, und besonders auch bey Unser und des Reichs Acht, und darzu bey einer Poen zwey tausend Marck lottigs Golds unablöslich zu bezallen, hiemit ernstlich und wollen, daß du solch dein Furnehmen und Gewerb von Stunden abstellest, gegen berürten unseren Neven von Trier, seiner Liebden Stifft Unterthanen und Zugehörigen, noch Jemants andern, unseren und des Reichs Verwandten in ungutem und mit der that nichst übest, noch handlest, und selbst, oder durch andere, in gar kein Weg, als dies dir sey obgemelte Pen und Acht, auch unter Straff und grosser Ungnad zu vermeiden; dann, wo du zu obberürtem von Trier, seiner Liebden Stifft und Verwandten, oder Jemauds andern im heiligen Reich, Spruch und Vorderung zu haben, und die mit Recht zu suchen gedechtest, so soll dir durch bemelts unser Regimeut dasselbige, und warzu du Fug hast, der Gebür unvergogenlich verholffen werden, darnach wisse dich zu richten! Geben in Unser und des Reichs Statt Nurnberg, am ersten Tag Septembris, nach Christi Geburte MD und im XXIIten, Unserem Reiche des Römischen im vierten, und den andern allen im siebenten Jahr.

Ad Mandatum Domini Imperatoris, in Consilio Imper.

— Die nona Septembrts ejusdem anni, 1522., Nuntius Caesarius, Johannes Rosenhofer, duo mandata supra memorata, significavit et insinuavit ipsi Francisco a Sickingen, in suis castris prope Treviros tum degenti, cujus instrumentum relationis, multis ex causis, dignissimum est, quod in publicum proferatur, praecipue propter nomina illorum, qui Sickingio, in hac expeditione, manus et auxilium praebuerunt; est autem hujus sententiae:

Ich Hanns Rosenhofer, Keyserlicher Majestät Bot, bekenne mit diesser meiner eigenen Handschrift, bey meiner Pflicht und Aid, daß ich den dritten Tag Septembris, hier zu Nurnberg ausgeritten bin, ein Stund vor Nachts, und Franzen von Sickingen und dem Kriegsvolck überantwortet und verkundt hab zwey Mandat, die dann auf den ersten Tag Septembris von Römisch Kaiserlicher Majestät Hochlöblichen Regiment ausgegangen sind, solliche Maudat, hat Frantz von Sickingen, mit sambt den Haubtleuten Grafen und Herrn und andern von der Ritterschaft, und etlich Kriegß . . . . . . die dabey gewesen sind, mit Namen Graf Eytl Fritz von Zollern, zwen Grafen von Fürstenberg, ein Graf von Oberstein, Graf von Löwenstein, der junger Graf von Lüpff, Graf von Dengen, Schenck Philipps, Ludvig Spet, Klein Heß, Hanns von Sickingen, Hutten, Schweiker von Sickingen, Rosenberg, Barlingen, auch andere viel mer von Edlen, und von dem Kriegsvolck, der ich mit Namen nit aller zu nennen weyß, von mir angenommen und empfangen, am VIIII. Tag Septembris, und mir Franz von Sickingen von Ir aller wegen zu Antwort geben, Ich soll meinem gnedigen Herrn Herzog Fridrich Pfaltzgrafen als seiner Kayserlichen Majestät löblichen Statthalter nud anderen meinen gh. und gnedigen Herrn des Hochlöblichen Regiments sagen, daß man gemach thue, dann er sey auch Ihrer Kayserlichen Majestät Diener als wohl mein gn. Herr Herzog Fridrich und andere des Regiments, und er wohl wider die Keyserliche Majestät nichst handleu, sunder der Bischof von Trier hat der Cronen viel versangen wider die Keyserliche Majestät, und hat gesagt, er hab dem Bischof von Trier die Seinen ausgeburgt, und selb schuldig darfür worden, darfür nichst anderes begert zu geben, dann blosse selige Wort, darumb er mit sambt seinen Helfferen

verursacht sey worden, gedachten Bischof von Trier umb das, und von wegen der Cronen, die er anpfangen hat, zu straffen, und gesagt, er wolle ein besser Recht machen, dann das Keyserliche Regiment bißher gethan hat, wann sollen Zweifel seyn, daß er anderst nit handle wolle, dann daß er eine gute Sache wolle helffen machen, darumb soll man nit also auf ihn dringen oder eylen: da hab ich zu Frantz von Sickingen gesagt, er soll mir ein schriftlich Antwort geben, das wolt ich meinen gn. und gn. Herrn des Regiments mit allem vleyß überantworten, hat er gesagt: nayn, ich solls münthlich also anzeigen, dann er richt nichts mit Briefen da aus, man findt wohl Kriegsleut, aber nit viel Schreiber, und ich soll sagen, wolle man Fried haben, so soll man ein gut Recht machen, sunst werde kein Fried in diesen Landen, und wolle man ihm folgen, so wolle er helffen machen, wann die Kayserliche Majestät in diese Land Kume, das Kays. Maj. mehr Leut und Gelts findt, dann die Kayserl. Maj. muß Leut und Gelts halber aus diesen Landen ziehen, Kundt nit bey uns beleiben, dann die Keys. Majestät sey ihm noch LX. m. Gulden schuldig für seine Dienst, und das er Keyserl. Majestät geliehen; wenn gleich einer daran bezall, der die Cronen unbillich empfangen, und wider die Keyserliche Majestät eingenumen hat, ob er gleich darumb gestraft worden, es gedunkt Ir nit unbillich seyn. Solch Verkündung ist geschehen vor der Statt Trier, im Feld und im Leger am VIIII. Tag Septembris Anno der . . . zall im zwey und zwanzigsten Jahr.

— Aliud mandatum Caesareum signatum est undecima Septembris 1522., quo omnes sine discrimine vetantur, dicto Sickingio, sive armis, sive victualibus succurrere; est autem hujus argumenti:

Wir Karl der Fünfte rc. Nachdem Frantz von Sickingen den ehrwürdigen Richarden Erzbischoven zu Trier, Unsern lieben Neven und Churfürsten, ein offentlich Feld zugeschrieben, und mit einem mercklichen Volcks zu Roß und zu Fueß in den Stifft Trier gefallen, denselben zu vergewaltigen, und zu beschedigen, in steter Uebung ist, alles freuelich wider unser und des Reichs Landfriden, deßhalb dan nymants gebürt, demselben von Sickingen, in solcher stattlichen verbottenen Handlung einig Hilf oder Fürschub zu thun, darum so geben wir deiner von Römisch Kayserlicher Macht, und bey Poen Unser und des Reichs Acht anderen in bemeltem Landfriden begriffen, hiermit ernstlich und willig, daß du in deinem Land und Gebiet alles Fleiß bestellest und fürkomest, damit nymandt weder zu Roß oder Fueß berurtem von Sickingen zuziehen möge, auch sunderlich an allen Orten ewers Gebietes ordenst und verhüttest, auf daß demselben von Sickingen, oder seinem Here und Leger einig Proviant zugefürt, noch Unterschleifft gestatt werde, in kein Weiß als lieb dir sey obgenannte Poen und Unser, und des Reichs schwerer Ungnade zu vermeiden, daran thuet deine Lieb und Unser ernstlich Meinung. Datum am XI. Septemb. 1522 (*).

— Caeterum illi, qui hujus obsidionis et belli Sickingiani historiam fusius scire cupiunt, praeter auctores jam satis notos, videant acta a teste oculato conscripta, quae publicavimus in foliis menstruis (Trierische Chronik) anni 1820, menss. Maji, Julii, Augusti et Septembris: praesertim pag. 83, ubi ansa hujus belli, qualis a Francisco prolata sit, explicatur. Vide etiam mox sequentem appendicem nondum typis evulgatam. Caedes et latrocinia contra urbem Wormatiensem titulo aeque injusto sibi permisisse Franciscum, anno 1515, nobis hujus urbis Chronica ms. enarrat his verbis: Anno 1515, ist Frantz von Sickingen

(*) In Günth. Cod. dipl. Rheno-Mos. (T. V. p. 212.) legimus, praeter aliqua alia documenta, ad hanc rem facientia, No. 6. Kaiserliche Achtserklärung des Franz von Sickingen, vom 10. October 1522. — — Documenta quae hocce loco publica facimus, antehac nondum, ut nos quidem scimus, impressa sunt. Accepimus ea, ex authenticis, in tabulario familiae Sickingianae quondam asservatis, diligenter descripta.

mit seinen Helfferen aus Pfistelckheim auf der Hochstrassen hergetrabt, und auf die Kurzgewann geruckt, allda er wohl 43 Bürger von Worms umbracht und erstochen. Man hat sie all in ein Grab zue Augustineren in der Stadt Worms begraben, sehr ehrlich mit dem gantzen Rath, als der Zeyt breuchlich.

— Quam charum autem tale negotium Franc. Sickingio fuerit, quam frequens iste modus adquirendi et genio illius saeculi et praecedentium conformis, plura documenta coeva sat superque demonstrant: sufficiat inter centena alia, illud exhibere, quod nobis casu in manus venit:

Ich Franciscus von Sickingen bekenne, daß Philipps Gratian von Metteloch, mir von wegen Heinrichs von Eltz myns Gefangenen Hut dato in Abschlag und Bezalung synes Schatzgelts ußgericht und bezalt hatt Sechs hundert Rynisch Gulden. Derhalb ich bemelten Henrichen quittir. Urkund myn ufftruckt Insigel Ao Dxxiij. freitag nechst dem Sontag Quasimodogeniti. (L. S.) — (Die igitur 10. Aprilis, 1523. et 27. diebus ante Francisci mortem).

Additamentum aliud memoratu dignum ad hoc caput, Excidium Monasterii S. Maximini exhibens anno 1522., conscriptum per Scheckmannum contemporaneum S. Maximini patrem religiosum (*).

„Fuit in exercitu Caroli Imperatoris quidam Baro Franciscus Sickingen nomine, vir bellicis rebus deditissimus et assuetus, quem Caesar principem mediae partis equitum praefecerat. Hic vani nominis famam appetens, nomen sibi juxta nomen Magnorum, qui sunt supra terram, per bellicos actus nisus est facere.

Postquam enim civitatem Wormatiensem multis insidiis impetitam vexasset ob levem causam, cives captivando, vineas demoliendo, vias obsidendo, ita ut nullus tute egredi vel ingredi pro temporali commodo, absque rerum suarum et corporis periculo posset (**): tandem Duci Lotharingiae, frivola causa praesumpta, bellum indixit, collectoque qualicunque exercitu fines ejus intravit; cumque castrum quoddam, Scauenborch vulgariter appellatum, militari praesidio vacuum, cepisset, Dux Lotharingiae impetum ejus ferre meticulose desperans, missis ad eum legatis rogare coepit, quae ad pacem essent. Paciscentibus itaque invicem, fecit eum vasallum constituta sibi summa pecuniaria annuatim danda. At ille praestito Duci fidelitatis homagio, cum triumpho rediit in sua.

Verum quia scriptum est: Cor impii sicut mare fervens, quod quiescere non valet; non multum tempus praeteriit, et ecce! quietis pacisque inimicus novas machinationes perverso corde conceptas ad effectum perducere operae pretium existimavit. Habito itaque

---

(*) Hanc inscriptionem habet supra laudatus cod. ms. St. Maximinianus hucusque ineditus (modo bibl. Trev. No. 1252. sig.), cujus auxilio historia Sickingiana vario modo illustratur et Gesta Trevirorum convenienter consilio nostro suppleri possunt. Aliqua, quae omnino nihil ad rem faciunt, hinc inde praetermittenda existimavimus.

(**) Legimus in instructione ms. Maximiliani Imperatoris, quam legatis suis ad Comitia Moguntina anno 1517. directis exhibuit, haec de Sickingio: „Sy (i. e. Imperii Principes) seyen durch unser aufschreiben, „auch sonst wol bericht der unbilligen und muetwilligen handlung, so Franciscus der sich nennt „von Sickingen vnnd seine Verwandten in großer anzahl mit veindlichen tatten, „auch Straßraubereien und andere unadelliche sachen widder uns unnd dieselben Stend „übet. — Dadurch dan wie als regirender Römischer Künig bewegt worden sein, wege zu suchen, solch mißthaten zu straffen rc. rc." — — In fine: „Geben in unser und des Reichs statt Rottenburg an der Tauber am XXVI. tage Juni Anno MDXVII." —

Haec charta ex originali descripta asservatur in collectione nostra foliorum mss. s. t. Sickingiana (No 1566 sig.)

cum suis complicibus consilio, quibus par animus opprimendi alios inerat, quique ex rapto vivere, insontiumque cruore madere generosum ducebant, urbem Metensem, causa extorquendi pecuniam, obsidere disponebat.

Practicabatur in illis diebus lex injustitiae et violenta, quae tandem communi principum decreto abrogata est. Haec privatis istis seditionibus et guerris fomitem et incentivum subministrabat; nam si alicui civium cujusvis civitatis, sive in rebus suis, seu in corpore illatum fuisset quodcunque nocumentum, et super hoc jure forensi non usquequaque sibi ex aequo satisfactum quereretur: hic talis confestim ad aliquem comitem aut baronem, spreto ordinario judice, confugiens, et de illato sibi damno vel injuria querimoniam faciens, jus suum tali patrono vendicandum vindicandumque assignabat. Mox ille, hujuscemodi occasione accepta, mittens nuncium profitebatur se publicum illius civitatis hostem, nec a depraedatione cessaturum, quo ad usque adversa pars in causa sibi tradita conveniret. Hinc jam nulli civium talis civitatis tuta peregrinatio supererat. Nempe tales latrunculi vias obsidentes praestolabantur transitum eorum, ut ipsos rebus suis exspoliatos ad loca oportuna, multa pecunia tandem redimendos, pertraherent, quemadmodum contra Wormacenses gestum est, et postea contra Metenses, novissime contra Trevirenses.

His per occasionem interjectis breviter, ad rei gestae ordinem prosequendum redeamus.

Statuta itaque inter se Franciscus cum suis die, et praefixa hora, qua civitatem Metensem absque militari tumultu et armorum strepitu obruerent, milites ex diversis locis non gregatim, ut in expeditionibus et castrorum motionibus fieri solet; sed divisim ac per partes de sedibus suis hinc inde adventabant versus Metas. Cumque hoc factum multi mirarentur, atque tales, quorsum tenderent, interrogarent, nullum certum his, qui talia sciscitabantur, dare volebant responsum. Sic enim Franciscus ordinaverat, et callide inter se convenerant, quatenus hoc modo Metenses inscios ex improviso praeoccupatos, ac subitanea obsidione pavefactos, ad id, quod intendebat, compelleret (*).

Metenses itaque, hac repentina et insperata obsidione conclusi, magnoque terrore stupefacti, arbitrabantur, id ordinatione et nutu Imperatoris fieri. Coepit igitur gravis et periculosa seditio in civitate suboriri, quae Franciscum minime latuit. Quidam enim civitatem ei aperiendam decernebant; alii vero nequaquam, sed viriliter resistendum judicabant. Interea Comes Rheni, qui in exercitu Francisci erat, internuncius deputatus, ingressus est civitatem, et conditione pacis proposita, expetebat ex parte Francisci multa millia florenorum, si civitati rebusque suis vellent esse consultum. Cui cum e diverso magnam vim auri, licet suae petitioni imparem, pollicerentur, respondit ille: hanc summam aureorum, quam nominassent, vix sufficere meretricibus, quae exercitum Francisci concomitarent. Denique quo facilius eos ad suum intentum deflecteret, minabatur omnes vites in circuitu civitatis solotenus amputaturum, nisi quantocius aurum, quod expetebatur, transmitterent.

(*) In opere s. t. Histoire générale de Metz par des religieux Bénédictins. T. II. pag. 700. legimus haec admodum pauca: „Notre Cronique (de Metz) en vers parle d'un capitain nommé Fran-„cisque (!) qui vint assiéger Metz en 1518. Brouverus et les autres écrivains posterieurs se sont donnés „des peines pour nous expliquer, qui pouvoit être ce Francisque (?!) Il nous suffit de savoir, q'en cette „année une troupe nombreusse de bandits et des avanturieurs se présenta devant Metz, fit le dégât „aux environs; et que pour s'en débarasser, les magistrats leur donnerent une somme d'argent.“ —

His aliisque mille modis domini civitatis tremefacti seditionem populi aegreferentes, misso in carruca vasculo multis millibus aureorum repleto, tali hoste caruerunt.

Igitur fortunatus Franciscus, hujus iterum victoriae prospero successu elatus, animosiorque redditus, sine mora cum ipso exercitu terram Lantgravii Hassiae (indicto sibi bello) intravit. Hic tunc juvenis existens annos pubertatis agebat, cujus mater, reipublicae curam habens, principatum administrabat. Quae tantorum hospitum adventu territa, ac resistere invalida, tandem pacisei coacta dedit multam pecuniam Francisco, ut abiret in locum suum (*).

At ille, hoc triumpho potitus, jam insignior et famosus effectus, coepit a multis timeri. Denique Franciscus existimans omnia deinceps sibi licere, et quidquid animo concepisset, perficere posse arbitratus; ut gloriam famae suae illustriorem celebrioremque redderet, ad fortiora manum mittere, atque aliud bellum aggredi praesumsit, quod tandem temerariis suis ausibus exitialem terminum fecit.

Habebat autem inter suos familiares insignem quendam Lutheranae sectae defensatorem ac propagatorem Ulricum Hutten nomine, qui ob metum summi Pontificis in uno castrorum Francisci delitescens in publicum prodire propter libellos divulgatos cavebat. Mandatum enim quibusdam principibus fuerat, ut, sicubi inveniretur, comprehensus Apostolico praesentaretur conspectui.

Istis diebus Caesar non erat in Germania; ideoque plures, quod sibi conducere videbatur, temere attentabant. Carolus iterum in Hispaniam transfretaverat, ejusque germanus, Ferdinandus archidux Austriae, vices ipsius gerebat. Interea summo Pontifice Leone viam universae carnis ingresso, Adrianus, Trajecti inferioris oriundus, Caroli Hispanorum ac Romanorum Regis alumnus, unus novissimusque Cardinalium, quos Leo uno eodemque die creaverat, Papa pronunciatur. Is tum in Hispania apud Carolum conversabatur, cujus paedagogus erat, eumque a puero in moribus et scientiis solerter imbuerat. Hic ergo, relicto Caesare, Romam veniens, cum in cathedra Petri consedisset, omni conatu nisus est, scismatibus, quibus Germania scatebat, occurrere et finem facere, mittens imprimis litteras Frederico, Duci Saxoniae, Principi Electori, qui Martini Luther pertinax fautor factus fuerat. Sed o miseram sortem humanae conditionis! Novellus Papa, dum fidelem operam zizaniis exstirpandis impendere conaretur, paucis diebus in pontificatu peractis, vitam cum morte mutavit. Romanorum enim quidam aegre ferentes theutonicum Pontificem sibi praelatum, veneno hunc (ut dicebatur) e medio tulerunt, quanquam e contrario alii eum naturali morte vita functum affirmarent, quod divino examini relinquimus discutiendum (**). Succedens in pontificatu Clemens Sextus, Leonis nepos, cathedram beati Petri est adeptus.

His per occasionem interpositis, ad causam, propter quam omnia praemisimus, intimandam accedamus.

Franciscus habito cum suis nequissimis complicibus consilio, tractare et excogitare coepit, quoniam et quomodo Richardum, Archiepiscopum Trevirensem, bello sibi indicto, opprimere posset. Consultabant mutuo, qualiter hoc peragi congrueret. Denique excogitata opportunitate et modo, ac conjuratione inter se facta, nulli haec hominum pandere in communi

---

(*) Chronicon Limburg. de hac re scribit: „Anno Dni. 1518. Der Edell Franz von Sickingen befrieget und „überzoge feindlich den jungen Landtgraven Philippum. Es ware umb St. Michaelis, und legte sich vor „Darmstadt mehr dann 14 Tag langk; sein Volck das ware über die 10000. starck; die Sache wardt ver„tragen, daß der Landtgrave Franzen sollte zahlen 35000. Gulden."

(**) Adrianus VI., electus 9. Jan. 1522, coronatus Romae 29. Aug. ejusd. a., mortuus est 14. Sept. 1523.

decreverunt, quatenus ipsi expediti et parati Richardum nihil horum suspicantem subito obruerent (*), urbem Trevericam, militari praesidio destitutam, praeoccuparent, caperent et exspoliarent.

Sed non ita indefensam eam et immunitam reppererunt, quemadmodum rati fuerant. Auditum quidem, fama volante, licet non creditum fuerat, quod Franciscus Treverim petere statuisset, visitandi ac visendi gratia teristrum Salvatoris mundi (sic enim Lutherani vestem Jesu Christi despective et derisorie nominabant); sed iste rumor a Trevirensibus vilipensus fuerat.

Interea Franciscus tempus adesse sciens, quo bellum iniret, victrices erexit aquilas, atque stipendiarios, proposito eis donativo, undique aggregari fecit. Similiter et alii comites et nobiles inferioris sortis, quos in hac conjuratione foederatos habebat, fecerunt singuli in suis locis oportuna quaeque et necessaria ad congressionem.

Quae res tametsi multis formidinem atque terrorem incuteret: potissimum tamen Regem Franciae perculit; suspicabatur enim is, ne forte jussu Caesaris Franciscus vires contraheret, quibus regnum suum invadere disponeret, pro eo, quod vexillum Imperatoris in castris Francisci erectum didicerat. Quapropter Rex instructis copiis omnem apparatum bellicorum vasorum in extremis regni sui finibus collocatum, non absque gravi incommoditate, ad finitimas civitates transferri fecit. Astutus namque Franciscus hunc modum congregandi exercitum, more ingenii sui, excogitaverat, quatenus nemo Principum impedimento ei esset, timore et respectu Caesariae Majestatis, cujus Capitaneus dicebatur, eosque quos hostiliter invadere disponebat, hac arte et industria falleret.

Cum ergo, singulis ad bellum praeparatis, jam tempus adesset, quo castra moverentur, congregata in unum universa cohorte, Franciscus aperiens cor suum, quid animo gereret, quidque intenderet, palam omnibus commilitonibus confessus est, dicens cogitationem suam in eo versari, ut, indicto bello Treverensi Archiepiscopo Richardo, civitatem Trevericam obsidione vallaret. Haec vox ubi in auribus collectorum militum, quos antea res latuerat, sonuisset, multi retrorsum abierunt sequestrando se a tali contubernio: hi praecipue, qui ex Treverensi dioecesi eo convenerant; inconveniens et periculosum judicantes, si contra domesticos arma corriperent. Ad Franciscus ceteros, qui adhuc perstabant voluntarii, exhortabatur timorem abjicere, victoriamque sperare, proponens eis praedarum magnitudinem in auro et argento, atque multam pretiosam substantiam se reperturos, qua maxime ecclesias Trevericae civitatis in calicibus, monstrantiis, aliisque vasis Deo dicatis abundare liquido constaret.

Causarum autem, propter quas Franciscus bellum cum Richardo suscipere et inire disponebat, potissima et vulgata haec fuit (**). Captus jam pridem fuerat quidam de Zellis praedives, nomine Jacobus Fibianus, pater domini Nicolai, Episcopi Azotensis, Suffraganei Richardi Archiepiscopi Treverensis (***) una cum genero suo a quodam milite equestri Treverensium inimico. Cui cum idem Jacobus captus jurejurando interveniente ad manum promisisset dimittendus, sese loco et die condicto ac deputato, tanquam captivus iterum repraesentaturum, atque hoc postea, prohibente Richardo Archiepiscopo, minime adimpleret; eques ille, qui eum

(*) Conf. supra notas nostras.

(**) Conf. quae supra habet Gestorum scriptor, et vide notam nostram marginalem.

(***) Nicolaus Schienen, Episcopus Azotensis, ex oppido Cellis ad Mosellam, quinque Archiepiscoporum Suffraganeus, obiit anno 1556. V. Honth. Hist. Trev. dipl. II. p. 547 —

ceperat, Francisco, qui se fidejussorem interposuerat, super hoc conquestus, eidem jus suum, quod in captivos obtinuerat, exequendum committens precabatur, praestolabaturque diem ultionis. At Franciscus istud inultum esse nolens, hujusmodi occasione habita, missis litteris Richardo, qui juramentum spreverat, bellum indixit, moxque easdem, e vestigio instructis copiis, ut Richardo spatium et oportunitas congregandi exercitum adimeretur, subsecutus est (*).

Castra igitur primum metatus juxta oppidum dictum ad S. Wendalinum, illud expugnare aggressus est; quod quantocius, non tamen absque detrimento et jactura suorum, in deditionem accepit, captis et spoliatis universis militibus, qui inibi reperti sunt.

Richardus interea, negato sibi spatio congregandi conductitium exercitum, festinavit ocyus, ex subjecto sibi populo civitatem praemunire et constipare, mittens nuncios ad Ludovicum Comitem Palatinum, et ad Philippum Lantgravium Hassiae, quatenus in hoc necessitatis articulo sibi auxilium ferre non differrent, juxta conditionem pacti invicem initi. Hi enim tres Principes olim foedus pepegerunt tali conditione, ut si alicui ipsorum quavis occasione bellum ingrueret, aut violentia inferretur, caeteri ei, qui primum hostiliter impeteretur, essent praesidio (**).

Capto proinde, ut diximus, oppidulo ad S. Wendalinum, Franciscus cum exercitu suo per aliquot dies inibi moram traxit. —

Richardus inter haec sollicitudine non piger perambulans murum civitatis, singula loca perlustrabat, et quicquid pro conservatione urbis oportunum videbatur, jussit exhiberi; quod vero caducum et debile credebatur, fecit communiri et sustentari. Suspicatus autem, ne forte exercitus Francisci in hoc monasterio (ad S. Maximinum) expugnandi gratia civitatem, castra metaretur; praecepit quantocius civibus destruere murum circularem monasterii e regione turris angularis, qui respicit Curuatiam, (quam vulgus turrim tympanorum falso vocat, sed turris echonis nominari deberet), ad viginti passus propter dubios belli eventus; quatenus ex ea turrem ecclesiae nostrae absque obstaculo jaculis impetere atque dejicere possent, si ex ipsa, obsidionis tempore, aliqua molestia civitati contigisset inferri.

Decreverat ipse (Richardus) cum suis nobilibus in civitate manere pro civium munimine, ne forte formidolosi et imbelles homines, insolito armorum strepitu, bellicorumque vasorum tonitru exterriti et stupefacti, traderent civitatem; quod procul dubio accidisset, si non ipse personaliter assistens suo magnanimi alloquio dejectos civium animos, manusque populi dissolutas roborasset.

Denique Franciscus castra movens, perque montem Martis, ut ab omnibus videri ac per hoc timeri posset, veniens in festo nativitatis Virginis Mariae circa horam vesperarum urbi applicuit. Quem dum Trevirenses proximum civitati cernerent, haud secus ac si jam capta esset civitas, fletus et ululatus dabant.

Hostibus de monte Martis descendentibus, Richardus Archiepiscopus, arripiens faculam seu taedam, nitebatur incendere horrea monasterii nostri, messium ubertate referta, ne hostes copiam pabuli pro sustentatione animalium suorum invenirent. Cui occurrens quidam pedester

---

(*) **Honthemius**, qui hunc locum Mati. op. cit. p. 687. (nota a.) refert, auctorem hujus historiae dicit **Jodocum Lesurarum**, S. Maximini monachum, sed ipsius codicis Maximiniani inscriptio aperte nominat **Joannem Scheckmannum**, monachum temporibus illis aequalem.

(**) Vide temporariam unionem inter Richardum Archiep. et Landgravium Hassiae ap. **Honthemium** (Hist. Trev. dipl. II. p. 593. seqq.)

suus postulabat, sibi tradi faculam, pronuncians, id magis cum decere, quam episcopum. Incensis hoc modo horreis, Richardus cum suis accelerabat civitatem ingredi, quem e vestigio duo equites, a Francisco missi, subsequentes obtulerunt, ut moris est, civitati pacem, expetentes ipsam sibi in deditionem tradi. Quibus Richardus constanti animo negativum dans responsum: renuntiate, inquit, Francisco, se me in hac urbe reperturum.

At illi concito gradu regredientes nuntiavernnt haec verba domino suo. Mox ille ira percitus praecepit suis exstruere munitiones, et caetera quaeque ad expugnationem urbis oportuna admovere.

Nocte igitur sequenti tormenta per viam, quae ducit de Curuatia ad civitatem, absque strepitu advehentes, collocaverunt ea contra turrim superius nominatam in bivio, seu quadrivio. Ibi enim putaverunt commodius expugnandam civitatem. Fuerant quippe quidam circa festum assumptionis Beatae Mariae a Francisco missi, qui infirmiora et immunita civitatis considerarent.

Illucescente itaque postera die hi, qui in praefata turre custodias tenebant, per speculas prospicientes, cernunt prae oculis tormenta bellica posita, ad jaciendos globos ferreos adaptata. Hoc illi continuo in auribus dominorum divulgantes, consuluerunt in communi, quid facto opus esset. Denique aperientes posticam, emisserunt quosdam, qui spiracula tormentorum clavis chalibaeis obturarent, ac per hoc inhabilia ad susceptionem ignis redderent. Sed nihil hujusmodi indocta astutia tormentis nocuerunt; habebat enim Franciscus in exercitu suo viros industrios, qui haec obstacula clavorum leviter arte sua removerunt. Potuissent quidem Trevirenses multo doctius tormenta illa vitiasse, ita ut nullo usui apta fierent, si consultius se in illo opere habuissent.

Inveneruut autem hi, qui emissi fuerant, quendam militem post dumum latitantem, terraeque, ne videretur, prostratum, ad custodiam tormentorum deputatum. Quem dum secum in civitatem (concessa sibi vita) trahere niterentur, ille contempta morte respondit: se malle vita privari cum gratia et favore Francisci domini sui, quam superstes manendo Trevirorum jugo et captivitati addici. Hoc cum dixisset, mox quidam ex circumstantibus, exempto gladio, caput ei amputavit. Sicque ille dedecus captivitatis voluntaria morte declinavit.

Videntes autem hi, qui cum Francisco in castris post ecclesiam S. Paulini metatis erant, Trevirenses circa talia occupatos: tympanis personantes, atque aciem ordinantes, congressionem facere parabant. At illi, congressionem declinantes, reversi sunt in civitatem.

Nocte vero supervenieute hi, qui tormentorum curam habebant, adeo silenter, arte quadam, ipsa retraxerunt de loco illo, atque in pomarium monasterii (ad S. Maximinum) vexerunt, ut oculos auresque virorum, qui in moenibus civitatis vigilias agebant, fallentes (quod mirum dictu est, cum lunaris splendor aërem reverberans cuncta perspicua redderet) penitus eos latuerit, quomodo et quando haec fierent. Tormenta in pomario nostro collocata globos ingestos magno mugitu evomere coeperunt. Cumque per aliquot dies moenia et turres civitatis ex adverso sitas, impetendo quaterent, permodicamque partem muri crebris ictibus ventilatam prostravissent, et Franciscus, longa exspectatione suspensus ac pertaesus, autumaret hujusmodi insueto horrisonoque circumvolantium undique globorum fragore animos civium exterritos, ac per hoc civitatem jam jamque suae potestati tradendam speraret: frustra et absque omni fructu tandem doluit, cuncta expendi.

Etenim Richardus Princeps, in medio populi stans, ne domestica discordia et seditio oboriretur, sua vecordes animabat praesentia, utque insolito assuefacti tonitruo constantes persis-

terent, hortabatur. Stabant autem omnes ecclesiasticae personae armatae circa majorem ecclesiam; cives vero in foro cum Principe, et extraneum vulgus in muris et turribus.

Denique illi, qui tormentis Francisci praepositi fuerant, extrema desperatione laborantes, dum suis conatibus diffidere coepissent, conscenderunt loca eminentiora, et transferendo quaedam tormenta ad amfractum, seu abditum locum montis Martis e regione portae Curuatiae, omni nisu inde cives molestare, et neglectis moenibus civitatis, saltem domus eorum laedere moliebantur, ut vel hoc modo lacessiti, atque ad deditionem coacti, aperirent civitatem. Etiam spe et fiducia proditionis attractus et animatus, haec et horum similia Franciscus attentabat.

Erant profecto in curia et comitatu Principis Richardi quidam Francisco confoederati et conjurati, secretorumque ejus ac malorum conatuum conscii. Quod procul dubio manifeste apparuisset, si civitas interrupta hostibus patuisset. Nam cum Richardus cum suis nobilibus, coenandi gratia, ad mensam resideret, ferebatur, ipsum udis oculis altoque tracto suspirio dixisse: En adsunt traditores mei mecum in mensa. Christus Jesus unum traditorem habuit; ego autem plures.

Denique Franciscus cassa spe suspensus et attonitus, ubi inexpugnabilem ac rebellem sibi animadverteret urbem; insuper audito adventu Comitis Palatini atque Lantgravii Hassiae jam desperatior redditus, obsidionem solvi mandavit. Movens itaque castra sua in festo exaltationis Sanctae Crucis, per aliam viam praepropero transitu in regionem suam redire festinabat.

Trevirenses vero, tali obsidionis periculo Dei munere liberati, omnem vim furoris, quem in hostes non potuerunt, in hospitia eorum totis viribus exercere festinabant. Attollitur itaque quasi vox una omnium clamantium et dicentium: Venite! Tollamus monasterium hoc ab oculis nostris! Evellamus et complanemus illud, nec relinquamus ibi lapidem super lapidem! At fratres nostri, qui erant in civitate (*), haec audientes, atque id, quod futurum erat, formidantes, intrantes palatium supplicabant Richardo, quatenus aedificia adhuc integra et intacta conservari juberet illaesa, aut si omnino concedere nollet, saltem tali moderamine structurae operosae deponerentur, ut aliis usibus applicari imposterum possent. Quibus dictum fuit, quod sequenti die responsum accepturi essent.

Interim Trevirenses, ex consilio senatus aperientes antiquam portam (**), emiserunt circa vesperum viginti, et forte eo amplius, viros, qui explorarent, utrum hostes ex integro aufugissent; imo qui totum monasterium, sicut postea patuit, incendio concremarent. Hi ergo per singula habitacula monasterii discurrentes, cum neminem adesse perpenderent, cuncta aedificia, quemadmodum edocti fuerant, sulphureo pulvere, prout certis indiciis et argumentis probari potuit, conspergendo paene omnia aedificia, etiam lapidea, quod difficile videbatur, nisi magno studio id factum fuisset, flammis consumenda adaptaverunt.

Et licet id ipsum peracto incendio negare conarentur, dicentes: talia non ab ipsis, sed ab hostibus (qui ipsi erant) perpetrata, majora his, quae postea furibunde et manifesto contra hoc monasterium exercuerunt, fidem firmam fecerunt, atque omnino ambiguum abstulerunt, quia per sequentia intelliguntur et praesumuntur praecedentia.

Praeceperat enim Franciscus exercitui suo sub poena capitalis sententiae, sicut hi protestabantur sub attestatione jurisjurandi, qui ea tempestate Francisco famulabantur, ne quisquam

---

(*) Pars monachorum tum temporis habitabat domum urbis, quam dicebant Velzrich; alii in monasterio Epternacensi; alii in monasterio S. Naboris hospitio usi sunt; alii in aliis locis morabantur.

(**) Portam Martis.

mittere praesumeret in dispendium aut conflagrationem monasterii hujus. Miserat namque ei senatus Lutzenburgensis litteras comminatorias sub indignatione Caesareae Majestatis, ne quicquam damni inferre praesumeret monasterio isti (*). His per excessum insertis, ad ordinem narrationis redeamus.

Igitur mane sequentis diei circa horam tertiam unus ex fratribus, qui in domo nostra Vetzrich morabatur, surrexit et tectum domus ascendit, volens videre qualiter se status monasterii praesentis haberet, et ecce jam vorax flamma partem dormitorii nostri consumpserat. Quo viso, concito gradu descendit, et ad reliquos fratres, qui adhuc in lectis suis quiescebant, rediens, hac lugubri voce affatus est dicens: Exurgite, fratres charissimi, responsum namque hesterna die promissum, et quod hodie dandum praestolamur, accepimus jam! Ecce enim monasterium nostrum incendio traditum est! —

Ea quoque tempestate curtem nostram in Matten, et omnia horrea in viridi domo ignis comedit, ab macellatoribus (ut creditur) sparsus. Sed et ecclesiam ad S. Remigium, et hospitale nostrum vorax flamma integraliter absumpsit. Turris quoque ecclesiae nostrae percelsa, iteratis vicibus clandestine incensa, per nostros vero defensata, remansit semiusta intrinsecus.

Igitur cum Franciscus, relicta Treveri, itinere suo pergeret, et Richardus, jam liber redditus post tantum obsidionis periculum, exire Treverim pro redimendo oppidulo ad S. Wendalinum de manibus inimicorum disponeret: senatus querulosis eum vocibus interpellans postulabat sibi facultatem et assensum dari, ut funditus everterent monasterium S. Maximini. Astabant quoque Praepositus, et Decanus majoris ecclesiae, atque Officialis curiae Trevirensis (**), id ipsum concedi exoptantes. —

Restabant tantundem parietinae suffodiendae, reliquis paene in cineres redactis. Richardus itaque, senatu civiumque multitudine stipatus et circumdatus, atque importunis ipsorum petitionibus pulsatus, et hinc inde paululum deliberans, vocabat ad se dominum Officialem. Hi duo mutuo conferentes, peractoque brevi colloquio, Richardus ad senatum conversus, quod petebatur, concessit, ea conditione et moderamine, quatenus ita quaeque diruerent, ut tamen pretiosis atque celatis lapidibus parcendo, aliis usibus iterum applicandis, eos sine laesione deponerent (***). —

Cum ergo Trevirenses indefesse vires suas ad subvertendum monasterium expenderent: ecce nuntius imperialis, missus a Ferdinando (†), praesentabat litteras senatui Trevirensi, quibus ipse cum tota communitate civium citabatur ad cameram judiciariam Caesareae Majesta-

---

(*) Conf. notam ex cod. ms. Luxemb. descriptam ad hoc cap.

(**) Joannes ab Acie, qui Etlingiae obiit, ubi tunc Camera Imperialis consistebat, in qua causam urbis Trevirensis adversus monasterium S. Maximini orabat.

(***) Tum Senatus Trev. edidit decretum, et cruci in foro affixit, his verbis idiomate germanico scriptum: „Durch die Umbstende bewegt, auch durch Anregen eines ehrsamen Rapts (Raths) mit sampt gemeiner „Burgerschafft, darzu des edlen und wirdigen Dom-Probstes, Dom-Dechens, „und gemeinen Capitels des „hogen Domstiffts alhie, durch unsern gnedigsten Herrn von Trier als Landfürsten bewilligt und zugelassen „ist worden, daß alle umbstehende Bue (Bauten), die der statt hinderlich sein, mogen „abgethan, und hingenommen werden sullen. Es ist derhalb die ernsthafftige Warnung, daß „ein jeder, der sine Bue in der Rehende bei der statt gehabt hait und hat, hie und zwischen Sent Andreas Dag, abereisse, und an ander endt, da es der statt nit schedlich, si verfüge.“ — —

Ipse Scheckmannus exemplum hujus decreti generalis refert. Ea tempestate non solum S. Maximini habitacula, sed et alia, e. g. illa Carthusiae extra portam novam ex parte eversa sunt.

(†) Scilicet Archiduce Austriae, vices Caesaris Caroli tunc absentis agente

tis, pro reddenda ratione, in qua potestate talia attentare praesumpsissent ac praesumerent. Quas ubi senatus coram se legi fecisset, non modico pavore stupefactus, jussit populo, ut a coepto opere desisteret. Hinc ergo accidit, ut quod supererat destruendum, iniquorum manus evaderet saemilaesum. Remanserunt autem tria aedificia ab igne illaesa. — Itaque cum jam fere omnes in unum congregati essemus, monasterium in priscum statum, prout possibile fuit, restituere operam dabamus. —

— Dominus tandem Richardus intoxicatus, veneno vitam finivit (*). — Haec breviter per anticipationem sint dicta. Nunc ad Franciscum revertamur, et qualem finem pro militia sua sortitus sit, depingamus.

Igitur cum Franciscus in domicilium suum reversus, coepisset quendam ex nobilibus Comitis Palatini vexare, pro eo forsam, quod contra eum directus fuerat a Ludovico tempore obsidionis Trevericae civitatis, atque isdem Palatinus hoc aegre ferret, tale dicitur in eum minaci vultu protulisse verbum: Ego feci, quod tu Franciscus vocaris; ego quoque faciam, quod tu Franciscculus nuncupaberis! Hoc ideo dixit, quia propter suam dissimulationem ipse Franciscus celebre nomen per privata quaedam bella et oppressiones acquisierat, a quibus eum Palatinus utique prohibere potuisset, si voluisset, cum ejus vasallus esset, atque castra ipsius in suo territorio consisterent.

Denique Richardus Archiepiscopus, et Philippus Lantgravius Hassiae, non immemores bellorum a Francisco ipsis illatorum, se mutuo per epistolas, una cum Ludovico Comite Palatino, cohortantes, conveniendi in unum diem locumque condixerunt. Wesaliae superiori congregati tractare invicem coeperunt, quomodo aut quando communem hostem uno animo, unitisque viribus debellarent. Ut autem ars deluderetur arte, nullum suorum nobilium, aut consiliariorum suorum, suo secreto ac privato colloquio interesse voluerunt, ne conscius quis eorum decretorum seu voluntatum hostem avisaret, aut cautum redderet. Exemplis quippe Francisci Principes edocti et commonefacti, taliter agere decreverant. Franciscus cum audisset, quod praefati Principes convenissent, et quid invicem statuissent, sibi maneret incognitum, ingemiscens dicebat: Si saltem uni hominum constarent ea, quae Principes agere decreverant, mihi profecto nota fierent (**)!

Statuto deinde tempore et die, Principes illi cum suis copiis et armorum grandi apparatu convenientes, castro Eberberg (***) primum applicuerunt. At Franciscus animadvertens, non sibi tutum inibi perseverare ob loci infirmitatem, nocte cum quibusdam nobilibus inde fugiens, ad aliud castrum valde munitum, Nanstallum nomine, equitavit. — Quo Principes pervenientes, atque illud tentoriis undique ac bellicis machinis circumdantes, expugnare hoc et dejicere moliebantur.

Accidit interea in multiplici jaculorum imbre, ut globus e castris seu tentoriis Richardi emissus, trabem in aedificio, ubi Franciscus manebat, offenderet, eamque in frusta comminuens, particulatim disjiceret. Cujus portiuncula in latus Francisci desiliens, illud, confractis costis, discidit.

Castro in deditionem accepto, Principes introeuntes invenerunt Franciscum graviter saucium decumbentem. Quem singulatim sciscitantes, cur ipsis bella injusta indicere praesumpsisset,

(*) Conf. quae infra ad cap. 290. referimus.
(**) Conf. quae scriptor Gestorum de his rebus disserit cap. 284.
(***) Ebernburg.

et supra temerariis ausibus eum coarguentes, rationes reddidit, quas ipsi Principes norunt, finitoque colloquio spiritum emisit. Dicebatur tamen a plerisque, quod Lantgravius eum gladio perfoderit: verum quod horum verius sit, ignoramus (*). Principes inde et alia castra obsederunt et destruxerunt. — —

Cum haec nobiscum agerentur — ecce Lutherana secta nimium invalescens, opinionis suae odorem longe lateque spargebat. — Non libuit hic scribere per singula de religione illorum Evangelicorum hominum: sic enim semetipsos cognominabant. Populus communis et vulgus indoctum ad seditiones et tumultum semper pronum ac proclivum novo motu insolescens, errorem suum armis tueri, atque pro defensione et propugnatione Lutheranae doctrinae, qua imbutum erat, mortem subire operae pretium duxit.

Hi ergo rustici conspirantes (**), et se mutuo cohortantes, sibiquemetipsis auxilium ferentes, dum maximam multitudinem coadunassent, in uno agmine conglobati, ecclesiasticos homines reformare, imo, ut effectus perdocuit, persequi, exspoliare et exturbare, aut ad evangelicam rectitudinem, prout Martinus Luther docebat, universum mundum reducere stultissime conati sunt. — Rustici itaque, lumine rationis orbati, atque ex uno errore in alium devoluti, ad hoc tandem prolapsi sunt, ut ex quo omne genus hominum in terris simili surgit ab ortu, ab unoque parente prothoplasto originem ducit, nullam differentiam generis, nullamque discretionem graduum dignitatumve habendam, sed universa bona temporalia sive fortunae, tanquam communia, a divitibus tollenda, atque aequali sorte singulis dispertienda (***).

His aliisque erroribus multiplicibus homines vagi et agrestes impliciti et agitati, uno agmine prorumpentes, praemeditatam nequitiam effectui mancipare congressi sunt. Hinc jam nobilium castra cremabantur; ecclesiae ac monasteria, ablatis vasis sacratis, subvertebantur; nobiles quique comprehensi jugulabantur; divites suis substantiis denudabantur; denique omne sacrum profanabatur, et quicunque sectae aut consortio eorum sociari recusasset, perimebatur.

Horum hostilem impetum, velut effusam tempestatem, Episcopus Wirtzburgensis sentiens suis cervicibus imminere, in quoddam munitissimum castrum cum suis nobilibus se recepit, scribens ex abrupto Principibus in recta fide permanentibus, Ludovico scilicet Comiti Palatino, atque Richardo Archiepiscopo Trevirensi etc. etc., ut quantocius sibi suisque commilitonibus, rusticorum multitudine vallatis, opem ferre festinarent. At illi hujusmodi nuntio experrecti, mox collectis copiis (†) finitimorum militum in proelium consurrexerunt; tum his, qui obsi-

---

(*) Chron. Limb. habet: „Frantz von Sickingen, seines Geschlechts ein Edelmann, der Profession ein Lu„theraner, hatt die Statt Trier belegert — ohnverrichteter Sachen ist er von Trier abgezogen: anderen „Jahrs von den Fürsten zu Trier und Hessen zu Lanstall heimgesucht, belegert, und durch einen Balcken, „so die Kugell zerschmettert hatte, erschlagen worden, nach Inhalt dieser Rumen: CrVX oCCIdIt franCIsCVM.

(**) Cod. ms. bibl. Trev. No. 1470 sig., nondum editus, temporibus, de quibus hic sermo est, coaevus, continet historiam diplomaticam hujus tumultus rusticorum, et incipit his verbis:

„Anno 1525. Seyn allenthalben im heiligen Reiche vil ufflewffe, Rottung und Empörungen der undertanen gegen die Oberkeiten entstanden, derhalben sich ettlich vil, und furnemlich der Pauwers Mann mit eynander verbonden und mit groissen hawffen zusammen geleuen." Conf. animadversionem nostram ad cap. 290.

(***) „Articuli der Pauwern: daß sie yrer Libeigenschafft erleissen syn, und gewoenlich felle und straiffe irer Oberkeit nitt mehr geben wollen, auch wässer, velde und weyde fry haben, und keinen zehenden mehr reichen wollen — und suchen teglichs mehr ungewoenlicher Nüwerongen." Sic ms. praefatum.

(†) Ibidem legimus Richardi literas hucusque ineditas ad Comites et Barones sui territorii, hujus argumenti: „Nachdem sich dieser Zyt die Leufft so seltzam, und allerleye Empörungen erheben, daß vonnoeten syn will,

dione premebantur, tum sibi ipsis suisque rebus consulere et praecavere parati. Congressionem itaque cum rusticis, multo majori numero praestantibus, facientes, tam feliciter, prospero comitante successu, bellum confectum est, quam fideliter constanterque arreptum fuit. In qua congressione paene omnis illa pertinax et indigesta multitudo rebellium ac perfidorum hominum catervatim prostrata occubuit, et abrasa est de terra viventium.

Eodem quoque tempore Dux Lotharingiae cum suis copiis aliam rusticorum gravem multitudinem ejusdem factionis, similisque propositi et conspirationis, quae ducatui suo approximans cuncta suo more devastare coeperat, prostravit (*). —

---

unß mit den unserer zu rüstonge zu stellen; so ist demnach unser ernstliche meinonge, du wollest dich uffs sterckst dues vermags rüsten und stellen; also wann wir dir anderwerbe thun schreiben, daß du geschickt syest, im harnasch, mit spiesen und isen huetén (†) unß zu dienst zu kommen. Dat. Pfalzel, Mittwochs nach Judica anno XXV."

(†) D. i. eisernen Helmen.

Ad civitates Archiepiscopatus Richardus simile mandatum misit, in fine haec addens: „auch üwere Thürne, Portten und Muren Grendelschlege und Lantweronge uffrichten, und in gutter acht haben."

(*) Audiamus narrationem laudati Msti.: „Am XIIten Tag May anno XXV. ist der Hertzog von Lothringen mit synen Brüdern, dem Cardinal von Güyß (Guise), auch dem von Wiedemont (Vaudemont) mit samt Graven, Herren und der Ritterschafft, in gewisser anzal Teuwsch und Wellisch, uff die vier oder V^{m} Pferdt, ungeverlich V^{m} Landtknecht, mit XII Stücken feltgeschütz ghen Doese aukommen, in meinonge den hauffen, so im Cloister Herbolsheim geleggen, zu schlagen — syn die Pauwern, nachdem die Vorrenner am Tage darvor derselbigen Pauwern eyn anzall geschlagen, hinder sich hinweg by nacht den negsten in das Elsas gezogen, den der von Lothringen nachfolget."

„Und am XVten Tag May sich umb Elsas Zabern gelegert, darinnen dieselben und ander Pauwern uff XX^{m} und mehr gelegen haben, die Vortraber der Pauwern bis uff CC von der Ober Vorstatt an bis an die Portten umbracht, und hatt sich das gantz heere in der ordenunge gereiht, im willen die Pauwern, so sich uß der Statt uff einer matten gesamlet, zu schlagen, syn aber widder in die Statt ungehandelt geruckt, und die Lothringischen weidlich mit einem guten geschütze gegrüsset, dergleichen uff der Lothringischen syten nit gespart worden ist."

„Am XVIten Tag haben sich die Lothringischen abermals zu der schlacht gerüst, ist Hoffnung die Pauwern wurden inen entgegen ziehen, und wo nit schlagen wulten, die Lothringischen ire heer uff die andere sytte, zuschen Zaberen und dem Schlosse Bar genannt, zu leggern: indem ist Bottschafft kommen, daß zwene hauwffen Buyern (supra Pauwern, infra Baueren) uff eyn myle wegs nach by den Lothringischen weren: der eyn uff III^{m} starck, und der ander uff V^{m}. Also hat man eyn Teil Reißigen und fueßleut dem groissen hauwffen sambt etwas geschütze zugeschickt, und das ander Teil vor Zabern blieben. Haben die Lothringischen also uff eyn Myle wegs demselben hauwffen der V^{m} nachgehent, die alsbald die flucht genommen zu einem Dorff genannt Lürstein, sich bevestiget, und dapffer in die gegenwehr gestallt; aber die Lothringischen haben die angelauff, und dermaissen gehandelt, daß keine Pauwer darvon kommen, und also by die IIII^{m} erschlagen, auch etlich nachgehends verbrennt worden."

„So der ander hauwffen, zu Hochfelten gelegen, solichs innen worden, hait die flucht geben. Dazuischen haben die in Zabern wollen parlamentiren und handlen, das inen gegonnet, und demnach sie uß miltichkeit zu gnaden angenommen, daß sie nimmermehr widder Lothringen, den Stifft Straisburg, dergleichen widder keinen fürsten noch obrigkeit thun, oder Waffen oder gewehr mit dragen sullen, die Statt Zabern dem Stifft widder zu geben, und mit eynem wissen Stab ußzuziehen, auch C der besten uß inen zu Gysel zu gebben, bis die Artikel verbriefft und uffgericht wurden. Darzu haben die Gesanten uß bevehl der Pauwern und Burgerschafft zu Zabern zugesagt, bynnen eyner Stunde darnach alle Bauwerschafft auszuziehen, und daß soliches uff die drey ueren desselben Tages nachmittage geschehen solle. Die Bauwern haben aber dazuschen in der Tetinge ettlich ire Artikel den Lothringischen Lants-Knechten zugeschickt, und die bewegen wollen, von Lothringen und zu inen zu fallen; auch haben sie brieve, so dem von Lothringen zu handen kommen, desselben Tedingtags, so am dienstage gewesen, allenthalben drr Pauwerschafft im Elsas geschrieben, sich am Donnerstag darnach by eyn zum besten gerüst zu finden, umb das Dorff die eyn syte, und du von Zabern uff die andere umb die mitternacht zu überfallen. — — Hait man die Pauwern erfordert

Tanda proinde facta est strages rusticorum in illis diebus, ut numerus occisorum se extenderet ad centum quadraginta millia, et eo amplius. Qui nefarii homines nisi extincti atque deleti fuissent, in brevi fines nostros introgressi, dolorem dolori et damnum damno nobis irremediabiliter accumulassent. —

Erant quippe in civitate Trevirensi, sicut et in aliis viculis et urbibus homines malitiosi, vagi, assentatores, inopes, otiosi, alieno aere oppressi, qui rusticorum adventum ex totis praecordiis praestolabantur. — Sed et ipse Senatus, dominis majoris ecclesiae nimium infestus, poscebat sibi dari unam ex clavibus, quibus sacrarium reseratur, in quo tunica Domini Jesu, et caeterae conservantur reliquiae, ne possent iidem domini, absque Senatus scitu, pro suo libito eas ostentare. Insuper et tertiam partem oblatorum, quae tempore passagii ecclesiae majori provenire et offerri solet, sibi impartiri voluit (*). Quod tamen Senatui non impune cessit. Nam domini majoris ecclesiae hujusmodi absurdas molestasque petitiones domino Rochardo, in caede rusticorum occupato, ocyus per internuntium significantes, conquesti sunt importunitates et minas, quas horum causa paterentur. At Richardus, iram dissimulans, missis litteris hortabatur Senatum, quatenus modestius ageret in tali negotio, ipsumque suspenderet, donec reverteretur. Erant enim multi, qui magis favebant rusticis, quam principibus, maluissentque Richardum cum suis coadjutoribus cadere, quam rusticos. Quod eum minime latuit.

Reversum denique Richardum a caede rusticorum, et in Palatiolo consistentem Senatus

---

by den viermalen durch Trumpeter heruß uff die nacht zu ziehen, haben es nit wollen thun — und syn die nacht in der Statt blieben, irer glübd und Zusagong vergessen, und erst am morgen früe ußgezogen, syn die Lantsknecht ungewarnet darby gewesen, hait sich eyn Pauwr gegen ellichen mit boesen worten laissen hoeren, ist gleich erstoichen worden, und also von hant zu hant, daß man den Lantsknechten nit hait können wehren, bis daß die uff XVII = erstochen haben, die Statt geplündert widder des fürsten willen." — —

In hac collectione refertur formula juramenti rusticorum, his verbis: „Diesenn aidt haben die Schwebischen Bauwern einander gethain. — „Jr werdent schweren einen aidt zu Gott und den heiligen, ain einigen Gott Schopffer Himmels und der Erden zu haben, die Englische Wahrheit, göttlich Gerechtigkeit, und brüderliche Liebe zu hanlhaben, und Einen Herrn, nemlich Römische Kayserliche Majestät, und keinen andern zu haben." —

(*) Cod. ms. laudatus, qui de his rebus fusius disputat, sex articulos habet, quorum praecipui sunt: „Daß zu mehronge der früntschafft ire Erw. W. und G. (die Herren des Domkapitels) einem ehrsamen Rait eynen von den Schlüsselen über die Heubtstücke des wirdigen Heilthumbs, und den dritten Teil des oppers (Opfers) und anderer gefelle in den Heiligthumbs fortten, zu besserong der Statt gefolgen und zustellen wollen."

„Item daß ire Erwürden rc. rc. wollen verfügen und verschaffen, was mit vom Adell und Canonichen der hohen Kirchen, sust von geistlichen by derselben Kirchen beneficiert gesessen, daß dieselbe gemeyner Burgerschafft ire Bürde mit hüden, wachen, und andere burgerlichen pflichten helffen dragen." — —

Continet praeterea hic codex varii generis postulationes aliarum civitatum hac tempestate factas. Sic e. g. postulabant cives Moguntini art. VIII. Item all geistlich Personen in der Stadt Mentz, es seyen Mönch, Nonnen, ußgenommen den hohen Dohm Stifft, sollen alle Beschwerden mitdragen, wachen und reysen." — Art. XXIII. „Item es sollen sich die Paffen megde tragen, daß man sie vor andern eerlichen Frauwen erkennen könne; wen solichs nit geschicht: soll eyn Bitzthumb sie auszziehen, und die cleyder nemen (!!)" Art. XXIIII. „Item sullen die Judden fürter keyn nüwe gewannt silber kauwffen oder verkauwffen, und nit meher, dan eynen heller von eynem gulden zu gesuch nemen die wochen." — Aliae civitates postulabant: „Da die Annaten ghen Rome nit meher gegeben werden sollen; darumb so sollen und wollen auch die gemeyne Lantschafft des Rinckauwes (Rheingaues) solich Thusendt Gulden zum pallium nit meher geben, sunder die nunmehr ledig und fry synd. — Sollen hinfürttert keine Personen in die Closter uffgenommen werden, sunder die itzund darin seindt, sollen außsterben, und weliche Person nit darin bleiben wolt, soll macht haben heruß zu kommen, mit einer zimlichen Zugabe rc. rc. — —

honorare volens, misit ei munera. Quae ille respuens, dicebat se querelas accepisse adversus eos, ac propterea nolle deprecabilem fore et placatum. — — Tandem lis inter Principem et civitatem sopita est. —

Richardus cum rusticis congrediens misit commissarios nobiles in suam dioecesim, qui a singulis monasteriis, collegiis, ecclesiis, et ab universis in sua dioecesi beneficiatis exigerent pro qualitate redditnum gravissimam taxam pecuniarum ab ipso praefixam et constitutam, exercitibus suis pro stipendio distribuendam (*).“

Tantum ex Scheckmanui libro, quem in coaevo Msto. exaratum tenemus.

AD CAPUT CCLXXXIV.

— Castrum et civitatem Cronenberg juxta Franckfordiam.

Richardus Archiepiscopus Trevirensis, Ludovicus Elector Palatinus, et Philippus Landgravius Hassiae, mense octobri 1522, in urbe Francofurtensi, de castro et civitate Cronenberg, sequentem subsignaverunt conventionem, quae nobis ad manus venit, ex textu originali descripta:

Von Gots Gnaden Wir Richart, Erzbischof zu Trier, des heiligen Römischen Reichs durch Gallien und das Königreich Arelat Erz-Kanzler, Ludwig Pfaltzgraue bey Reyn, Herzog in Beyern, des heiligen Römischen Reichs Ertzdruchses, beide Churfürsten, und Philipps Lantgraue zu Hessen, Graue za Cazenelenbogen, zu Dietz, Ziegenheim und Nidde 2c. thun kund und bekennen hieran für uns, unser Nachkommen und Erben offentlich gehn allermenniglichen, daß wir uns einmütiglich und samptlich unter einander vertragen, zusamen geredt und versprochen haben, vertragen auch uns, gereden zusammen, und versprechen gegenwärtig in Macht dies Briefs, daß unser keiner, noch unser aller nachkommen und Erben, über kurz oder lang nimmermehr, Schloss und Statt Cronberg mit aller seiner Herlichkeit, Nutzung, Inn- und Zubehörung, nicht zumal ausgescheyden verpfenden, versetzen, veränderen, veräusseren, noch beschweren soll, es geschehe dan mit unser aller, gutem, rechtem, einmüthigem Wissen und Willen; ob sichs aber begebe, daß unser einer oder meher das thun wolten, soll er oder die solichs dem andern zu erkennen geben, das darlegen anpieten, umb ein ziemlichs für Jemands anderm gestaten, und sein Theil zukommen lassen, und so hierüber und widder von unser eynem oder meher, auch derselben Nachkommen, und Erben ichit furgenommen, gehandelt oder aufgericht wurde, in waserlei Gestalt das wäre, so es ohn unser aller Wissen und Willen bescheen, als doch keineswegs seyn, soll dasselb craftlos, und von keinem Wirken noch Macht seyn, des wir uns als samtlich und sonderlich für uns, unser Nachkommen, und Erben hiemit in Craft dies Briefs bey unsern Churfürstlichen und Fürstlichen wahren Worten und Glauben verpflicht, ohn alle Geverde, und des in Urkunde haben wir dieser Brief drey eins Lauts, der unser Jeder einen behalten hat uffgericht, mit eigenhanden samptlich und sunderlich unterschrieben, und unsers jeden Sigil wissentlich besiegelt. Geben zu Frankfurt am Meyn Sontags nach sanct Lucas tag, Anno Domini Millesimo quingentesimo vicesimo secundo.

Richard Erzbischof zu Trier Churfürst
(L. S.)
Pfalzgraf Ludwig Churfürst 2c.
(L. S.)
Philips L. G. zu Hessen 2c.
(L. S.)

(*) Hinc illae irae contra hunc Principem! Conf. Gestorum textum, et animadversiones nostras ad cap. 290.

— Alia trium Principum supra nominatorum conventio contracta est die tertia Junii, anno 1523, in castro eorum prope Ebernberg, concernens jura et partes horum Principum in praefato Cronenberg, ceterisque locis familiae Sickingianae, per ipsos armis occupatis. Artic. 4. convenerunt, ne dicta et destructa hoc bello castra iterum renovarentur aut de novo munirentur. Artic. 6to legimus:

Zum sechsten, bewure die Brief so in beyden Häusern als Nanstall und Eberuberg gefunden, die sollen gegen Haidelberg gefürt werden, und unser jeder ein geschickten Schreiber darzu verordnen, die sollen solich Brief ersehen, und was darunter unser jedem dienlich, mitgetheilt, oder zum wenigsten, wo es uns alle betrifft, und zu gut kommen möge, glaublich Abschriften darvon geben werden.

Tempore subsequente per Joannem Ludovicum ab Hagen, Archiepiscopum Trevirensem, dominis de Sickingen licitum est, castra Nanstull, Ebernberg et Hohenburg non solum, ut ea habitare possent, renovare, sed et illa munire. Vide diploma signatum Spirae, die 11ma Maji, au. 1544., ap. Honth. op. c. II. pag. 679.

AD CAPUT CCXC.

— Tandem praefatus dominus Richardus Gryffenclae, post crudelissimam et inauditam exactionem in Religiosos factam etc. —

In codice quodam msto. Himmerodiensi jam saepius memorato, haec legimus: „Richardus itaque Palatino et Hasso opem imploratam laturus, gravi rursus aere clerum taxabat, „taxa monasterii ad quatuor millia florenorum auri accedente, quorum quilibet tunc valebat „viginti sex albos, et nummis deficientibus, calices octo, totidemque patenas argenteas, ac „planetam pretiosiorem ecclesiae detrahere, et in usum necessarii belli convertere necesse „fuerit, prout etiam domus quaedam Treviris palatio contigua in defalcationem praedictae „summae a monasterio avulsa, aliudque damnum 1000 aureorum, sex curribus et vecturis, „monasterio illatum fuit. Praeter octoginta florenos auri, quos Joannes Dux Bavariae, et „Philippus Margravius de Baden, qua Comites de Spanheim, de curte nostra in Traven ad „idem bellum conficiendum exegerunt, viginti octo albis pro quolibet floreno computatis.“ —

Si quis hanc rem attento animo secum perpendit, sentiet certe, clericos Trevirenses, monachos potissimum, eo, quod tam acriter contra Richardum inveherentur, valde injuste fecisse; nam in illis patriae suae procellis Princeps non potuit alio modo validos contra conatus Sickingii socios sibi conciliare, et tum, si pericula socios vexarent, iis ipsis auxilio venire. Sine hisce cautelis tam provide electis, sine hisce contributionibus et exactionibus, tam amare a clero deploratis, revera quidem molestis, omnimodo tamen, ut diximus, necessariis, nostro sane judicio actum fuerat de omnibus nostris monasteriis aliisque ecclesiis. Vix autem Richardus post tantas vicissitudines respiraverat, cum nova mala patriam nostram, sicut alias Germaniae provincias, infestare inciperent, motus scilicet Rusticorum anno 1525. Quid in hac nova angustia et periculosissimo rerum statu, ex sua parte pro pace publica, armis aeque ac consiliis praestiterit Richardus, hoc patet ex variis hujus anni monnumentis, in codice msto. asservatis, s. t. Der Bauern-Krieg von 1525. In notis nostris marginalibus ad Scheckmanni historiam supra relatam notabilora quaedam adjecimus ex hoc praestantissimo Msto. hucusque inedito. Latomus his versibus Richardi memoriam prosecutus est:

..— — Rerum tantarum o maxime ductor!
„Treverici princeps solii sedisque vetustae
„Adsertor, quem multiplici spectata labore,
„Et pace et bello rerum prudentia solers
„Laudibus insignem tollit, populisque verendum:
„Te penes hoc tanti, quantum est, memorabile belli,
„Oppressique furoris opus stetit: una tuorumque
„Et parta et defensa salus: te tanta triumphi
„Gloria, te reducem merito sine fraude sequuta est,
„Dum veterem Trevir geminis sub collibus urbem
„Incolat, et viridis leni fluet amne Mosella:
„Dum bella ingrata agricolis, dum jusque piumque
„Perdere sacrilegos hostes, armisque tueri
„Oppressos populos, et terris reddere pacem
„Notus eris, laudesque tuas nullum exiget aevum
„Richarde! et memori semper celebrabile fama
„Immortale feres super aurea sidera nomen.“ —

Scriptor Gestorum Richardi, exhibens in initio capitis crudelissimam et inauditam exactionem in Religiosos factam, testatur interim in descriptione sepulturae, corpus defuncti Principis, cum gemitu et fletu populi, majori ecclesiae esse invectum! —

— Incidit in occultam infirmitatem, suspicans haustu aquae se intoxicatum. In libro: Pagus Logenahe (cod. ms. bibl. Trev. No. 40. sig.) hac de re haec legimus: „Ad arcem (Montabur) qua via itur, puteus est, cujus aqua aestate alget, ex „qua cum Richardus Griffenclauw Archiep. Trev. anno 1530 bibisset, male habere coepit. Ob „id puteus superne concameratus est et obstructus: anno vero 1607., cum aliquis ibi foderet „aliudque quaereret, puteum reperit. — Richardus anno 1531. die 13. Martii in Wittelliaco „ expiravit.“ —

Alii vero affirmant, aut suspicantur, Principem, hominum malitia, esse intoxicatum.

In Chronico S. Maximini, ap. Scheckmannum, et in documentis Mss. a Noviliano collectis, in quibus de fatis inimicorum hujus monasterii sermo est, hi scriptores St. Maximiniani planis verbis scribunt: „Richardus tandem intoxicatus veneno vitam finivit „anno Domini 1531.“

Joannes Sleidanus (De statu religionis et reipubl., Carolo V., Commentarii. Argentor. 1557. in 8°. p. 125.) scribit: „Martio mense (1531) decessit e vita Richardus, Archiepiscopus „Treuirensis; magna fuerat ejus inter Electores authoritas, propter usum rerum et studium „libertatis. Veneni suspicio fuit, et ex domesticis quidam tormentis ideo sub„jectus, fortitudine et constantia sua periculum evasit.“

Quidam hoc crimen conjiciunt in odium monachorum Trevirensium contra Richardum etc.etc.sed (malitiosa etiam intoxicatione positaatque concessa) quidni alii exteri, non monachi Trevirenses, vindictae studio ducti, hoc crimen committere potuissent, propter Richardi felicem et gloriosum contra suos et patriae hostes armorum successum?

— Fractis sigillis Archiepiscopi Richardi. — Mos iste frangendi sigilli defuncti Principis aliorumque ecclesiae Praelatorum, ad novissima usque tempora perduravit. In ordinatione processionis funeralis Joannis Philippi, Archiep. Trev. 30. Maji 1768, artic. 64.

legimus: Alsdann wird per secretarium capituli das Churfürstliche Wappen auf dem Grab zerschlagen und in selbiges geworffen. Non satis congruenter iste articulus rem explicat; mortuo enim Principe ecclesiastico, ipsius sigillum, non autem familiae insignia, erant destruenda; quod tunc demum fieri consuevit, quando ultimus familiae cujusdam nobilis, successione mascula carens, decessit. Quapropter in alia, quae nobis ad manus est, ordinatione funerali ms. Lotharii a Metternich, Archiep, Trevir. 23. Septembris 1623. artic. 19. ita statutum legitur: „Cum funus impositum fuerit, domini secretarii coram illustri capitulo Ecclesiae Tre- „virensis, Sigillum Reverendissimi Principis piae memoriae frangent." — Vidimus hinc inde aperiri defunctorum Praelatorum sepulcra, in quibus inventa sunt eorum sigilla argentea, grandioris formae, cadaveri juncta; ergo neque semper, nec ubique mos erat, sigilla mortuorum frangendi.

Mandatum generale de non alienandis bonis in manus mortuas, in Treviratu ante annum 1655. extitisse non videtur. Quod autem Richardus tale mandatum serius aut citius publicasset, si per temporis sui motus non impeditus, nec morte fuisset praeventus, admodum verosimile erit cuilibet inspicienti documentum dicti Archiepiscopi, anno 1528. signatum, quod legitur ap. Honthemium (II. p. 619.). Novum forte hinc pabulum odii contra hunc Principem moti. —

— Latomus Arluneusis, jurisprudentiae aliaque omnigenae eruditionis laude vir excellens, quem saepius in notis nostris citavimus, docuerat primum literas humaniores in academiis Coloniensi, Freiburgensi et tandem Trevirensi. Post mortem Richardi Parisios profectus, in celebri ejusdem urbis universitate eloquentiam per novem annos publice professus est. Revocatus ad consilia Joannis Ludovici ab Hagen, Archiepiscopi Trevirensis, anno 1540, integris viginti et novem annis patriae et Principis muneribus egregie functus est. Confluentiae obiit die 3. Januarii 1570. Errat Bertelius (Hist. Luxemb. p. 151.) dicens: „Tandem octogenarius Confluentiae circa annum Domini 1546. in fata concessit. False etiam scribit Jöcher (Allg. Gelehrten-Lexicon) eum obiisse circa 1566. — Conf. Honth. (Hist. Trev. dipl. II. p. 555.) —

Latomus hic noster humanitatis literarum in Germania cum Petro Mosellano, Reuchlino, Hutteno, Steinio, Erasmoque restaurator merito nominandus est. Testes sunt ejus enarrationes in quasdam Ciceronis orationes, et in ejusdem paradoxa, in libros de officiis, de amicitia, de senectute et in somnium Scipionis, in topica, in partitiones oratorias, in comoedias Terentii etc. etc. — Magnus fuit sui temporis dialecticus, orator, poeta, jurisconsultus, imo etiam theologus, docentibus hoc ejus eruditis evulgatis operibus, recensitis ab Auberto Miraeo (in Elogiis Belgicis pag. 29. ed. Antverp. 1619 4°.), Francisco Schwertio (in Athenis Belgicis p. 50. ed. Antv. 1628. fol.) Paulo Frehero (in Theatro virorum eruditione illustrium, p. 851. ed. Norib. 1688. fol.)

Hic celeberrimus vir decantavit etiam Maximiliani Imperatoris laudes in elegantissimo carmine, seorsim impresso Aug. Vind. 1519. 4°., et reimpresso in Jo. Gerh. Menschenii opere (Vitae summorum dignitate et eruditione virorum ex rarissimis monumentis literato orbi restitutae. Coburgi, 1736. 4°.). Aliud Latomi nostri opusculum rarissimum, quod praeter alia hic referre volumus, titulum prae se fert: Carmen gratulatorium in coronationem Regis Romanorum, 1531 impressum (Coloniae).

— Richardum literas et literatos in pretio habuisse, varia documenta docent. De Coritio et Latomo jam sermo erat. Proferamus et alia testimonia. Petrus Mosellanus Prote-

gensis, humanissimus ac doctissimus sui temporis vir, literarum graecarum in Saxonia instaurator celeberrimus, in sua epistola nuncupatoria ab Richardum (Divi Gregorii de Theologia libri lat. in serm. traducti. Edit. Frebon. 1523.) haec scribit: „Taceo quod amplitudo tua „sic in pretio habet literas et literatos, ut si quotquot sumus studiosi, gratiam vicis„sim referre, tuique nominis memoriam posteritati commendare negligamus, profecto ab in„gratitudinis nota vindicari vix possimus."

Idem auctor laudibus pariter ac faustis comprecationibus prosequitur clarissimum virum, Henricum Dunghen (*), Richardo familiarissimum, dicens: „eum adeo bonarum artium „cum scientia, tum usu sic instructum, ut jam multos annos hoc fuerit aulae Trevirensi, „quod olim Romae vel Servius Sulpitius, vel Quintus Scaevola." —

His quoque temporibus vixit Treviris vir suo tempore eximius, Balthasar Mercklin ex Walkirchen (sive Waldekirch), qui in Canonicum S. Simeonis anno 1495 admissus, post ejusdem ecclesiae Decanus, denique Constantiensis Episcopus, administrator Hildesiensis, sub Carolo V. Imp. Vice-Cancellarius etc. Obiit Treviris anno 1531. in clausto S. Simeonis, in cujus etiam ecclesia tumulatus amplo epitaphio visitur (**), scribit Nellerus in catalogo msto. No. 1561. sig., virorum illustrium Canonicorum Collegiatae S. Simeonis Trevirensis, anno 1755.

Neque hocce loco oblivioni damus Justinum Goblerum de S. Goare, legum in Trevirorum Universitate Professorem publicum, virum in classicis quoque studiis ac literis nequaquam vulgariter eruditum. Vixit et Goblerus sub Richardo Archiepiscopo, quem Maecenatem suum dicit in Vita Petri Mosellani, Treviris anno 1536 exarata et ad Joannem Fichardum Doctorem et Advocatum Moeno-Francofurtanum missa (***).

(*) Henr. Duntgen de Witlich (scribunt alii) J. U. D., deinde Officialis Trevirensis, demum Archiepiscopi Cancellarius.

(**) Ecclesia haec non amplius extat. Porta Romana restituta locum occupat.

(***) Vid. librum rarissimum Joannis Fichardi s. t. „Virorum, qui superiori nostroque seculo eru„ditione et doctrina illustres atque memorabiles fuerunt, vitae. Jam primum in hoc volumen collectae. „Francofurti, Christianus Egenolphus excudebat (1536)."

Adde Disquisitionem nostram s. t.: Peter Schade von Pruttig (an der Mosel) gewöhnlich Petrus Mosellanus genannt. (Trierische Chronik 1820. S. 206. ff. reimpressa in foliis s. t. Treviris, 1835. No. 32. sqq.) — Merito admiramur praecox Mosellani nostri ingenium, vastam ejusdem eruditionem: non tamen sine doloris sensu fata ejus et praematurum obitum perspicimus, cogitantes rerum humanarum inconstantiam; hic enim vir egregius in flore aetatis, Principis favore, summorum virorum amicitia et consuetudine gaudens — in medio blandientis fortunae cursu — sublatus et praecipitatus est! — —

FINIS VOLUMINIS SECUNDI.